





ANNALES ANTVERPIENSES.

ANNALES
ANTVERPIENSES

AB URBE CONDITA AD ANNUM M.DCC.

COLLECTI EX IPSIUS CIVITATIS MONUMENTIS

PUBLICIS PRIVATISQUE LATINAE AC PATRIAE LINGUAE

IISQUE FERE MANU EXARATIS

AUCTORE

DANIELE PAPEBROCHIO S. I.

AD COD. MS. EX BIBL. REGIA QUAE VULGO BURGUNDICA VOCATUR

EDIDERUNT

F. H. MERTENS,

BIBLIOTHECARIUS CIVITATIS ANTVERPIAE

ET

ERN. BUSCHMANN,

PROF. HISTOR. IN ACAD. REG. ARTIUM ANTVERPIENSI

TOMUS SECUNDUS.

ANTVERPIAE,

E TYPOGRAPHIA J. E. BUSCHMANN.

M.DCCC.XLV.

ANNALES ANTVERPIENSES.

ANNUS CHRISTI M.CCCC.LI.

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — Nicolaus de Herde II. — VII. Wilhelmus de Molenaere II.

SCABINI. — Nicolaus vande Werve. — Petrus Reyniers. — Ioannes van Ranst. — Ioannes van Ursel. — M. Ioannes van Halmale. — Nicolaus vander Elst. — Wilhelmus Douwe. — Henricus van Mechelen. — Ioannes Noyts, *iunior*. — Wilhelmus Draeke. — Wilhelmus vanden Wyngaerde.

ARGUMENTUM.

I. Ex Marchionatu abducti Lovanium rei contra Lyranos et Lovanienses vindicantur. II. Antonii Ducis filii nothi, quorum unus Godefridus cum patre huc venit. III. Erigitur a Fabris ferrariis sacellum et ptochotrophium S. Eligii. IV. Datur exteris liber Antverpiam commeatus : et Civitati plena circa Accisias potestas confirmatur. V. Agitur de Camera telonaria apud eam instituenda. VI. Teneramunda iudicatur subesse Antverpiae.

ACTA.

I. « Hoc anno cum Scultetus Bergensis, Ioannes vander » Meeren, detrectasset accipere et aperire litteras Ammani

» Antverpiensis, hic autem ea de re questus esset apud » Philippum, iussus ab illo est in poenam proficisci Romam, » ut liquet ex vol. I Priv. fol. 181. Simili modo « Lyrani condem- » nati sunt, eo quod, pendente lite inter quemdam Michaelem » vander Haegen et Ioannem Wagemans, Lovaniensem, liti- » gantes remisissent extra Marchionatum ad iudicium Lova- » niensium cum praeiudicio civitatis Antverpiensis, cui Lyrani » ipsi subsunt; quin etiam Dux, intellecta causa, iussit ut » Sculteto Antverpiensi solverent Lyrani, pro ista iurisdictionis » superioris infractione, ad usum ipsius Ducis, XII aureos » Equites; ipse vero Michael, praeter expensas hinc inde » factas, conficiendam curaret sumptu suo vitream unam, in » nova Minoritarum apud nos ecclesia. Insuper moniti Lyrani » sunt, nihil eiusmodi Lovanium deinceps remitterent, ne » quidem requisiti per litteras Lovaniensium, eo quod his » nihil iuris in Marchionatu competat. » Ita Dux, XXVI Martii, referturque in Maiori Papyraceo, fol. 71 v.°.

II. Alius hoc quoque anno cum Lovaniensibus casus incidit. « Hi, cum quemdam Marchionatus inquilinum abduxis- » sent captivum Antverpienses Lovaniensem quemdam civem, » Lyrae captivum abduxerunt huc, et castigaverunt. Hinc » lite contestata apud Senatum Brabantiae, mandatum Lova- » niensibus est, ut scripto probarent antiquam iuris usurpati » possessionem : interim eius usu abstinerent, neque dein- » ceps quemquam ex Marchionatu abducere praesumerent, » quacumque ex causa, donec praetensam possessionem » liquide probassent. » Ita iudicatum fuisse XVII Septembris reperitur in eodem lib. fol. 69 v.°. « Cumque Lovanienses » nihilominus captivum detinerent, saepius repetitum, eodem » anno mandavit Magistratus Antverpiensis omnibus suis per » Marchionatum Officialibus, ut in omnibus sui iuris pagis » Lovanienses, qualescumque et quomodocumque inventos,

» apprehenderent. » Ut legitur, fol. 84 praecitati libri, et anno M.CCCC.LV simile quid factum reperitur ibidem, fol. 97 v.°; prout hactenus relata omnia notavit Pensionarius Nys, et ex parte etiam Edelherius; insuper indicans, ex libro asseribus tecto, fol. 18 et 244 v.°, quod « Dux Brabantiae cum filio suo Gode-» frido, die XIII Augusti, coram Scabinis in tribunali contra » quosdam, iura Scaldis fluvii violantes, iustitiam administra-» vit. » Quis autem Godefridus iste? Utique unus ex octo, quos Princeps, cetera probus, sed in mulierum amores proclivior, furtim genuit; quorum notiores quatuor, *Antonius*, vulgo dictus *Magnus Bastardus*; *Cornelius*, Beverae; *Balduinus*, Fallesii; *Philippus*, Crubecae Domini; quibus accedit quintus iste, necdum fortassis aliunde quam hinc cognoscendus.

III. « Ministerium Fabrorum hoc anno a Nicolao Papa V » facultatem petiit aedificandi capellam SS. Mariae et Eligii, » in foro equorum, cum campana, campanili et Capellano per-» petuo, ut de Missis aliisque divinis officiis prospectum esset » pauperibus ipsius ministerii, quorum habitationi et susten-» tationi empta eo loci domus erat; a qua domo usque ad » B. Mariae, quae collegiata et parochialis est, aliasque ipsius » oppidi ecclesias tanta est distantia, quod ipsi pauperes, ex » senio et alias debiles, ipsas ecclesias accedere retrahant. » Huiusmodi porro petitioni annuens Pontifex, XII Kal. Maii, » Abbati S. Michaelis (erat hic Olardus Terlinck) committit exe-» cutionem gratiae a se concessae : quod ille sine mora exe-» cutus est per datas XIV Augusti. » Sed lentius processit dedicatio capellae, anno LXII primum peracta.

IV. Anno quoque praetitulato, « Dux liberum commeatum » Venetis negotiatoribus dedit per suas triremes Antverpiam » advehendi quascumque merces; et, quia vetitum erat adve-» here in Belgium Anglicos pannos, permissum civibus fuit » similes pannos hic conficere. Idem XII Iulii fecit Civitati

» potestatem quascumque Accisias ordinandi, gravandi, di-
» minuendi, pro suo arbitratu, non solum hoc, sed etiam
» quindecim sequentibus annis. » Sub pactione census cuiusdam annui, quem non specificant Registra a Caukerkio citata.

V. Hoc etiam anno actum a Duce est, exstatque, Pensionario Nys teste, privilegium in lib. Holos. fol 68 v.° et 69, quo is
« Antverpiae instituit Cameram Telonariam, ad quam ceteris
» bonis Civitatibus Brabantiae liberum sit recurrere, si velint;
» in eaque pro sua quaeque parte habere personas notabiles,
» quae, pro maiori negotiantium commodo, cognoscant de omnibus ad telonia spectantibus, salvo tamen semper iure
» Magistratus Antverpiensis, circa easdem causas more suo
» processuri. » Hoc autem privilegium Dux idem renovavit anno M.CCCC.LVII.

VI. Denique in praecitato Maiori Papyraceo, fol. 86, continetur sententia Ducis pronuntiata ad diem x Septembris, decernens, « quod Teneramunda spectet Antverpiam; a sententiis tamen Antverpiae definitive latis pertrahere causas
» suas possit ad Consilium Gandavense. Ita, cum Anglus
» quidam, Wilhelmus van Penecolen, lite contendens cum
» Ioanne van Somergem, et Antverpienses reum absolvissent,
» ab hac instantia appellantibus, relicta in integro causa
» principali, respondit Senatus, se Antverpiensi decreto nihil
» velle demptum vel additum; partibus autem indixit, ut intra
» mensem unaquaeque iura sua proferret : unde patuit, in tali
» causa, Antverpia Gandavum provocari potuisse. » Ita praecitatus Pensionarius, sub titulo *Teneramunda;* quam totam olim ad Brabantiam pertinuisse, licet cum chronica nostra vulgari asserere nolim contra Lindanum, plus tamen Antverpiensi Senatui puto concedendum, quam vocem simpliciter consultativam : cum Teneramundam fuerint in causis ambiguis requisiti Antverpienses; id quod satis hinc constare videtur,

saltem pro seculo xiv et xv : idemque sentiunt in Analectis Secretarii, allegato textu praecitato, paucis hisce verbis : *Teneramunda petit Antverpia suas capitales sententias.*

A. C. M.CCCC.LII.

Consules xxx novembris. — Ioannes van Ranst V. — ii. M. Ioan. van Halmale IV.

Scabini. — Petrus Reyniers. — Wilhelmus vanden Wyngaerde. — Wilhelmus vande Werve. — Wilhelmus Douwe. — Nicolaus vander Elst. — Iacobus Kerreman. — Nicolaus van Sompeken alias Dovine D. — Henricus van Mechelen. — Ioannes Noyts. — Wilhelmus Draeke.

ARGUMENTUM.

I. Olardi Terlinck, Abbatis, obitus. Acta ex epitaphio noscenda. II. Lyrani, ob non reiectum commeatum Lovaniensem, correcti.

ACTA.

I. Hoc anno suique regiminis xxxix, resignationi eiusdem annum fortassis non integrum superstes, e vivis abiit S. Michaelis Antistes xxiv, olardus terlinck die vi Septembris : cui Innocentius Papa viii, anno m.cccc.xxvii, dederat potestatem, ad successores transituram, conferendi suis Religiosis Tonsuram Clericalem atque minores ordines. Successit ei ioannes fierkens. Acta Olardi et laudes epitaphium eius sic explicat :

Quamvis ossa tegat haec petra Patris reverendi,
Olardi terlinck, *tamen eius fama superstes*

Vivax semper erit; qui dum praesederat Abbas
Istius ecclesiae, res nulla remansit inaucta.
Aucta Sacristia est per eum donis pretiosis,
Bibliotheca libris, Conventus iuribus amplis.
Pervigilans fuit iste gregi, praelargus egenis,
Dapsilis hospitibus. Hunc ultro reliquit honorem,
Annis quando fere praeerat triginta novemque.
Mille quadringentis et quinquaginta duobus
Annis praeteritis Domini, Sol abstulit istum
Septembris sextus : vero nunc Sole fruatur.

Hactenus cum Sweertio *Olardum* scripsi, quia hanc lectionem praetulit auctor Coenobiographiae, licet fateatur esse, qui *Alardum* nominent, nec desint publica instrumenta, etiam in membrana, *Oloudum* nominantia, quorum uni subtus appensum adhuc cernitur vetus Monasterii sigillum ad causas.

II. Ad Iurisdictionis manu tenendae curam pertinet, eiusdem laesae mulcta hoc anno a Lyranis exacta : Anonymus Collector, ex Maioris Papyracei fol. 71, ita rem narrat : « Oppidi istius » Scabini, ad rescriptum Lovaniensium, causam cuiusdam » debiti ad ipsos remiserant contra mandatum Antverpien- » sium, et huius Civitatis supremam in Lyranos auctoritatem. » Qua de re appellati, seque nostrorum iudicio submittentes, » mulctati sunt in duodecim Equestres aureos, in manibus » Sculteti solvendos; iussique, in satisfactionem ulteriorem, » fenestram unam ponere in Choro Fratrum Minorum, utique » Antverpiensium; » nam Lyrae nullum ipsi conventum habebant, aut habent etiam nunc : Herenthaldi vero aut alibi, in ditione Riensi Antverpiae subiecta, nuspiam nisi circa finem huius seculi xv. Chorus autem ille, qui nunc Antverpiae est, si tunc coeperat aedificari, annis post eos hic stabilitos quatuor, lentos debuit habuisse progressus, utpote solum apertus anno M.CCCC.XCII, et consecratus M.D.LXX. Porro mandatum Lyranis

severe est, ne Lovaniensibus quidpiam eiusmodi auctoritatis in se concederent, sed ipsimet iustitiam, qua possent, per se administrarent. Et hanc sententiam, xxvi Martii latam, indicat Edelherius, breviter eumdem casum ex eodem Registro attingens.

A. C. M.CCCC.LIII.

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — Henricus van Mechelen. — II. Ioannes Noyts, senior III.

SCABINI. — Petrus Reyniers. — Ioannes van Ranst. — M. Ioan. van Halmale. — Wilhelmus vande Werve. — Wilhelmus de Molenere. — Wilhelmus Douwe. † — Gerardus vanden Broeck. — Iacobus Kerreman. — Nicolaus vande Werve, alias Sompeke. — Ioannes Riswyke. — Wilhelmus Draeke. — Ioannes vanden Wyngaerde.

ARGUMENTUM.

I. Scultetus vel Subscultetus iubentur quothebdomadis ad Tribunal comparere. II. Fundatur Morotrophium, HET DULHUYS.

ACTA.

I. DOMINUS *Ioannes vander Brugge,* iam antea bis post restitutionem suam repertus *Scultetus* (nisi filium credere malis), etiam hoc anno comparuit in festo S. Martini, una cum Consulibus et Scabinis statuens, « ut Scultetus, vel eius loco subscultetus, » omnibus sextis feriis adsint in Tribunali, a singulis civibus » eo titulo accepturi quatuor grossos (quos intelligo subsculteto

» commutatos in annuam pensionem a Civitate solvendam). Die » vero xxvi Decembris decretum est, eamdem esse potestatem » Sculteti et subsculteti, nisi quod hic non possit componere » mulctas pecuniarias. »

II. Hoc etiam anno fundatum est Morotrophium prope Pontem Ioanniticum, in via Balnearia, DE STOOF-STRAET : unde illud longius deinde remotum fuit ad viam S. Rochi. Scribanius, pag. 112, *Domum fatuam appellat, quam aberrantibus ab homine suo (quales in magna republica ingentique vicinia numquam deesse possunt) Eleemosynarii dederunt. Utuntur qui possunt eodem quo Inventitii, sacello S. Rochi, unde et viae nomen :* quibus cum domus sua ab iisdem Eleemosynariis fundata sit anno M.D.XXXIII, est credibile eodem quoque anno traductos illuc stultos fuisse.

A. C. M.CCCC.LIV.

—

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — Wilhelmus vande Werve. — I. Ioannes van Ranst VII.

SCABINI. — Ioannes van Ursele. — Nicolaus de Herde. — Wilhelmus de Molener. — Nicolaus vander Elst. — Ioannes van Mechelen. — Ioannes Noyts, *iunior.* — Ioannes Schoyte, *Ammani locumtenens.* — Wilhelmus Draeke. — Gerardus vanden Broeck. — M. Wilhelmus vander Heyden. — Aegidius van Wyngaerde.

ARGUMENTUM.

I. Pacificatoribus datur proprius Graphiarius. II. Moritur D. Ioannes ab Halmale tertium Consul, eique ac tribus clarissimis filiis ponitur commune epitaphium.

III. Consecratur suburbana S. Willebrordi ecclesia. Pluvia diuturna. IV. Xenodochium S. Iacobi peregrinis Compostellanis excipiendis erectum.

ACTA.

I. Huius anni PACIFICATORIBUS quatuor quintum addunt Fasti Mss. *Wilhelmum Noyts*, cum titulo *Clerici*, tunc et nunc communi quibuscumque Scribis, etiam mercatorum privatorum, praecipue tamen Collegiorum publicorum, quorum fidem iuramento quoque adstringi mos est. Appellatio autem *Clerici* inde fluxisse ad scribas videtur, quod antiquitus soli illi litteras docerentur, qui Clericatui destinabantur. Wilhelmo Noyts successisse videtur cum eodem titulo, tertio post hunc anno, *Wilhelmus Cuyper;* unde colligas, officium non fuisse annuum, sed prorogabile.

II. Primo autem anni mense obiit D. IOANNES AB HALMALE, Civitatis nostrae tertium Consul, cui eiusque uxori, tamquam clarissimae deinceps familiae capitibus, et quinque exinde natis filiis vario magistratu functis, commune epitaphium positum in aede (ni fallor) Mariana reperio inter Analecta Advocati Nys, eius manu propria sic descriptum :

D. O. M. SAC. ET PIAE MEM.

« IOANNIS AB HALMALE, Armigeri, Domini Ioannis Equitis
» Aurati filii, huius Urbis Consulis, clara et equestris Ordinis
» apud Eburones familia de Landis prognati, XI Kal. Ianuarii
» M.CCCC.LIV defuncti.

» MARGARITAE BACHELIER, eius coniugis, quae obiit
» M.CCCC.LXXXI, VII Idus Maii.

» Dominorum IOANNIS et CONSTANTINI ab Halmale Eqq. Aura-
» torum, et successive Consulum.

» Domini GULIELMI AB HALMALE, Equitis Aurati, primum Con-
» sulis, deinde Praetoris Urbis, Nonis Septembris M.D.LXXXV
» sublati. » Huius tamen nomen in libello Nobilitatis nostrae,

neque inter Consules, neque inter Praetores invenio, sed inter Ammanos tamquam Domini de Vriesele, et defuncti anno M.D.LIII.

» Domini CONSTANTINI AB HALMALE, Equitis Aurati, postquam » constanter Carolo V militarem navasset operam, in senatorium ordinem assumpti : qui decessit v Kal. Iunii, anno » M.D.LXVI.

» IOANNIS AB HALMALE, Armigeri, Senatoris, qui diem obiit » XVI Kal. Decembris M.D.LXXIII.

» Domina CLARA AB HALMALE, VII Idus Novembris, CIƆ.IƆ.XIIIC » (id est, ut ego interpretor, M.D.LXXXVII) defuncta, Parentibus » et Fratribus carissimis, ex testamento poni curavit. »

III. Die XXVI huius anni consecrata est (ut habet vetus Registrum) suburbana Sancti Willebrordi ecclesia : et Snyderi Chronica notat quotidianam septem hebdomadarum pluviam. Secretarius autem Valkenisse addit, quod in festo S. Laurentii cecidit adeo copiosa nix, ut viae essent impermeabiles.

IV. Ad S. Iacobi Hospitale via Caesarea lapidem se vidisse testatur Scribanius, pag. III, cui anno M.CCCC.LIV insculpti sint *Nicolaus de Herde, Guilielmus de Molenere* (ambo ut ante et post non uno Consulatu clari) *Cornelius Lemsens, Ioannes Melus, Ioannes vande Woude, Guilielmus Ottens, ut qui collato aere locum eum posteritati consecrarunt, ubi quotquot D. Iacobi petunt limina, aut soluto voto reduces, hospitii hic iura reperiunt.*

« Tam magna, inquit Scribanius, erat olim illuc concursatio » parentum aevo, cum et pietas in Divos ardorque maior, et » aberat haeresis, ridere et perdere, gelidamque affundere » piae huic flammae edocta. »

A. C. M.CCCC.LV.

Consules xxx novembris. — Ioannes van Mechelen. — m. Wilhelmus vanden Wyngaerde III.

Scabini. — Ioannes van Ranst. — Ioannes van Ursele. — Wilhelmus de Molenaere. — Nicolaus vander Elst. — Ioannes Schoyte. — Ioannes Noyts, *iunior*. — Wilhelmus Draeke. — Gerardus vanden Broeck. — M. Wilhelmus vander Heyden. — Henricus vande Werve. — M. Wilhelmus van Taveryen.

ARGUMENTUM.

I. Parlamentum Mechliniense instituitur. II-III. Fundatur conventus Clarissarum. IV. Tertiariae ultro clausuram suscipiunt.

ACTA.

I. « Celebrem hunc annum Belgis reddidit principium » Iuridicae Curiae supremae ultimaeque cognitionis, cuius » Senatores suam semper Aulam sequi voluit institutor Dux » Philippus, hac ratione subditorum sibi lites appellatione » çogniturus, quaeque alicuius forent momenti, suo iudicio » finiturus; frustra obnitente Parisiensi Parlamento, et iuris- » dictionem refectionemque Gallicam, ex antiqua perpetuaque » consuetudine, quam longissime extendere cupiente. » Atque hoc semen fuit Consilii Maioris, Mechliniae postea constituti, ac deinde bifariam divisi, sicuti, pag. 127, explicat Secretarius Loyens. Addunt nostri Secretarii, quod Dux hic Antverpiae

constituerit Procuratorem Generalem, qui causas, Parisios alias deferri solitas, decideret praesens.

II. Eodem anno, CALIXTUS PAPA III, septimo Idus Iunii, Abbati monasterii S. Michaelis Antverpiae scribit, quod « pro parte » Isabellae, Ducissae Burgundiae, exhibita petitio subiungebat, » quod in Dioecesi Cameracensi nonnullae devotae mulieres, » summum erga Ordinem S. Clarae devotionis affectum geren- » tes, in oppido Antverpiensi, pro usu et habitatione earum, » in loco ad hoc congruo et honesto, per ipsas mulieres eli- » gendo, unum monasterium sive conventum dicti Ordinis, » cum ecclesia, coemeterio, campanili, campanis, refectorio, » hortis, hortalitiis, aliisque officinis necessariis, de novo fun- » dare, erigere et construi facere, ac in eo professionem, » iuxta Regulam S. Clarae, emittere ferventer exoptant; dum- » modo eis ad id Apostolicae sedis suffragetur auctoritas. » Pontifex igitur, per istas suas litteras, praefato Abbati (erat » is XXIV Olardus Terlinck) plenam et liberam licentiam largi- » tur, si praedicta fieri contigerit, quascumque idoneas mulie- » res in Moniales ipsius monasterii, et ad illius professionem » Regularem, per Innocentium Papam IV confirmatam, si eam » in illius manibus sponte ac libere facere voluerint, recipiendi » et admittendi, ac habitum Regularem dicti Ordinis eis exhi- » bendi; nec non unum vel plures Capellanos, per eas eli- » gendos, qui Missas ac alia divina officia in ecclesia dicti » monasterii celebrent, deputandi, atque Vicario Provinciae » Coloniensis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum » subiiciendi. »

III. Electus deinde locus fuit inter Meram et Viam-novam (nunc S. Clarae, DE CLAREN-STRAET dicitur) ubi initium fabricae datum esse anno post haec secundo, tradunt Registra nostra. Waddingus autem, tom. II Annalium, ad annum praenotatum, num. 125, addit, quod « primae Regularis disciplinae Magistrae

» sex ex monasterio Trevirensi venerunt, quarum Abbatissa » fuit Elizabeth de Lindevelt, quae in verae paupertatis amore, » sine proventibus annuis mendicatim ex eleemosynis vitam » tolerantes, perseverarunt usque ad annum M.D.LXXXI, quando » expulsae a Geusiis, Treviros, unde originem duxerant, » confugerunt : atque triennio post in eamdem suam domum » regressae, perseverant usque modo in arctissima clausura et » paupertate. »

IV. Harum aemulatae exemplum, eae quas pridem hic receptas diximus, et *Tertiarias* (DEN DERD' ORDEN) vulgo appellamus, alii *Urbanistas*, ab ea, quam Urbanus IV, anno M.CC.LXII, moderatiorem praescripserat, Regula; ad huius professionem votum clausurae perpetuae addiderunt hoc anno, uti scripsit, proximam ipsis domum habens, Baro le Roy. Atque extunc magis affluente piorum liberalitate, opibus ac numero auctae, coeperunt de nova ecclesia aedibusque amplificandis cogitare. Has cum intra triginta proximos annos perfectas haberent, consecrata ecclesia ipsis est anno M.CCCC.LXXXII, sub nomine et in die S. Agnetis (cuius etiam caput habere se credunt, Ultraiecto allatum); et permissu Capituli coeperunt ibidem venerabile Sacramentum cum sancto Oleo asservare. Eaedem, a Laïcali gradu ad Choralem transgressae, anno M.DC.X, XII Martii, Canonicas Horas ex Breviarii Romani ritu cantare coeperunt : quibus autem ad hoc admissis, satisque instructis, concessa est gratia ut Choro deservirent; concessum quoque est anno post sexto, XX Septembris, *velum nigrum*, quo hactenus caruerant : quae omnia ex ipsarummet Registris, aeque sollicite atque apud Falcontinas servatis, benigneque communicatis, accepi anno M.DCC.III.

A. C. M.CCCC.LIV.

—

Consules xxx novembris. — Ioannes van Ranst. — ii. Ioannes Noyts IV.

Scabini. — Petrus Reyniers. — D. Ioannes van Ursele. — Wilhelmus de Molenere. — Ioannes van Mechelen. — Iacobus Kerreman. — Wilhelmus Draeke. — Ioannes Schoyte, *Ammani locumtenens.* — Ioannes vanden Wyngaerde. — Gerardus vanden Broecke. — M. Wilhelmus vander Heyden. — Henricus vande Werve.

ARGUMENTUM.

I. Philippi Ducis, pridem absentis, festivior exceptio. II. Secretario, primum uni, nunc gemino, additus tertius, ac denique quartus. III. Burggraviatus noster transit ad Nassavios. IV. Horum ditiones dividuntur bifariam. V. Pulsus campanae ad clausuram portarum ordinatur. Vites a frontibus aedium auferri iubentur. VI. Ius piscationis Civitati emptum. VII. Mulier viro immorigera Ardenburgum in peregrinationem missa.

ACTA.

I. Festiviorem hunc annum Antverpiensibus fecit, teste Secretario Valkenisse, philippi Ducis, pridem absentis, optatissimus reditus, extraordinariis prorsus publicae laetitiae testificationibus exceptus. Afferebat ille secum, a novo Pontifice Calixto III, confirmationem Episcopatus Ultraiectini, pro filio suo notho Davide, qui Ecclesiam et Civitatem illam totos triginta annos, varia fortuna et fama rexit, ut apud Hedam videre est.

II. Unus hactenus Secretarius suffecerat Magistratui nostro; nunc horum auctior numerus prodit in Fastis; ac primo *Kiekens* et *Adriani*, solo (ut ferme Secretariis in usu ad subscriptiones est) cognomine expressi : nunc tertius comparet, *M. Arnoldus Beukeleer*, et quidem ut *Substitutus* loco *vanden Berghen* cuiusdam, vita vel officio decedentis. Iidem autem continuantur anno sequenti; iisque additur *Wilhelmus van Taveryen*; ut iam quatuor sint, totidem futuri anno altero, deinde duo, tres, quatuor, donec numerus in quaternario stetit, nominibus posthac omittendis.

III. IOANNA, BURGGRAVIA Antverpiensis, huius nominis prima, *Ioannae II* et Ioannis Lossensis filiae et heredi unicae, tradidit Burggraviatum nostrum. IOANNA autem II, hoc anno, nupta est Ioanni, Comiti Nassaviae, die X Septembris; tenuitque locum XII in ordine Burggraviorum. Per hanc quomodo transiverit ad Nassavios Dominosque Bredanos Burggraviatus, ut intelligatur, sciendum, quod *Ioannes Pollanus*, anno, ut supradictum est, M.CCC.L, Dominium Bredanum a Duce Brabantiae consecutus, *Ioannem secundum* genuit, cuius unica filia et heres IOANNA, anno M.CCCC.III, undennis nupsit GODEFRIDO, Nassaviae et Viandae Comiti, et per illam inter Dominos Bredanos primo huius nominis. De hoc scribit Bredanae civitatis Secretarius Rivius, in sua Epitome Chronici Bredani Maioris (ab anno M.DC.LXIV promissi, sed necdum editi, neque, auctore mortuo, facile nunc edendi) scribit, inquam, Rivius, quod anno M.CCCC.IV solenniter receptus in Dominum, anno M.CCCC.XVII, coram Duce Philippo ab eodem cautionem accepit, protestatus, de non ferendo praeiudicio, quia (in quadam expeditione secutus fuerat vexillum Antverpiensium; nolens scilicet eo facto ipsis obnoxius censeri, licet Riensis Provinciae caput esset Antverpia). Item quod anno M.CCCC.XXXIII et XXXIV, nonnullas cum eisdem Antverpiensibus habuerit controversias, quas praefatus Dux, pronuntiata gemina

sententia, composuerit; ac denique obierit quatuor annis ante uxorem Ioannam, Ioannis Lossensis filiam unicam, et THOMAE, Diestensis ac Zichemensis Dynastae, atque Burggravii Antverpiensis neptem heredemque : qua mortua, in Burggraviatum successit, primo videlicet anno M.CCCC.XLII. Ambo autem, *Godefridus* et *Ioanna*, sepulti iacent in illo pulcherrimo, si ullum uspiam, monumento, quod ille sibi ab anno M.CCCC.X. construxerat, quodque aeri incisum repraesentat Baro Le Roy, post pag. 436.

IV. Eorum primogenitus fuit IOANNES tertius, qui ducta MARIA VAN LOON et Heynsberge, ex ea genuit ENGELBERTUM II atque *Ioannem* : inter quos ditiones suas adhuc vivens divisit; ita ut *Engelberto*, quem anno LVIII emancipaverat coram Senatu Bredano, cederet omnes suas cis Rhenum ditiones; alteri, ceteras trans eumdem Rhenum; unde stirps alia Nassaviorum in Germania. Burggraviatum tamen nostrum, cum Diestemensi ac Zichemensi dominiis, videtur sibi retinuisse IOANNES, quoad vixit, id est usque ad M.CCCC.LXXV, defunctus Dilburgi in Germania, die III Februarii, et Bredae cum uxore et parentibus tumulatus. Etenim idem Rivius asserit, quod eos titulos primum acquisivit GODEFRIDUS II (nescio a quo interim possessos) anno M,CCCC.LXXXIX. Atque haec ex Rivio placuit consequenter deducere, ut appareat, quomodo Burggraviatus noster devenerit ad Nassavios, sub quibus et perseveravit usque ad finem seculi XVII.

V. Propius ad Civitatis politiam attinent decreta duo, hoc anno promulgata, et digna visa quae Fastis huius anni praenotarentur ante nomina Consulum, Scabinorum, etc. atque, ut memoriae firmius imprimerentur, disticho gemino rhythmice consignata.

DE POORT KLOK, DIT WEL GLOSSEERT,
TE LUIDEN DES AVONTS GEORDONNEERT :
De campana ad portas claudendas glossetur
Quod vesperi pulsari diligenter mandetur.

VI. Doen wert t'Antwerpen geboden de wyngaerde aftedoene,
die voor de liedens huysen stonden lustich en groene.

Tunc vites auferri Magistratus mandabat,
Quarum tunc viror Civium domos ornabat.

Eo certe tempore, quo pleraeque plebeiae domus fronte argillacea, aut ut summum lignea praestructae erant, amoenitatem non modicam vites istae in altum perductae conciliabant; commodum etiam proventum uvarum, hortum domesticum nullum habentibus : sed experientia docebat eiusmodi ornatum multis nequitiis occasionem praebere, et nocturnis furibus commoditatem in ipsas domos subrependi, ut taceam iurgia inter vicinos, palmitibus ab una domo ad aliam protractis, vel uvis ex proxima sublatis.

VII. Publicam interim utilitatem spectabat, quod « Civitas » hoc anno redemit ius piscationis infra urbem usque Austre- » welam, a Iacobo Wilmaer, Costino van Halmale et Nicolao » vander Elst, » teste Caukerkio.

Privatum magis, sed utile ad exemplum, quod ex Maiori Papyraceo, fol. 88, refertur de muliere, « quae infantem ex se » genitum, invito patre subtraxerat a nutrice, cui is eum com- » miserat nutriendum. Haec scilicet ad querelam viri condem- » nata fuit in peregrinationem Ardenburgum in Flandria, cultu » Deiparae celebre oppidum, obeundam, et quatuor nummos » equestres solvendos, quorum duo Principi, alii duo Civitati » cederent : sed quia paupercula erat, remissi eidem duo prio- » res sunt. »

Hinc colligas, infantem fornicationis fuisse : patrem vero sat opulentum, qui prolem suam voluerit liberalius educari, neque ulterius obligari matri, quam habere uxorem nollet; quod illa forsitan intendebat ea ratione obtinere, vel saltem ab eodem, titulo alendi filii, sustentari lautius.

A. C. M.CCCC.LVII.

Consules xxx novembris. — Nicolaus vander Elst V. — iii. Nicolaus de Herde III.

Scabini. — Ioannes Noyts. — Ioannes van Ranst. — Wilhelmus de Molenere. — Ioannes van Mechelen. — Ioannes Schoyte. Wilhelmus Draeke. — Gerardus van Broecke. — Aegidius vande Wyngaerde. — M. Wilhelmus vander Heyden. — Henricus vande Werve. — Walravus Draeke.

ARGUMENTUM.

I. Annus praemature vernans. II. Contumelia in Collegium Scabinale temere iacta, et severe correcta. III. Susceptus a Duce Delphinus Franciae, Regem patrem fugiens. Gennapii natus ei filius Ioachimus, Hallis Deiparae sepultus. IV. Lutum publicitus colligi coeptum. V. Officiorum civilium permissa Magistratui collatio. VI. Horologium in turri Mariana positum, et Porta Wervensis fundata atque aperta. VII. Repressa foris insolentia militaris.

ACTA.

I. « Verna huius anni temperies adeo praecox fuit, ut dies » xiii Februarii videretur esse xxiv Iunii, quo S. Ioannis Baptistae nativitas recolitur. Fulgebat nempe amoenissimus sol, » et ventus, ab Oriente spirans, adeo tepefecerat aërem, ut die » xxvi eiusdem Februarii, violae aliique veris flores prodirent, » et aves cantu mulcerent aures. Duravit autem serenitas ista » usque ad festum S. Gertrudis, xvii Martii, » teste, in suis Collectaneis, Secretario Valkenisse, qui etiam asserit, quod « mensis » Maius adeo pluvius fuit, praesertim circa Lovanium, ut » pecudes et mapalia rusticana torrentibus per agros aquis

» abriperentur, hominibus autem confugiendum esset ad mon- » tana et turres. »

II. Die xx Martii, *Wilhelmus vanden Moirtere, Interpres* (an Civitatis ex officio, quod tamen alibi nusquam reperio? an ex plurium linguarum scientia et professione?), « cum dixisset, » quod Ioannes van Ursel, Scabinus, solus loqui vellet, et » pari titulo ipse esset in causa, quae tractabatur, damnatus » fuit ad veniam, apertis valvis, ab offenso petendam, profi- » tendumque quod eiusmodi verba sibi inconsiderate essent » elapsa; insuper mulctatus est in sex libras cerae, quarum » quatuor ad D. Virginis, duae ad S. Iacobi expenderentur; » ipse vero in honorem trium Regum peregrinaretur Coloniam, » et Cameracum ad D. Virginem. » Ita vetus Registrum Civitatis in Pergameno, fol. 208, apud Valkenisse; exemplum posteris, quanta cum gravitate causae civiles in Scabinali maiorum nostrorum Collegio tractarentur.

III. Pascha eo anno celebratum fuit xvii Aprilis, atque adeo festum sanctissimae Trinitatis xii Iunii, quando Philippus dux ad spectanda amburbalia secum Antverpiam deduxit ludovicum, Galliae Delphinum, quem, superiori anno, a patre irato profugum, benignissime exceperat, Regi factum excusans per legatum, cui hic sagaciter respondit: *Videret Philippus, ne vulpem aleret, suas olim gallinas voraturam;* vel (ut alii), *ne lupum foveret, in oves eius aliquando grassaturum.*

« Interim eidem Delphino, Gennapiensi in arce extimisque » ad Mosam Brabantiae finibus, natus est filius, cui Philippus, » Dux, patrinus, et Domina Carolesii matrina erant, » ut notat Secretarius Valkenisse, addens etiam filiam successive genitam nomine *Annam,* quae deinde facta sit Ducissa Brabantiae (Borbonii scribere voluit, credo) filio autem positum nomen *Ioachimi.* Sed breve hoc patri gaudium fuit; iste enim obiit infans, et Hallis in sacello Deiparae monumentum habet, quod, hactenus

neglectum, libenter, credo, videbunt Franci talium curiosi. Infantem obiisse, probat mortui icuncula infantilis in lapide. Annus mortis non satis definite exprimitur, et omittitur dies mortis spatiumque aetatis; credo, quia Hallis ignorabantur. Id ut credam, faciunt verba subscripta. *Hic iacet Ioachimus, Galliae Delphinus, Ludovici XI filius, qui obiit circa annum* M.CCCC.LX. Nemo tum temporis vivens ita scripsisset, sed *Ioachimum, Ludovici, Galliae Delphini, filium, nepotem Regis Caroli VII.* Ut ut est, mirum mihi videtur, *Ioachimi* nomen, adeo peregrinum Francis, proli Regiae datum; nisi quis doceat dilatam fuisse nominis usitatioris designationem, donec, mortuo Carolo, Ludovicus ipsemet *Rex* dici posset, et filius eius appellari *Delphinus.*

IV. Eodem tempore, quo Delphinus ipse apud Philippum Bruxellis plurimum morabatur, fuit institutum Antverpiae, ut lutum per plateas ac vias publicas colligi a quovis volente solitum, sicut hodiedum fit Gandavi (cum honesto pauperum familiarum, inde cum liberis viventium, quaestu); ut lutum, inquam, converteretur in Civitatis emolumentum, iure colligendi ipsum elocato; primo quidem exigua omnino summa, quadraginta librarum Brabanticarum; sed fructu successive ampliori, adeo ut centesimo abhinc anno Caukerkius in publicis Registris invenerit, summam proventus annui accessisse ad florenos bis mille quadringentos quinquaginta quinque. Redemptor huius operis de suo curat carros et equos bonos, totidemque eorum ductores, MOOSMEYERS dictos, circiter triginta unum, stata in singulos carros, quos impleverint et ad ripam foenariam, DE HOYKAY, exoneraverint, Brasdenarii unius mercede. Idem habet ancillas ad singulos carros duas, quae converrunt sordes in cumulos plateatim ordinatos per intervalla pedum sedecim. Ad hos cum pervenerint equi, ultro solent consistere; adeo ut eorum unus, redemptus ob praestantiam ad rhedam nobilem trahendam, numquam dedoceri potuerit, quin dominas suas

ante ipsas sordes sisteret, reddendusque solito usui fuerit. Cum autem viae antea mundissimae, per negligentiam collectorum, quos copia faciebat tardiores, minus quam antea accurate purgarentur, etiam pro diebus festis, indultum rusticis vicinis est, ut, quolibet Sabbatho et pridie Maiorum Solennitatum, cum carris et famulis Civitatem possint ingredi; quos summo mane videas ante portas Civitatis praestolari, et collectores ordinarios, ex aemulatione ferventiores in opere : sed Gandavi et Mechliniae manet causa maioris nitoris, dum istic nemini licet efferre domesticas sordes in publicum, quas libenter excipiunt, qui suum inde lucellum captant pauperes. Antverpiae vero nemini licet sordes, semel publice expositas, in hortulos suos auferre. Quod rudus coementarium attinet, id a fabris eiectum, nivesque e tectis impluviisque domorum, nec illud nec has colligi redemptor fimi permittit, utpote ipsi inutile; gratiam tamen facit illis, alias vacaturis, lucellum aliquod captandi ex nivibus auferendis in fossas Civitatis; rudera vero avehunt alii ad moenia in loca ab Aedili seu publicae fabricae Praefecto, DEN BAUMEESTER, assignata circa moenia, ubi eis opus est ad implendas lacunas vel aggeres elevandos; quibus stuferi tres in singulas vecturas pendunt ii, qui eorum opera indigent, ne mulctam subeant pendendam iis, qui patiuntur effossam pro fundandis novarum aedium fundamentis terram aut veterum parietinarum rudera, diutius quam publico commodum sit, ante domos suas iacere.

V. Caukerkius, hoc anno, indicat insigne privilegium, datum XVII Iulii, « quo Civitatis iuri et dispositioni reddidit Dux ea » omnia officia politica, quorum collationem sibimet conser- » vaverat; ut ea deinceps ipsa Civitas, sicut antea consueverat, » largiretur quibus vellet, constituendo mensores linei ac » lanei panni, agrorum ac vini, collectores etiam fimi, scribas » pecudum et porcorum, conditores halecum, aestimatores

» piscium, et alios quosdam. Quantum autem, pro eiusmodi » privilegio recuperando, Principi solutum sit, non explicatur. » Edelherius ipsum allegat ut inveniendum I vol. folio 148, et in Maiori Papyraceo, fol. 91; « sed addit, reservasse sibi Principem » officium praesidendi auctionibus, DE MYNE, ideo dictum, quia » emptio fit per verbum *meum*, dum auctionator ab instituto » a se pretio tam diu descendit, donec aliquis rem proclamatam » sibi vindicet, dicendo MYN. Reservavit etiam sibi Princeps » lucrum inde proveniens, *Innegeltae* colligendae munus, et » ipsum, partim a Principe, partim a Civitate conferendum » statuit, manente tamen iure Civitatis, ad ipsam totam elo- » candam, simul cum Dominiorum Ducalium Receptore, cui » etiam locator cautionem praestare iubetur; idem nihilominus » subiicitur cognitioni Civitatis, ab ea iudicandus. »

VI. Horologium grande, hoc anno turri Marianae impositum, invenio apud Secretarios, fusamque maiorem campanam; et apud Gramayum, pag. 53, lego, quod accesserit lusus campanarius, horarum praeambulum, anno M.CCCC.LXXXI. Maioris tamen commodi atque utilitatis fuit *Porta Wervensis*, quae hactenus nulla ad Scaldim erat, eo quod ad firmitatem castri spectare videbatur, ad ipsum, ex ea parte, non nisi unicam principalem portam patere : haec autem erat carceraria, unde ad ripam descendebatur secundum occidentale latus firmissimorum ac vetustissimorum murorum : iam vero patefacti muri illi non ita pridem erant, permissu Ducis, ad caput viae Saccensis, versus Orientem. Restabat ergo ut, sicut illuc a civitate ad Burgum aditus iam patebat ab Oriente, sic etiam per ipsum aperiretur rectus transitus mercibus curribusque ad Scaldim. « Cum ergo » Ioannes Erbout eiusque uxor domum haberent muro isti » contiguam, sub eaque caveam cum postico ad Wervam, » iuxta indultum anni M.CCCC.XI, optavit Civitas iustam et » amplam Portam ea parte aedificari, cuius duae essent claves :

» una penes possessorem istius domus, altera penes Ma-
» gistratum; utraque autem noctu deferretur ad Curiam
» cum reliquis portarum urbanarum clavibus. » Huic operi necessaria erat licentia Principis, quam pollicebatur ab eo impetrandam Civitas, ut est in magno Papyraceo; neque dubito quin impetraverit, sed dubito an tam humilis porta fuerit, ut per caveam eundum ad ripam fuerit, ipsoque steterit loco, ubi stat hodierna ad radicem clivi castrensis. Etenim aliquanto ulterius in ipso castri muro conspicitur semicirculus lapidum quadratorum, et quasi coronamentum alicuius, quae ibi olim fuerit, portae; nunc vero, aggesta arena, altiusque educta Wervae crepidine, inferiori sui parte obtegitur, potuitque transitum praebuisse ad ripam, tunc multo quam nunc humiliorem.

VII. Ita consultum cum esset commoditati mercatorum, cura etiam impensa est securitati accolarum adventantiumque per Brabantiam, quibus molesti valde erant milites Ducis, Traiectum ad Mosam ultro citroque commeantes, et rusticis onerosi : de quibus cum a Statibus Brabantiae essent ad Principem delatae querelae, hic non solum « confirmavit privilegium anni
» M.CCCC.LI; sed insuper statuit, quod Brabanti, nec extra nec
» intra civitates, gravarentur militibus habendis : quod si ne-
» cessitas cogat eos per provinciam iter facere, conducendis
» ipsis adiunget officialibus militaribus Cancellarius duos ex
» Consiliariis, aut ex Deputatis civitatum capitalium, per
» quarum terras eundum erit, ne quod damnum rusticis
» agrisve inferant : secus si contingat, deberent Consiliarii
» isti informationem rei totius sumere, et Capitaneos manere;
» in casu autem denegatae iustitiae, omnibus officialibus daba-
» tur potestas damni compensationem faciendi et exigendi,
» super personas et bona eorum, de quibus frustra questi
» fuerint. Quod si ipsis officialibus non suppetant vires ad

» executionem requisitae iustitiae, permittit Princeps tales » personas carceri mancipari, eorumque bona arrestari. » Ita sonat Privilegium, desuper expeditum, et in lib. Holos. relatum, fol. 70 v.°, atque a Pensionario Nys allegatum; et ante eos a Collectore Anonymo, allegante huic conforme eiusdem Philippi Ducis rescriptum, expeditum anno M.CCCC.XXX, ex I vol. Priv. fol. 524; et ex Holoserico antiquius aliud Ducis Ioannis, datum anno M.CCCC.XXII, descriptum fol. 47.

A. C. M.CCCC.LVIII.

—

Commissarii ad renovationem magistratus. — Dominus de Croy. — D. Iudocus van Rhyt, *Cancellarius.* — D. Ioannes van Ranst. — D. Laurentius van Wachelgem.

Praetor. — D. Ioannes vander Brugge.

Ammanus. — Aegidius Putoir.

Subscultetus. — Hugo de Koninck.

Consules xxx novembris. — Ioannes van Ranst IX. — XI. M. Wilhelmus vander Heyden.

Scabini. — Wilhelmus vanden Wyngaerde. — Nicolaus de Herde. — Wilhelmus vande Werve. — Wilhelmus de Molenere. — Nicolaus vander Elst. — Ioannes van Mechelen. — Ioannes Schoyte. — Ioannes Noyts, *iunior.* — Wilhelmus Draeke. — Gerardus vanden Broeck. — Walravus Draeke.

Quaestores. — Henricus van Mechelen. — Ioannes Noyts, *iunior.*

ARGUMENTUM.

I-II. Eleemosynariorum Camera instituta. III-VI. Huius oeconomia, VII. et eorum series usque modo. VIII. Tostrina, DE BRAEYERY-STRAETE, amotis impedimentis, largior facta euntibus ad Curiam et Forum. IX. Werva palis firmata. X. Lanionibus praescriptae leges. XI. S. Michaelis Abbati datum ius annuli et mitrae. XII. Ad portam S. Georgii structum propugnaculum. XIII. Philippi Ducis edictum de incendii reis atrocissimo vivicomburio afficiendis.

ACTA.

I. ANNUM hunc natalem suum censet ELEEMOSYNARIORUM Antverpiensium venerabile COLLEGIUM, quando Snyderi Chronica, et ex hac alii, primos nominant ad id charitatis christianae ministerium electos die IV Decembris, *Aegidium van Loenhout, M. Ioannem de Barbier,* et *Ioannem Wilmaer.* Caukerkius tamen, neminem nominans, biennio citius initium illorum ponit; quando fortassis primum ea de re conceptum decretum fuit. Eorum series in hunc usque diem continuata, uti mihi ex ipsa Camera fuit communicata, primum dumtaxat huic anno adscribit, sequenti, alterum; ac postea, tertium; deinde vero singulis annis novos duos, qui in officio sunt continuati, usquedum, primo relevato, ac deinde duobus aliis, denique simul octo in ministerio essent. Eorum oeconomiam omnem Carolus Scribanius noster explicans in sua Antverpia, §. 21, cui titulus *Liberalitas,* meretur hic verbotenus legi ex pag. 88.

II. « Universo pauperum aerario praesunt viri octo. Priores » quatuor ab Eleemosynarum erogatione nomen sortiti, poste- » riores a Spiritus Sancti benevola largitione; annisque singulis » duo e civium potentissimis, planeque primis, opibus, in- » dustria, fide, moribus, deliguntur, qui oneris, quod in re » tanta tamque varia occurrit, partem ferant, abeuntibus hoc » quasi magistratu retrorsioribus duobus, qui quartum iam » annum expleverunt. Delectorum munus est, toto, quo hanc

» functionem obeunt quadriennio, seriam pauperum tota urbe » dispertitorum curam gerere, nec pati quemquam ab egestate » vinci, aut immori huic ineluctabili plurimum malo. Sed et » perpetua lege tenentur nulli petenti eleemosynam negare, » nullum indonatum dimittere, civis ille sit an alius. Id quo » facilius certiusque peragant, urbe tota ostiatim templatimque » subsidia pauperum aerario poscunt. Rarum hoc in primis » viris, et opulentia magnis, manum ad stipem porrigere, » quam si liberalem consecuti fuerint, pari liberalitate partiun- » tur: sin minus, non ideo contractior dextera est; de suo » numerant : adeoque haec res crescit, ut non raro decem, » duodecim, plura etiam aureorum millia e domestico singuli » aerario profundant, redhabituri, si eleemosynae patiantur, » si indigentium penuria; sin minus, qui in proximum subro- » gantur annum, abeuntibus de suo numerant quidquid in » egentes privato aere contulerunt; itque in annuum orbem » erogatio haec et redhibitio, et tangit quotquot ad hoc munus » deliguntur.

III. » Ut vero primum allecti sunt, solenni recepto maiorum » ritu iureiurando se obstringunt, bona fide se pauperum res » curaturos, serio invigilaturos, remque omnem sine fraude » et dolo administraturos. Inde qui prior se obstrinxit, deligit » alterutram Civitatis partem, quae in duas prope partes dis- » pertita est : secunda alteri concessa. His deinde incumbit » eleemosynarum in suis singulis partibus corrogatio, annique » secundi administratoribus ope et consilio adesse, collectam- » que pecuniam ad pauperum aerarium deferre. Annum priorem » ubi expleverint, transeunt ad anni secundi munia : qualia fere » sunt; primi quidem, si quae testamento legata, si quae gra- » tuita ac quasi de manu-donatione, si quae vicatim templatim- » que relata, universim potius quam singulatim, in rationes » referre; singulatim vero in easdem, si quae ex annuo censu

» redacta. Frumenti deinde, lignorum, panni lanei, lineique, » omniumque adeo, quae egestas poscit, curam gerere : secundi » vero, expositiiis serio invigilare, quos, salutari ante aqua tin» ctos, educandos in vicinam mittit Campiniam (mille fere hi » sunt, et plures; millia etiam interdum, non urbis tantum » huius, sed vicinorum locorum), qui ubi octavum, summum » decimum, attigerint annum, educti e rustica disciplina, urbi» cis assuescunt moribus : ac puellae quidem, in designatam » hanc in rem domum, pueri in suam.

IV. » Ita sua cuique sexui domus servit, in quibus Chri» stiane educantur, et mechanicae alicui arti, pro suo cuiusque » ingenio, addicuntur; haerentque plurimum in his aedibus in » decimum septimum aetatis annum, aut decimum octavum; » inde ad varia destinantur obsequia : puellae quidem, omnem » puellarum artem edoctae, ancillatum in honestam aliquam » et piam familiam; adolescentes, ut aut de suo iam vivant, aut » e famulatu : manentque sub eorum cura, qui huic pauperum » aerario annuatim praesunt, donec certo vitae generi, cum » bona Patrum, quos vocant, venia, sese addixerint : quorum » si voluntate matrimonio se iunxerint, non patiuntur deesse » dotem. Sub exitum vero anni secundi, quotquot certis aedi» bus in commune, quotquot etiam per suas singuli dispersi » familias de publico vivunt, vestibus donantur. Et ingens hic » numerus est, ut praeter priores, qui plurimi sunt, excrescat » in octingentas aut plures familias.

» Expletis annis duobus, novus succedit labor; et prior qui» dem in Cathedrali ecclesia panibus hebdomadatim erogan» dis praeest; cuius etiam curae pars sunt evocati ex agris » (quorum meminimus) pueri, variaque egentium mulierum » ac virorum receptacula, in quibus certis legibus certaque » in septimanas singulas eleemosyna contubernatim vivunt : » secundus idem per omnia munus obit in S. Walburgis,

» puellarùmque (quarum mentionem feci) curam gerit. Pos-
» teriore anno, prior eadem peragit in ecclesia D. Iacobi,
» secundus in ea quae D. Georgio dicata est. In hac poste-
» riorum annorum administratione, in designatos variarum ec-
» clesiarum pauperes conferuntur, quae variis, prout cuiusque
» affectus traxit, ecclesiis aut locis voluerunt esse perpetua,
» quibus a S. Spiritu nomen indiderunt. »

V. Hactenus Scribanius : deinde docet, quomodo ante annum M.D.LX, communi Octo-virorum consilio totum pauperum aerarium regi solitum fuerit; quamvis, divisis Cameris, seiunctas ab invicem rationes haberent, donec anno M.DC.X placuit in unam massam colligi omnia, sublata obligatione seorsim agendi. Talis autem duarum Camerarum coniunctio adeo nihil imminuit priorum quatuor laborem, aut industriam retardavit, ut post annos abinde LX, postremis eiusdem seculi XVI singulis dicat Scribanius (suum hinc excursum finiturus) per eosdem quatuor corrasa, *qua ostiatim, qua templatim, sexaginta, septuaginta, octoginta florenorum millia.* Tum vero : « Quid, integra,
» inquit, republica, sperari posset, cum hac prostrata et qua-
» draginta annorum civilibus bellis attrita, populique parte
» maxime viduata, negotiatoribus destituta, commerciis nu-
» data, nobilitate exhausta, tam ingentia videamus propensi in
» omnem munificentiam affectus documenta? » Interim post integrum unùm seculum nunc cogitet lector, quantum fortuna Civitatis defluxerit per omnem modum, et nihilominus eadem multoque graviora onera a sic afflicta Civitate sustineri, ex Eleemosynariorum serie, ad hunc usque diem non interrupta, quam placet hic attexere; digni sunt enim aeterna memoria, quandoquidem communis oneris partem tam notabilem illi sustinent, non solum gratis et magno cum impendio temporis, lucri cessantis ac curae, sed etiam propriarum facultatum. Adde, quod eorum quoque uxores, aeque ac viri, operam conferant

ad oeconomiam piarum domorum, ab eadem Camera dependentium, ordinandam : nec enim assumitur aliquis, nisi, coniugio devinctus, adiutorium habeat simile sibi : quapropter etiam nemo eligitur, cui uxor non sit annos ut minimum viginti quatuor nata, et in tam late diffusa familia pauperum apta Matris titulum gerere.

VII. Porro, quoties continget in sequenti serie nominari tres, aut etiam quatuor pluresve novos Eleemosynarios, uno anno electos, scito solos duos primae creationis esse, reliquos successive substitutos in locum defunctorum, necdum integre expleto ministrationis suae tempore; nec ad aliud teneri ita communibus suffragiis suffectos, quam ad id quod alter non complevit, nisi forte ad initiale convivium : quo fit ut eiusmodi supplementum cupide ambiatur, nec tamen altera vice eligi possit sic defunctus ministerio illo.

DD. ELEEMOSYNARIORUM CHRONOLOGICA SERIES A DIE IV DECEMBRIS HUIUS ANNI.

M.CCCC.LVIII. Aegidius van Loenhout.
. . . .LIX. Ioannes de Barbier.
. . . .LX. Ioannes Wilmaer.
. . . .LXI. Iacobus de Hooghe. — Henricus Verbeecke.
. . . .LXII. Ioannes de Bloote. — Nicolaus Boyens.
. . . .LXIII. Wynand in 't Vlashuys. — Wilhelmus vanden Berghe.
. . . .LXIV. Petrus Claes. — Ioannes de Been, senior.
. . . .LXV. Iacobus Danckaerts. — Ioannes Simons.
. . . .LXVI. Iudocus van Elsacker. — Ioannes Wilmaer.
. . . .LXVII. Petrus Muylhout. — Iacobus de Cock.
. . . .LXVIII. Ioannes de Boeckelere. — Henricus van Lier.
. . . .LXIX. Cornelius van Hille. — Ioannes in 't Sweert.

M.CCCC.LXX. Ioannes de Brouwere. — Nicolaus Riddere.
. . . .LXXI. Iacobus Mannart. — Petrus Cloot.
. . . .LXXII. Nicolaus de Bot. — Ioannes Messens.
. . . .LXXIII. Ioannes Verheyen. — Walterus van Hackendonck.
. . . .LXXIV. Adrianus van 't Reepken. — Ioannes Spijker.
. . . .LXXV. Adrianus de Cater. — Petrus Huge.
. . . .LXXVI. Ioannes de Bock. — Iacobus Hugens.
. . . .LXXVII. Wilhelmus van Woonsele. — Nicolaus de Mandemaker.
. . . .LXXVIII. Ioannes Iacobs. — Nicolaus Gillyts in den Biekorf.
. . . .LXXIX. Walterus Schillemans. — Henricus Bijns.
. . . .LXXX. Wilhelmus van Wickelen. — Ioannes van Eeckeren.
. . . .LXXXI. Gerardus Terlinx. — Adrianus de Man.
. . . .LXXXII. Ioannes Soutman. — Henricus vanden Ende.
. . . .LXXXIII. Iudocus van Tucklant. — Cornelius van Leyen.
. . . .LXXXIV. Arnoldus van Alleman. — Petrus Bertels.
. . . .LXXXV. Michael Verbeeck. — Martinus Vervocht.
. . . .LXXXVI. Cornelius van Langendonck. — Ioannes Michiels.
. . . .LXXXVII. Herebaldus Rotgheerts. — Ioannes vanden Moirtere.
. . . .LXXXVIII. Petrus van Dale. — Adrianus de Mangeleer.
. . . .LXXXIX. Lucas Peeters. — Ioannes Lauwers.
. . . .XC. Nicolaus Schillemans. — Michael van Roye.
. . . .XCI. Nicolaus van Driele. — Iacobus vander Geest.
. . . .XCII. Michael de Lege. — Ioannes Maes.
. . . .XCIII. Cornelius vander Ast. — Arnoldus de Clerck. — Ioannes van Loovere. — Iudocus van Thielt.
. . . .XCIV. Cornelius Struyve. — Alexander van Groesbeke.

M.CCCC.XCV. Cornelius Bacx. — Iudocus Boonaert.
. . . .XCVI. Ioannes de Koninxcroon. — Alexander vanden Berghe.
. . . .XCVII. Wilhelmus de Vos. — Ioannes de Schot.
. . . .XCVIII. Ioannes van Ockelen. — Ioannes Seghers.
. . . .XCIX. Ritsardus Arnouts. — Cornelius Lambrechts.
M.D. Daniel de Munter. — Franco Coelheys.
. . .I. Didericus van Meurs. — Laurentius Goossens.
. . .II. Arnoldus de Pape. — Wilhelmus Simons.
. , .III. Petrus Dijck. — Henricus Adriaens.
. . .IV. Thomas van Houtte. — Ioannes van Dale.
. . .V. Simon Gelders. — Ioannes Schoenmakers.
. . .VI. Ioannes Adriaensens. — Wilhelmus Liberme.
. . .VII. Petrus Pickaert. — Iacobus Antheunis.
. . .VIII. Iacobus Cornelissens. — Ioannes Crull.
. . .IX. Ioannes van Houte. — Ioannes de Milde.
. . .X. Ioannes Bollaert. — Ioannes Bruggen.
. . .XI. Nicolaus Lambert. — Nicolaus de Witte.
. . .XII. Arnoldus van Dale. — Ioannes van Yteghem.
. . .XIII. Christianus van Esbempde. — Didericus Peeters.
. . .XIV. Ioannes de Weert. — Magnus de Bullestraete.
. . .XV. Hermannus Heerbeke. — Petrus van Driele.
. . .XVI. Paulus Cornelissens. — Petrus van Hoboken.
. . .XVII. Simon Busschop. — Andreas van Mast.
. . .XVIII. Hubertus Vorselman. — Servatius Stollaert.
. . .XIX. Antonius Adriaenssens. — Gisbertus Lossaert.
. . .XX. Arnoldus Helleman. — Adrianus Mussche.
. . .XXI. Ioannes vande Meeren. — Michael de Meyer,
. . .XXII. Henricus Schurmans. — Didericus Sculenborg. — Ioannes Ysebout.
. . .XXIII. Nicolaus de Clerck. — Ioannes vanden Eynde.
. . .XXIV. Ioannes de Ionge. — Henricus Adriaens.

M.D.XXV. Elias Veriuys. — Ioannes van Aelst.
. . .XXVI. Paulus Denijs. — Robertus Stocvis.
. . .XXVII. Adrianus de Vogeleer. — Rumoldus Seris.
. . .XXVIII. Gaspar Loesschart. — Wilhelmus van Trier.
. . .XXIX. Andreas Adriaenssens. — Alexander de Pijpe.
. . .XXX. Iudocus Nagels. — Wilhelmus de Molenere.
. . .XXXI. Henricus van Achelen. — Cornelius Dijck.
. . .XXXII. Ioannes de Lengaigne. — Paulus Robijns.
. . .XXXIII. Iacobus van Bueren. — Ioannes de Pauwe.
. . .XXXIV. Adolfus Iacobijns. — Henricus Laureys.
. . .XXXV. Ioannes van Turnhout. — Ioannes de Clerck.
. . .XXXVI. Iacobus Peeters. — Adrianus Lambrechts.
. . .XXXVII. Franciscus Anthonis. — Franciscus vander Veren.
. . .XXXVIII. Ioannes de Meyer. — Wilhelmus van Immerseel.
. . .XXXIX. Ludovicus de Munter. — Iacobus de Cordes.
. . .XL. Ioannes de Lantmeter. — Aegidius van Breuseghem.
. . .XLI. Goswinus Boischut. — Gummarus Raye.
. . .XLII. Franciscus Stuytelinck. — Cornelius Adriaenssens.
. . .XLIII. Ioannes vanden Steen. — Aegidius van Breen. — Ioannis Anthonis.
. . .XLIV. Arnoldus Pelts. — Adam Reyniers.
. . .XLV. Sebastianus vande Velde. — Ioannes Gamel.
. . .XLVI. Tilmannus van Kessel. — Bartholomaeus Gillis.
. . .XLVII. Petrus Francx. — Franciscus Warner.
. . .XLVIII. Iacobus Wolfaert. — Ioannes Hockaert.
. . .XLIX. Henricus Hofman. — Laurentius Borrekens.
. . .L. Henricus van Boechhaut. — Ioannes vanden Broecke.

M.D.LI. Franciscus vanden Cruyce. — Aegidius de Smidt.

. . .LII. Theobaldus Pruenen. — Aegidius de Sorbrucque.

. . .LIII. Ludovicus Fraryn. — Lambertus van Kessel.

. . .LIV. Wilhelmus Basseliers. — Edmundus Doppegieter.

. . .LV. Petrus Scholier. — Cornelius Ysebout.

. . .LVI. Henricus van Honsem. — Vincentius de Smidt, *iunior*.

. . .LVII. Petrus van Yewerven. — Ioannes Iacot.

. . .LVIII. Ioannes van Oort. — Valerius van Daele.

. . .LIX. Cornelius de Cocqueel. — Aegidius Hofman.

. . .LX. Franciscus Veriuys. — Henricus Wachtmans. — Franciscus van Gansepoel.

. . .LXI. Adrianus van Breusegem. — Iacobus Hoefnagels.

. . .LXII. Ioannes della Faille. — Ioannes van Woonsel.

. . .LXIII. Henricus van Honsem. — Iacobus van Yewerven.

. . .LXIV. Petrus Hellemans. — Henricus Moens.

. . .LXV. Adrianus van Santvoort. — Antonius van Hertsbeke. — Paulus Bosschaert. — Iosephus de Smidt.

. . .LXVI. Ioannes Doncker. — Rumoldus Antheunis.

. . .LXVII. Petrus Arnouts. — Arnoldus Borremans.

. . .LXVIII. Sebastianus Cornelius de Witte. — Ioannes Baptista Doivaerts.

. . .LXIX. Franciscus de Schot. — Didericus de Moy.

. . .LXX. Adrianus Berdoul. — Iudocus vanden Steene.

. . .LXXI. Iacobus de Lengaigne. — Natalis Kanskart.

. . .LXXII. Daniel Rogier — Ioannes vanden Steene. — Ioannes vanden Broecke.

. . .LXXIII. Iudocus vanden Cruyce. — Petrus Panhuys.

M.D.LXXIV. Ioannes de Rode. — Ioannes Kesseler. — Aegidius Vermeulen.

. . .LXXV. Philippus Hockaert. — Henricus van Lemens.

. . .LXXVI. Arnoldus 't Kint. — Petrus vander Goes.

. . .LXXVII. Henricus Pelgrom. — Georgius Vekemans.

. . .LXXVIII. David Scholiers. — Ioannes Mariscael.

. . .LXXIX. Iacobus de Schot. — David Heemsen.

. . .LXXX. Iacobus vander Vloet. — Petrus le Mesureur.

. . .LXXXI, LXXXII, LXXXIII, LXXXIV. *Proh dolor! non ordinarii, sed intrusi.*

. . .LXXXV. Martinus della Faille. — Iudocus de Smidt. — Ioan. van Bloys. — Nicasius de Waye. — Rob. van Eeckeren.

. . .LXXXVI. Hermannus Boels. — Gaspar Charles.

. . .LXXXVII. Melchior vanden Cruyce. — Ioannes vander Goes.

. . .LXXXVIII. Henricus Moens. — Ioannes van Hove.

. . .LXXXIX. Michael Boot. — Chrysostomus Scholiers.

. . .XC. Gabriel Langaert. — Petrus vander Goes.

. . .XCI Philippus Donckers. — Ioannes Dekens.

. . .XCII. Petrus Daems. — Andreas Mertens.

. . .XCIII. Franciscus Donckers. — Ferdinandus Hellemans.

. . .XCIV. Ioannes van Hove. — Gerebrandus Fredericx.

. . .XCV. Ioannes van Immerseel. — Balthasar de Smidt.

. . .XCVI. Ioannes Losson. — Alexander vander Goes.

. . .XCVII. Rogerius Clarisse. — Ioannes vanden Wouwere.

. . .XCVIII. Iacobus Andriessens. — Petrus de Schot.

. . .XCIX. Petrus van Hecke. — Wilhelmus Maes.

M.DC. David Lange. — Petrus Cornelius Cheeus. — Ioannes van Honsem.

. . .I. Melchior Lunden. — Petrus vanden Berghe.

. . .II. Ioannes de Ram. — Franciscus Swerts.

. . .III. Cornelius Bosschaerts. — Alexander Goubou.

. . .IV. Ioannes Cachiopin. — Antonius Fredericx.

M.DC.V. Ioannes van Surck. — David Haeck. — Ioannes de Bot.

. . .VI. Balthasar Doncker. — Iacobus Goos.

. . .VII. Melchior Peeters. — Ioan. Gobau f. Alexandri.

. . .VIII. Henricus de Clerck. — Ioannes Papenbroeck.

. . .IX. Carolus Magnus. — Sixtus de Mens.

. . .X. Gaspar Oosterlinx. — Ioannes vander Goes, *iunior*.

. . .XI. Guilielmus 't Kint. — Petrus le Mesureur.

. . .XII. Petrus van Horne. — Ioannes vanden Broecke.

. . .XIII. Franciscus de Raet. — Iustus Canis

. . .XIV. Ludov. Rogerius Clarisse. — Adrianus Haecke.

. . .XV. Gaspar Offermans. — Lambertus Greyns.

. . .XVI. Antonius van Battel. — Philippus de Potter. — Ioannes Martens f. Andreae.

. . .XVII. Adrianus Stevens. — Martinus van Ginderdeure.

. . .XVIII. Embertus Tholinx, *iunior*. — Petrus de Schot.

. . .XIX. Iacobus van Eyk. — Caesar vander Goes.

. . .XX. Henricus Moens, *iunior*. — Melchior Lunden.

. . .XXI. Alexander vanden Broeck, *iunior*. — Ioannes Eyens. — Rogerius Clarisse.

. . .XXII. Petrus van Ginderdeure. — Ioannes de Letter. — Nicolaus van Ginderdeure.

. . .XXIII. Rogerius le Witer. — Ioannes Tholinx.

. . .XXIV. Petrus van Hecke. — Guilielmus Caluwaert. — Ioannes Baptista Grassis.

. . .XXV. Guilielmus de Hase. — Iacobus Goes. — Corn. Ianssens de Bisthoven.

. . .XXVI. Ioannes van Meurs. — Ioannes Vincque.

. . .XXVII. Ioannes Doncker. — Antonius van Deynse.

. . .XXVIII. Iacobus de Letter. — Petrus vander Goes.

. . .XXIX. Alexander Goubau. — Ioannes Bapt. Fredericx.

M.DC.XXX. Engelb. Borrekens. — Franciscus Schenaerts.

. . .XXXI. Sebastianus Leerse. — Ioannes Losson.

. . .XXXII. Ioannes Govaerts van Graef. — Petrus Stevens.

. . .XXXIII. Carolus Batkin. — Philippus le Roy.

. . .XXXIV. Petrus Guilielmus de Hase. — Petrus Ianssens de Bisthoven.

. . .XXXV. Cornelius Cornelissens. — Ioannes Knijf.

. . .XXXVI. Ioannes van Kessel. — Petrus vande Weerde. — Ioannes Bartholomeus van Ceulen.

. . .XXXVII. Gaspar van Woensel. — Ioannes Vequemans.

. . .XXXVIII. Melchior de Hase. — Cornelius van Wijck.

. . .XXXIX. Guilielmus Verspreet. — Bernardus Lunden.

. . .XL. Petrus van Horne. — Ludovicus le Candele.

. . .XLI. Thomas de Potter. — Franciscus Doncker.

. . .XLII. Nicolaus Picquet. — Guilielmus 't Kint.

. . .XLIII. Ioannes Baptista Batkin. — Segerus Lunden. — Hieronymus de Mayer.

. . .XLIV. Mart. Iacobs. — Ioan. Doncker Laureyssens.

. . .XLV. Iacobus Guiot. — Ioannes Bollaert.

. . .XLVI. Simon de Heuvel. — Iacobus Schenaerts.

. . .XLVII. Daniel Moens. — Christianus van Rosendael.

. . .XLVIII. Cornelius Wellens. — Iacobus Anton. Carena. — Ioannes Vequemans.

. . .XLIX. Petrus Wellens. — Henr. de Hase. — Carolus de Labbistraete.

. . .L. Guilielmus Lunden. — Guilielmus de Crayer.

. . .LI. Ioan. Bap. van Breuseghem. — Gerardus Knyf.

. . .LII. Gregorius Mertens. — Ioannes de la Flie.

. . .LIII. Gerebrandus Fredericx. — Cornelius van Bemel. — Ioannes van Aelst.

. . .LIV. Ioannes van Weerden. — Marcellus Librechts.

. . .LV. Adrianus Borrekens. — Ioannes Bapt. Huaert.

M.DC.LVI. Io. Iacobs. — Sim. de Thassie. — Aeg. du Bois.

. . .LVII. Henricus Moens. — Ioannes de Hase. — Ioan. Franciscus Carena.

. . .LVIII. Abraham Gansacker. — Sebastianus Iacobs.

. . .LIX. Iacobus Elias. — Ioannes Baptista Tongerloo.

. . .LX. Ioannes de Koninck. — Ioan. Bapt. Lamberti. — Bartholomaeus Tholincx.

. . .LXI. Cornelius Bosschaert. — Iacobus van Meurs.

. . .LXII. Ioannes Tholincx. — Ioannes Carolus Gilberts.

. . .LXIII. Henricus Franciscus Schilders. — Petrus Marines — Iacobus van Grijspeer.

. . .LXIV. Ioannes van Woonsel. — Alexander van Havre.

. . .LXV. Walterus Bosschaert. — Ioannes Nacquens.

. . .LXVI. Nicolaus Muytincx. — Petrus Iaspersen. — Gaspar Cansuweel.

. . .LXVII. Ioannes Geeraerts. — Iacobus Scholiers.

. . .LXVIII. Theodorus van Roosendael. — Franciscus van Grijsperre. — Ioannes Carolus de Bisthoven.

. . .LXIX. Paulus de Vlieger. — Aegidius van Laer.

. . .LXX. Alexander Guiot. — Walterus vander Meeren.

. . .LXXI. Philippus le Pipere. — Ioannes van Couvoorde. — Aegidius du Mont.

. . .LXXII. Iacobus de Pret. — Ioannes Bosschaert. — Franciscus van Pruyssen.

. . .LXXIII. Cornelius Salet. — Franciscus Hildernisse.

. . .LXXIV. Ioannes Carolus de Labbistraete. — Ioannes Baptista Morissens.

. . .LXXV. Leonardus Vermoelen. — Ludovicus du Bois.

. . .LXXVI. Franciscus Quirrijnssen vander Dult. — Nicol. van Threnen.

. . .LXXVII. Thomas Nollet. — Philippus de Pret. — Franciscus vander Aa.

M.DC.LXXVIII. Carolus van Damme. — Petrus Ign. Gillebert.
. . .LXXIX. Michael vander Vorst. — Henricus van Havre.
. . .LXXX. Norbertus Schut. — Ioan. Norbertus Hennekin. — Cornelius de Wael.
. . .LXXXI. Petrus de Vos. — Ioannes Baptista Geeraerts.
. . .LXXXII. Alfonsus van Breuseghem. — Ioannes Baptista Wilemssens.
. . .LXXXIII. Paulus Michael Chauvin. — Ludo. de Heuvel.
. . .LXXXIV. Arnold. Alb. Lunden. — Engelbertus Muytincx.
. . .LXXXV. Paulus Verbiest. — Balthasar Moretus.
. . .LXXXVI. Ioannes Hellinx. — Iacobus du Mont.
. . .LXXXVII. Io. Franc. de Heuvel. — Abraham Gansacker.
. . .LXXXVIII. Michael Peeters. — Iac. Franciscus Leemans.
. . .LXXXIX. Ioan. Adrianus de Wit. — Ioannes Cornelius Goubou. — Iacobus de Koninck.
. . .XC. Franciscus Ignatius de Labbistraete. — Alex. Goubou.
. . .XCI. Guilielmus Franciscus Lunden. — Petrus Coeck.
. . .XCII. Nicolaus de Vos. — Ioannes Le Cat. — Vinc. Baselicrs.
. . .XCIII. Chrys. van Rosendael. — Cornelius Boon.
. . .XCIV. Guil. Alb. Lunden. — Io. Fran. vanden Bosch.
. . .XCV. Petrus Henric. Schut. — Alexander van Bemele.
. . .XCVI. Henricus Vinck. — Theodorus Broeckmans.
. . .XCVII. Ioannes Carolus Nackens. — Michael Courtois.
. . .XCVIII. Franciscus Schilders. — Ioan. Dom. Chauvin.
. . .XCIX. Eduardus Emptink. — Paulus Charle.
M.DCC. Ioannes Baptista Mertens. — Ioannes Steph. van Pruyssen.
. . . .I. Petrus de Man. — Ioannes Franc. le Fuselier.
. . . .II. Henr. Engelgraeve. — Ferdin. van Pruyssen.

VIII. « Die xx Maii edictum est, ne quis in via, quae, a

» foro maiori ad veterem Bursam ducens, DE BRAYERY-STRAETE » dicitur, merces ullas venum exponat ante domum suam » (propter angustias loci videlicet, et populi illac iugiter » meantis frequentiam), sub poena trium scutorum veterum, » quorum pars una Magistratui, altera Civitati, tertia ecclesiae » Marianae applicaretur. Solis popinariis liceret assandas carnes » (unde viae illi nomen, nam BRAYEN, *torrere*, BRAYERYE, *tostrina* » est) versare verubus intra fenestras suarum aedium, » quod apud Belgas nunc fieri desitum, apud Gallos, praesertim Parisiis, usitatum est, fitque leviori paucarum prunarum impendio.

IX. Eodem anno Werva ante Burgum, firmata iam satis crepidine saxea, quam anno M.CCCC.XIV praecinctam diximus, tota quanta est, fuit palis, alte in humum depactis, fistucata et solidata : ad quod opus equos adhibitos docet Ursuli Consulis Memoriale. « Arcubalistarii nostri Mechliniam invitati, ad suae » professionis certamen, aeque ac alii ex tota Brabantia, prae» mium splendidioris ingressus retulerunt. »

X. Porro XXIII Decembris, « Civitas ad Dei gloriam propriam» que incolumitatem edixit, ne quis Lanionum caesas carnes » domi suae venderet, vel extra Macellum : in quo tamen non » liceret prostare Dominicis aut Festis, nisi aestate usque ad » horam octavam, hieme usque ad nonam; post meridiem vero » usque ad secundam dumtaxat. »

Ita ex registro Caukerkius; cuius nomen quum porro frequentius iterandum sit, intellectum illud deinceps velim, cum nulla specialis ratio erit indicandi auctorem vel librum specialem.

XI. Idem Caukerkius aliique notant, hoc anno « Abbati S. Mi» chaelis a Pio II Papa concessum fuisse ius Annuli et Mitrae, » addita causa quod eius Monasterium, inter cetera istarum » partium valde solenne, notabile et caput trium aliorum » notabilium Monasteriorum existit, quorum Abbates utique » mitra utuntur; et ita nunc ipse baptismo et exequiis Nobilium

» ac solennibus processionibus interesse cum aliis Abbatibus » invitatus seu rogatus consuevit; » indignum scilicet iudicante Pontifice, Patrem Abbatem minori quam filios splendore fulgere. Sunt autem tres illae Abbatiae filiales, *Everbodiensis* et *Tongerloensis*, in Brabantia, atque *Middelburgensis*, in Zelandia: quarum historiam, chronologice deductam, lector inveniet post acta S. Norberti, in Corollario ad ea secundo.

XII. Ursuli Consulis Memoriale suggerit, Horologium hoc anno fabricatum. Ast ubi positum? Utique in turri Mariana, sed absque praeludio horario. Fundatum est etiam propugnaculum aliquod ante Portam S. Georgii, cuius nullum nunc vestigium, nec pictura quae ipsum repraesentet.

Interim in horto Balistariorum, post metas, stat statua equestris S. Georgii cum subscripto, quod haec illuc translata sit a veteri illius Sancti Porta. Huc faciunt etiam geminae turres, ex eiusdem Portae lateribus post primam contiguationem emergentes, totiusque molis tecto altiores, uti eam vetus tabula maior exprimit; de quibus videtur intelligendus Secretarius Valkenisse, cum ait ad annum M.CCCC.LX, *tunc perfectas fuisse duas ante Georgianam Portam turres.*

XIII. Ex edicto huius anni contra incendiarios lato, et in volumen Priv. fol. 217, relato, intelligitur, frequentes fuisse de iisdem querelas; neque suffecisse quod iis exstirpandis Dux PHILIPPUS constituit praemium florenorum quadraginta, stuferis decem aestimatorum, cuicumque talem capienti, per decretum anni M.CCCC.LII, VI Martii, in Maiori Papyraceo, fol. 135, relatum; et aliud anni LIII, relatum, fol. 71. Igitur, ut atrocitas supplicii absterreret eiusmodi facinorosos, constituit Dux modum iustitiae contra eos exercendae hac forma: « In publico » foro constituatur palus firmus, cum circulo ferreo circum » ipsum versatili, ad altitudinem pedum trium a terra : ex » circulo isto pendeat catena ferrea bene solida, circumducta

» nudo corpori et lumbis ipsius rei, longa pedes duos inter » ipsum et palum : ad quem circumcirca struatur grandis focus » ex ligno, qui undique succensus ardeat, donec reus exstinctus » fuerit et mortuus absque ulla misericordia, quam tortor forte » adhibere vellet ad poenam rei abbreviandam. » Ita Collector Anonymus, allegans Bullas Papae PII II, anno M.CCCC.LIX et LXI, de quibus sequenti anno.

A. C. M.CCCC.LIX.

—

COMMISSARII QUI SUPRA.

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — Henricus van Mechelen II. — II. Nicolaus de Herde IV.

SCABINI. — Ioannes van Ranst. — Nicolaus de Herde. — Wilhelmus vande Werve. — Nicolaus vander Elst. — Ioannes Noyts, *iunior*. — Wilhelmus Draecke. — Gerardus vanden Broeck. — M. Wilhelmus vander Heyden. — Aegidius vanden Wyngaerde. — Walravus Draecke. — Wilhelmus Tichels. — Henricus vander Moelen.

ARGUMENTUM.

I. Dux toti Provinciae largitur remissionem criminum contra iustitiam admissorum. II. Abolitio Mitae, quod erat infimum tunc monetae genus. III. Guldarum sumptus moderati. Camerarum Rhetoricarum immunitas restricta. IV. Dominicani a suo Generali commendati censurae Magistratus. V. Asyli privilegium praecluditur reis enormium criminum. VI. Campana maior, tunc Maria, nunc Gabriel dicta, funditur. VII. Scinda in Civitatem derivatur.

ACTA.

I. MEMORABILEM toti Brabantiae hunc annum fecit publicata

a Duce abolitio generalis culparum, ab officialibus commissarum in administratione iustitiae ac politiae, aeris foenebris correctione etc. Huius gratiae formam habet liber Holosericus, fol. 31, insertam Decreto, facienti plenam potestatem omnibus Iudicibus atque Magistratibus diiudicandi et puniendi mulctandique reos cuiuscumque delicti, exceptis casibus Laesae Maiestatis, soli Principi reservatis.

II. Minutas, vulgo MYTEN, vilissimum cupreae monetae genus, hoc quoque anno prohibitas et abolitas invenio; manet tamen in Brabantia adhuc nomen, sicuti in Flandria nomen *Sextantulorum*, vulgo SESKENS; et hic et ibi alterutro vocabulo nunc appellatur ea, quae modo est omnium minutissima, proprio nomine dicta NEGEMANNEKENS, quasi nona pars stuferi; nunc autem valet partem eius octavam, seu medium quadrantem vel obolum. Est ea mendicantibus pretio quam minimo dimittendis commoda; sed aegre nunc invenitur, illis ipsis eos studiose abolentibus, ut nemini ad manum sint, itaque quadrantem integrum accipere possint.

Interim « venerunt ex Lusitania triremes duae, aromatis vino-» que onustae, quorum insolita copia bonitasque vehementer » cives recreavit, » ut habet Chronicon Secretarii Valkenisse.

III. Frugalitatis civilis argumentum memorabile est, quod, teste Caukerkio (quem deinceps intellige cum alius non nominabitur), « quod, inquam, mense Iulio cautum sit, ne is, quem » peritia iaculandi Regem Guldae suae fecisset, Ave deiecta, » cum abiret horto, Confratribus et vicinis congratulantibus lau-» tiorem praeberet merendam quam mollis casei et cerasorum; » ne scilicet tenuiores, quamvis peritiores, metu sumptuum » ea occasione faciendorum, subterfugerent concertationi tali » adferre omnem suae artis industriam; et amplius praebituro » indicebatur mulcta sex florenorum. Habent autem Guldae istae » ab antiquo privilegium, numerum suum, qui definitus est

» (ne infinite excrescat propter immunitates ipsis concessas), » numerum, inquam, suum supplendi ex ambactis quibuscum- » que : unde factum, ut Rhetoricorum Camerae, ab Olivae-ramo » et Chrysantho nuncupatae, non raro quererentur, sibi (quibus » suae quoque immunitates sunt) subtrahi, tali ad Guldas » avocatione, confratres suos. Sed, perpensis utrimque causis, » iudicatum in Aula est, eiusmodi Camerarum privilegia non » obstare iuri Guldarum quoscumque aptiores sibi aggregandi » ad obsequium militare Civitatis; cum Camerae praedictae » solam eius oblectationem spectent. » Iudicium istud Aulae habet Pensionarius Nys, ex II vol. Priv. fol. 185, ubi etiam allegatur Privilegium, anno M.CCC.VIII, Guldis datum, et in lib. Holos. fol. 2 v.º descriptum, faciens ipsis potestatem augendi numerum suum, pro arbitrio Praetoris atque Senatus.

IV. Memoria dignius fortassis videbitur quod, hoc anno, a Generali Praedicatorum venerit ad Magistratum epistola, relata ab eodem Pensionario Nys, et allegata a Collectore Anonymo ex Maiori Papyraceo, fol. 115 v.º, qua rogat, « ut dignetur » Senatus Priori Antverpiensi, vel aliis Ordinis Superioribus, » adiungere tres vel quatuor personas selectas, ad directionem » et conservationem bonorum Conventus, qui etiam intendant » vitae et conservationi Religiosorum; et, a Priore requisiti, » iuvent ad compescendos et corrigendos Regulae transgres- » sores, ipsas illas personas participes faciendo omnium meri- » torum Ordinis. » Et hoc confirmavit Dux, ipso praesenti, in quo versamur, anno, Civitatique commendavit serio agere, quod bonus iste Generalis, pro spirituali ac temporali suorum subditorum commodo, tam sollicite rogabat. Itaque deputati sunt eum in finem Procuratores duo, uti ex libri Papyracei Maioris fol. 115 testatur in Annalibus Secretarius Valkenisse.

V. Pontifex quoque Pius II, apud Edelherium, « ad instan- » tiam Antverpiensium rescripsit, pridie Kal. Augusti, quod si

» qui, temporibus solennium Nundinarum, incendiarii nocturni,
» latrones publici, homicidae voluntarii, depopulatores agro-
» rum, violatores pacis seu conspiratores contra ecclesiasticam
» libertatem vel rem publicam ipsius oppidi, ad ecclesiam seu
» loca sacra confugiant, per Scultetum possint ab iis extrahi,
» nullaque ecclesiastica immunitate gaudeant. » Idem requisitus Cameracensis Episcopus consensit quidem ut ita fieret, sed voluit talem extrahendi eos facultatem requiri a Decano, Plebano, vel Viceplebano, quibus mandatur, intra viginti quatuor horas tales a sacro loco expellere, quoties requirentur. Ita pro priori parte vol. I Priv. fol. 134 v.°, pro secunda Papyraceus liber Maior, fol. 117; et Episcopus dicitur ita rescripsisse, die VIII Augusti, ut appareat, quod propter frequentiores eiusmodi casus simul Romam et Cameracum recursum pro remedio sit. Quin etiam in Papyraceo, fol. 171, dicitur contineri Pontificii Brevis confirmatio, sub nota anni M.CCCC.LXI, fortassis occasione incendiariorum, tunc (ut infra refertur) deprehensorum.

VI. Denique ad huius anni specialem memoriam facit grandis campana fusa in coemeterio ecclesiae Marianae, uti notat Snyderi Chronica, et Valkenisse in Annalibus; addens, quod eius pondo sit undecim mille librarum, eique circumscripta legantur haec verba : MARIA *vocor. Ioannes Berchem et Ioannes Boechem me fecerunt, anno* M.CCCC.LIX. Ei deinde, fusa altera grandiori, non iam amplius dicendae maiori, mutatum est nomen, ut vocaretur GABRIEL. Indicium ea certum praebet, quod turris septentrionalis fundari coepta anno M.CCCC.XVII, iam nunc perducta erat usque ad tertiam zonam, infra quam appendi illa debebat, una cum aliis minoribus quatuor postea fusis. Cum autem firmando operi necesse fuerit aliquod tempus indulgeri, priusquam campanae in illud attollerentur, alias gravi suo motu labefacturae fabricam nimis recentem, haud inepte cogitaveris intra viginti vel pauciores annos eo usque processum

in aedificatione fuisse, aut etiam ante obitum Architecti *Petri Appelmans;* nam huius meminit praecitata Chronica : non solum enim dicit ipsum esse qui turrim istam fundavit, sed etiam *qui conclusit*, HEEFT TOEGELEYT, ducto supra ipsam tertio fornice. Interim nemo non intelligit, veteri ante hanc ecclesiae suam iam pridem fuisse campanam; minorem tamen unam, vel plures; et has inde translatas supra tectum Chori pridem perfecti, licet nullum nunc indicium appareat turriculae cuiusdam temporariae, eum in finem tecto impositae vel appositae.

VII. Denique invenio, quod hoc anno Scinda traductus in civitatem sit, ab eo fortasse loco, ubi nunc eius aqua sistitur per cataractam, et in canalem Herenthaliensem derivatur; qui ut traduci in civitatem posset per Meram, nunc quidem decreta fossio est, non tamen, annuente Duce, inchoata ante annum M.CCCC.LXII, uti tunc dicetur : reliquum autem quod per veterem alveum derivatur in novam civitatem et desubtus Arctorum domo HET TUCHTHUYS in Scaldim decurrit, propria in novis moenibus cataracta sistitur ad usum versandi molendini aquatici circa Portam Lutosam.

A. C. M.CCCC.LX.

—

COMMISSARII IIDEM, CUM SECRETARIO. — Ioanne Brugmans.

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — Ioannes van Ranst II. — VIII. Mag. Wilhelmus vander Heyden.

SCABINI. — Wilhelmus vanden Wyngaerde. — Wilhelmus vande Werve. — *Suffectus* Ioannes Colgensson. — Wilhelmus de Moelener. — Nicolaus vander Elst. — Henricus van Mechelen.

— Ioannes Noyts. — Gerardus vanden Broeck. — Wilhelmus van Tichelt. — Henricus vander Moelen. — Simon Draecke. — Walterus Breem.

ARGUMENTUM.

I. Capillitium deponit Nobilitas Belgica, Ducis exemplo. II. Domus Clusae donatur Hanseaticis, et baptizatur Iudaeus Aethiops. III. Horrenda unius meretricis in alteram crudelitas. IV. Porticus merciaria struitur (DEN PANT) trans coemeterium Marianum. V. Accisiae vinariae pars Falcontinis remittitur. VI. Fabricatur HET BARGIE-HUYS pro navi Zelandica.

ACTA.

I. Meretur huic anno initium dare, etsi mensis ac dies ignoretur, quod Secretarius Loyens, pag. 128, sic narrat : « PHILIPPUS, Dux, aeger gravi ac diuturno morbo, ex praescripto » medicorum comam promissam posuit. Eam ob rem cum » mussantes Nobiles videret, edixit omnibus caesariem tondere. » Hinc uno die Nobiles quingenti Bruxellis apparuerunt rasis » capitibus, aliis mox alibi secutis. » Ex hoc autem tempore usque ad finem seculi XVI et ultra, mos in Belgio obtinuit crines fere omnes brevissimos gestandi, eumdem tenentibus etiam Hispanis, Anglis et Francis, uti in eius temporis statuis, picturis et imaginibus videre est. Nunc dum haec scribo, tanta invaluit, praeeuntibus exemplo Francis, comae, si non alendae, saltem ostentandae insania, ut unius viri capiti ornando aegre sufficiat capillitium totum trium mulierum, prolixe crinitarum.

II. Magis proprie Civitatem spectat donatio, quam Edelherius in Maiori Papyraceo, fol. 222, reperit factam : « Hanseaticis, » quibus illa, die IV Maii, cessit domum in veteri Frumentario » foro, quae exinde antiquum nomen Clusae commutavit, ut » diceretur Domus Osterlingica. » Postquam vero illi in nova civitate aliam grandiorem exstruxerunt, prior, dum Edelherius

scribebat, adhuc dicebatur HET KLEYN OOSTERS HUYS, *minor Hanseatica domus*, quae appellatio necdum tota ex memoria abiit; et supersunt reliquiae incrustationis aptae ipsam revocare, de quibus infra pluribus, ad annum M.CCCC.LXVIII.

Ad eumdem praetitulatum annum, indicant Secretarii Valkenisse « adventum duarum Venetarum triremium, quarum Pa- » tronus adduxerat sedecim annorum adolescentem Iudaeum, » quem fecit die Epiphaniae baptizari in Basilica Mariana, super » erectum eo fine spectabile pegma; positumque ei est nomen « Melchior, eo quod esset Aethiops, et hoc nomen vulgo » tribuatur trium Magorum uni, credito talis fuisse. »

III. Iidem Secretarii, nec non Chronicae quaedam rhythmicae, memorant « horrendam caedem in Craywiko patratam a mere- » trice una, quae turpis quaestus sociam vel amoris rivalem » iugulasse non contenta, sperans se posse latere, si cadaver » clam extulisset, ipsum primo capite, brachiis, cruribusque » truncavit; truncum deinde sacco inclusum efferebat alicubi » defodiendum, idem de ceteris membris successive factura; » sed in ipso deprehensa actu, immanis facinoris poenas dedit » in festo Divisionis Apostolorum, XVIII Iulii, tunc Feria VI, » quando omnes ad mercatum confluunt rustici, et vivens » defossa est in terram. »

IV. Aedificatum quoque hoc anno fuit Atrium seu Porticus merciaria, trans coemeterium Marianum, ad fossam Lombardicam, ad huius usque citimam oram pertingens: quae Porticus deinde nomen dedit viae ad ipsam ducenti, DE PANTSTRAET; nam eiusmodi porticus a forma quadrata solent PANDEN nuncupari. Memini autem quod viderim puer reliquias veteris alicuius ligneae substructionis eo loci ubi nunc est series novarum domuum, Capituli sumptu exstructarum, manente nihilominus viae nomine. Snyderi Chronica indicat, Porticum istam erectam fuisse pro Bibliopolis, Pictoribus, Statuariis, Scriniariis, sua

opera ibi venum expostituris. Sic veteres anni M.D.LXII tabulae propius ad viam coemeterialem notant amplam quamdam domum, sub titulo HET KRAEM-HUYS (cuius alibi mentionem non reperi), eam fortasse, quae diu sub titulo *Rosae* nota fuit, nunc autem conversa est in Episcopale refugium emeritorum Parochorum.

V. Falcontinum autem Registrum gratanter meminit « indul-
» ti, die x Novembris, a Civitate per litteras Scabinales facti
» Conventui, de octodecim amis vini quotannis accipiendi
» absque accisia, praemonitis tamen accisiarum Magistris. Hoc
» autem, inquit Registri auctor, praecipue obtentum fuit
» labore et industria Ioannis Kiekens, qui tunc Secretarius
» Civitatis, primaeque in Magistratu auctoritatis, frater erat
» Sororum nostrarum Kiekens. Plurimum etiam eo contulerunt
» D. Wilhelmus van Tichelt, frater Sororis nostrae Elisabethae
» van Tichelt, et D. Henricus vander Molen, frater unius
» nostrae Sororis, sic etiam appellatae. Ambo erant huius
» Civitatis Scabini, uti etiam D. Wilhelmus vander Heyden,
» Barbarae vander Heyden, Sororis nostrae, nepos. » Hinc intelligitur, quomodo floruerit Conventus ille, qu itot Senatorios viros uno eodemque tempore numerabat inter fratres ac consanguineos Religiosarum suarum. Has tunc comperio fuisse ad Chorum professas viginti quatuor, praeter Priorissam, et laïcas ad domesticum ministerium receptas; quibus mox, anno sequenti, accessit *Wilhelmina Kets*, Tolensis, multasque in Zelandia possessiones transcripsit in ius monasterii; quare novo raroque exemplo concessum ei fuit, ut Chori Donata fieret, pacta nihilominus, ut, si intra proximum decennium proficiendo in litteris ad Chori ministeria appareret idonea, inter Nonnas profiteretur; sicut factum est anno M.CCCC.LXVI.

VI. Memoriale Consulis Ursuli huic anno describit fabricam domus Naviculariae, HET BARGIE-HUYS, sub qua scilicet

recipiebatur navis ordinaria, vectores in Zelandiam et Hollandiam quotidie devehere solita, qualem domum veteres Civitatis iconismi etiam repraesentant in extimo ripae nostrae ad septentrionem cornu, trans saxeum Geranium, extra moenia; ad quam eundum fuerit per ultimam versus Scaldim portam, tunc dictam portam Hermanni Haxii, de qua infra: tabula, impressa anno M.D.LX, nominat eodem titulo domum aliam, post S. Michaelis, sed multo haec recentior est, Mechliniamque tendentibus aptata.

A. C. M.CCCC.LXI.

Commissarii qui supra.

Consules xxx novembris. — Ioannes van Mechelen III. — v. Wilhelmus de Moeleneer III.

Scabini. — Ioannes van Ranst. — Ioannes van Ursel. — Wilh. vanden Wyngaerde. — Thomas vander Elst. — Henricus van Mechelen. — Ioannes Schoyte. — Wilhelmus vander Heyden. — Henricus vande Werve. — Walravus Dracke. — Wilhelmus van Tichelt. — Simon Dracke.

Quaestores. — Nicolaus de Herde. — Wilhelmus Dracke.

Quaestores consiliariorum. — Ioannes Baeker. — Walterus Ghys.

Secretarii ut anno M.CCCC.LVIII, videlicet. — Iudocus van Catulle. — Ioannes Kiekens. — Petrus van Karnebroeck. — M. Petrus vander Voort. — Arnoldus de Beukeleer. — Wilhelmus van Taveryen. — Matthias vanden Broeck.

GILDARUM DECANI. — Nicolaus vander Elst. — Gerardus vanden Broeck.

AESTIMATORES. — Ioannis de Hertoghe. — Ioannes Claus.

ALDERMANNI. — Ioannes vanden Broeck. — Ioannes vander Elst. — Iacobus de Ghoyten. — Franco van Halen. — Ioannes vander Heyden. — Ioannes de Bosschere. — Cornelius vander Zype. — Antonius van Tichelt.

MAGISTRI CENSURAE. — Ioannes Noyts. — Ioannes Colgenzone.

PACIFICATORES CUM SUO CLERICO. — Petrus Reyniers. — Aegid. vanden Wyngaert. — Henricus vander Moelen. — Walterus Breem. — Wilhelmus de Cuyper.

Tam plenum Civitatis ministerium nusquam alibi reperiens descriptum, nisi hoc solo anno in solis Secretariorum Fastis, eo magis censui hic attexendum (licet iam alias professus subalterna isthaec munia praetermittere), quia, praeter consueta in Fastis referri, habet *Quaestores Consiliariorum*, *Aestimatores*, *Aldermannos* et *Secretarios* omnino septem : quot numquam ante vel postea fuisse existimo. *Aestimatores* vero et *Aldermannos* in iisdem Secretariorum Fastis reperio nominatos usque ad annum M.CCCC.LXVIII. *Quaestores* sic bifariam divisos alibi non invenio, sed indiscriminatim quatuor, usque ad annum M.CCCC.LXVI, quando ad ternarium restrictus est eorum numerus, et eorum primus coepit *Thesaurarius* dici.

ARGUMENTUM.

I. An exnunc Praetor Philippus de Poitiers? II. Quaedam privilegia civibus data. III-VII. Cellitae profitentur Regulam S. Augustini, et variis successive privilegiis ornantur, VIII-IX. uti et eiusdem instituti Sorores, nunc exstinctae. X. Dux Philippus Civitati, sub certis conditionibus, tradit usum et

arbitrium qualiumcumque accisiarum. XI. Subscultetus mulctatus et exauctoratus.

ACTA.

I. Incompertus quidem est obitus saepe iam nominati Praetoris *Ioannis vander Brugge;* credibile est tamen hunc, qui anno M.CCCC.XXXI Praeturam fuit auspicatus, eamdem non multo protraxisse ultra praesentem annum; sed quem ei dabimus successorem? Exploso, qui ipsum secutus non est, sed magistratum eius annis aliquot interpolavit, *Ioanne Sanders;* proximus in Catalogo Exconsulis notatur PHILIPPUS DE POITIERS, *Miles, Dominus d'Arcyes et de la Ferte, Camerarius* Caroli Audacis, Ducis Burgundiae, anno M.CCCC.LXXII. Huic mox, adhuc viventi (obiit enim, secundum ipsummet libellum, anno M.D.III) suffectus sit, iuxta eumdem Catalogum, ipsius Caroli frater nothus, PHILIPPUS, *Dominus de Cruybeke.* Sed quis credat, vacante, per mortem Ioannis, Praetura Antverpiensi, adeo diu distulisse Ducem sui Camerarii promotionem, et non potius in libello esse errorem zyfrae, sic ut corrigi et legi debeat M.CCCC.LXII, pro M.CCCC.LXXII? Ponatur ergo hoc anno Praetor PHILIPPUS POITIERS sub tali cautione.

II. Certiorem huius anni actum offert nobis Secretarius Valkenisse in suis Annalibus, ubi sic habet : « Die XXI Maii » Audomaropoli, in magno suo senatu, Dux *Philippus*, coram » delegatis Civitatis Antverpiensis, videlicet Ioanne van Ranst, » Consule, Ioanne van Mechelen, Scabino, Ioanne Kiekens et » Ioanne van Taveryen, Secretariis, expedivit diploma de- » claratorium variorum privilegiorum Urbis, puta dandarum » litterarum proscriptionis, civilitatis, exilii, correctionis, » easque interpretandi et modificandi; quale diploma antea » iam dederat Lovaniensi et Bruxellensi civitatibus. »

III. Eiusdem anni notam profert Epitome Privilegiorum,

ad Cellitas pertinentium, sub finem pag. 13, haec habens : « Nos Cellitae Antverpienses, numero duodecim, simul anno » M.CCCC.LXI professionem fecimus, coram P. Priore Carme- » litarum Mechliniensium, facultate scilicet ad hoc petita » acceptaque a PIO II, per Bullam ibidem relatam, quae inci- » pit : *Vicarius Iesu Christi in terris.* Inscribitur ea, *Dilectis* » *filiis, viris ac feminis, Cellitis vulgo dictis, in Brabantia, Ale-* » *mannia, Flandria et Dioecesi Teroanensi, discipulis eius qui* » *docuit pascere esurientes, potare sitientes, liberare captivos,* » *hospitio peregrinos excipere, vestire nudos, visitare infirmos,* » *mortuos sepelire.* » His autem *Salutem et Apostolicam Bene-dictionem* impertiens Pontifex, « Vobis, inquit, qui non solum » aegrotos visitatis, sed ipso etiam opere impensius ipsis inser- » vitis, atque eos curatis, praesertim tempore pestilentiae, ac » mortuorum corpora sepelitis; neque tunc tantum, sed alio » quoque tempore, cum fueritis requisiti, aeque pauperibus » ac divitibus, inter quos commoramini; defunctorum quoque » corpora portantes ad ecclesiasticam sepulturam. Quoniam » autem misericordiae opera considerantur et sunt augmentum » salutis, spiritalisque vitae ac divini cultus, vestrumque ab » olim desiderium; atque ad Nos directa supplicatio ex parte eo » tendit, ut vivatis in fidei puritate, paupertate, castitate, sub » decoro habitu et regimine Rectorum Parochialium, iis in » locis ubi commoramini, libenter vobis impertimur ea, quae » subinde gravant relevantque, prout salutarius Nobis videtur; » quemadmodum felicis memoriae decessores nostri GREGO- » RIUS XI, EUGENIUS V, et NICOLAUS V, Romani Pontifices, varia » vobis privilegia et indulta concesserunt; deputantes etiam, » qui vos defenderent contra eos, qui vobis variis modis iniu- » rii et multipliciter molesti erant.

IV. » Quibus quidem privilegiis atque indultis hactenus gavisi » ac porro gavisuri, ad necessitates vestrae Congregationis

» sustinendas, et fraternum in ea amorem conservandum, » in locis iam acceptatis ac porro acceptandis; et ad vitae » melioris profectum desideratis vehementer profiteri tria sub- » stantialia Religionis vota, siquidem id vobis cum Romanae » Sedis auxilio liceat. Quapropter ex vestra parte humiliter » rogati, et volentes vobis, pro vestrarum animarum salute, » per Sedis praefatae indulgentiam in hoc consulere, vehemen- » ter probamus vestrum ea in re propositum; vosque singulari » gratia et favore prosequi cupientes, et confidentes, quod sitis » in eo perseveraturi, in conspectu Dei hominumque, tali » exemplo bene aedificandorum; praesentibus litteris concedi- » mus vobis, de plenitudine potestatis Apostolicae Romanae, » ut in Provinciis Franciae, ad quas postulamini, possitis, cum » assensu Curatorum, suscipere loca vobis offerenda; et tam » in iis quam in aliis, quicumque ex vestris voluerint, ad Dei » honorem, nuncupare tria substantialia vota in manibus Supe- » riorum a vobis electorum vel eligendorum ex quocumque » approbato ac bene formato Ordine.

V. » Post haec concedit Pontifex Confessario ipsis deputan- » do omnem absolvendi crimina potestatem, etiam a reservatis » in articulo mortis. Romae ad S. Petrum, anno a Nativitate » Domini Iesu Christi M.CCCC.LVIII, III Ianuarii, Coronationis » anno primo. »

Quoniam vero difficile erat ad electionem Visitatorum et Confessariorum omnes Singularum Provinciarum Curatos convocare, permittit idem Pontifex eorum « liberam electionem » uniuscuiusque Domus subditis, duorum triumve Curatorum » eiusdem Provinciae accedente consilio : qui Visitatores pos- » sint corrigere excessus usque ad incarcerationem inclusive, » et emendatos relaxare; Confessarii vero remittere peccata » quaevis mortalia, in quae forte aliquos labi contingeret. » Permittit etiam ad devotionis augmentum, ut iidem Cellitae

» possint in suis ecclesiis, oratoriis vel sacellis decenter asser-
» vare Corpus Domini, eorumque Visitatores, Curati ac Confes-
» sarii, vel si qui inter eos fuerint presbyteri ordinati, in eisdem
» ecclesiis, oratoriis, vel capellis Missam celebrare. . . Datum
» Mantuae, anno a Nativitate Domini M.CCCC.LIX, XIII Kalendas
» Novembris, Pontificatus anno secundo.

VI. » Deinde SIXTUS IV laetanter intelligens, quod omnes
» suscepissent ac professi essent Regulam S. Augustini, sub
» habitu ab Episcopis Praelatisque approbato, videlicet grisea
» tunica talari supra vestem interiorem, sub chlamyde etiam
» grisea, cum caputio et scapulari nigro; concedit iisdem, ad
» instantiam nobilis viri Caroli, Burgundiae Ducis, facultatem
» eligendi Visitatoris Generalis, coram quo, alioque alterius
» approbati Ordinis Professo, vota Religiosa emittant quicum-
» que ad ea probati sunt; nec non Conservatorem Privilegiorum
» suorum aliquem ex Praelatis, congrua ad tale munus potes-
» tate ab Apostolica Sede instruendum; *sub data* Romae, ad
» S. Petrum anno M.CCCC.LXXII, VII Kal. Maii, Pontificatus
» anno I. » Idem Pontifex per aliud Breve, expeditum *Romae ad S. Petrum* anno eodem V Iunii, Confessarii potestatem confirmat, extra casus tamen solitos per Bullam Coenae Domini reservatos. Deinde « ad consequendam plenariam omnium
» eatenus commissorum indulgentiam, praescribit ieiunium
» omnibus unius integri anni feriis sextis observandum,
» quod tamen ex causa legitima possit in aliam feriam
» commutari, vel praetermissum suppleri; aut in aliud opus
» poenitentiale a Confessario permutari. » Denique, per datas Idus Iunii eiusdem anni, indulget Sixtus « potesta-
» tem habendi et pulsandi campanam in humili turricula,
» coemeteriique ab aliquo Catholico Episcopo consecrandi,
» pro iis qui apud illos ex pestilentia obierint; atque in
» suas ecclesias, ad Missae celebrationem et Sacramentorum

» ministerium, suscipere quosvis approbatos Sacerdotes, Re-
» gulares vel Seculares. »

VII. Omnia isthaec anno M.D.VI, XII Kal. Iulii, confirmans IULIUS PAPA II addit « facultatem habendi Missam tempore Interdicti » Episcopalis, etiam in altari portatili; et addit Indulgentias » Romanarum Stationum, ab ipsis lucrandas ad unum aliquod » suarum ecclesiarum altare : plenariam quoque ibidem, » ab ipsis et quibuscumque aliis fidelibus, contritis atque con- » fessis obtinendam, in festivitate Sanctorum omnium, item in » festis Nativitatis atque Paschatis, nec non Annuntiationis » B. Mariae. » Denique Urbanus Papa VIII, edita ad perpetuam rei memoriam Bulla, *anno Incarnationis Dominicae* M.D.XXXIV, IV *Augusti*, *Coronationis* XII « confirmavit et renovavit, nec um- » quam revocata fuisse declaravit, privilegia et indulta omnia » suorum decessorum tamquam si verbotenus novissimis hisce » litteris essent inclusa. »

VIII. Sic ille; identidem quidem *Fratres et Sorores* nominans, praefatur tamen se requisitum a *Fratribus*, quasi hi soli supplicaverint. Et certe nullas amplius *Sorores Cellitarum* in Belgio novimus, nec scio an in Alemannia reperiantur aliae quam *Sorores Nigrae*, anno M.CCCC.IV in urbem nostram receptae, et praeter exercitium ministrandi infirmis, et S. Augustini Regulam, commune nihil habentes cum Cellitis maribus : quorum si hoc tempore Sorores aliquae fuerint in Brabantia Flandriave, videri possunt postea in.....

Sic Oostkerkae, Brugensis territorii pago, ad Anniversarium cuiusdam viri (ut fertur) militaris, *Cornelii Wouters*, ibidem sepulti, invitantur Brugis et egrediuntur Cellitae duo, totidemque Sorores Nigrae, ad hoc ut istic sepulcralem illius in coemeterio lapidem emundent a limo, per annum superingesto, herbisque subnatis, et eidem lavando aquam comportent; Sorores vero lotum repoliant : quo facto utrique ad funebrem cum

cantu Missam comparent in offertorio; eaque finita, sequuntur Parochum, praecedente Cruce, Absolutiones consuetas cantaturum : qui, expletis omnibus, dimittit hospites, defuncti nomine gratias agit pro completo munere Anniversarii ab eo fundati, atque singulis paribus dat schellingos quinque. Annus fundationis istius ignoratur; causa traditur fuisse, quod Dammi aegrotans praedictus Cornelius, Brugis ad sibi ministrandum invitaverit Fratres duos totidemque Sorores, quibus hanc sui perpetuam memoriam reddi voluerit.

IX. Ut autem Sororum nigrarum niger habitus totus est, sic etiam nunc est Cellitarum, griseo tunicae palliique colore prorsus eliminato. Hoc vero an usu solo inductum sit, vel indulto alicuius superioris potestatis, aut propria ordinatione institutum, non invenio; sed noto in Urbaniana Bulla, nec formam nec colorem habitus indicari; quem invenio in vetusta ad oratorium S. Barbarae vitrea, anno M.D.XLVII totum rufum fuisse, qualis fere est Minimorum; nunc autem totus niger est. Patrocinium S. Alexii quod in eorum ecclesia Antverpiae viget, non sine indulgentiis in die festo ipsius Sancti, a quo etiam *Alexianos* ipsos multi nunc appellant, quo primum anno ipsi assumpserint, nescio dicere; factum id fortassis anno M.D.XIII quando invenimus eumdem Sanctum publicitus invocatum contra pestem fuisse.

X. Collector Anonymus, ex Maioris Papyracei fol. 731, explicat, quomodo PHILIPPUS DUX « concessit Civitati, ut a festo
» S. Martini, ac deinceps in perpetuum, possit continuare
» omnis generis et modi accisias, iisque uti in commodum
» suum, auctis vel imminutis prout ipsi videbitur, solvendo
» pro iis annue ipsi Duci quingenta veteris monetae scuta,
» ultra alia quingenta scuta reliqua, ex pretio earumdem
» accisiarum antea eidem Civitati emptarum, et similiter an-
» nue solvenda; reservata tamen Duci potestate redeundi in

» suum antiquum ius, restitutione scutorum veterum annue » perceptorum; qua facta, cessaret privilegium, in accisias praefatas indultum; ita nihilominus, ut post acceptam eiusmodi » solutionem, Civitas ipsis licentiis pergat ad annos adhuc » quinque uti ac frui sicut antea; vicissim autem pergat Civitas, » a die talis solutionis, pendere Duci quotannis mille scuta, » prout antea pendebat ab anno M.CCCC.LIII, quo coepit eisdem » accisiis sic uti, vi datarum tunc patentium litterarum. »

XI. Idem Collector, ex eiusdem libri fol. 136, indicat sententiam a Duce latam « contra *Hugonem de Koninck*, Subscultetum, » qua deponitur ab officio, inhabilisque declaratur, propter » graves excessus eo in munere commissos; iubeturque iis » quos iniuste laesit, illata damna compensare. » Quomodo autem idem exciderit ambito Clericatu Pacificatorum, accusatus etiam de incendiariis subornatis, infra annum sequentem dicetur.

A. C. M.CCCC.LXII.

—

Commissarii ad renovationem. — Dominicus de Croy, *Cancellarius*, et M. Ioannes Orfevere. — *Secretarius*, M. Ioannes Brugmans. — *Subscultetus*, Iacobus Wielant.

Consules xxx novembris. — Henricus van Mechelen III. — vii. M. Wilhelmus vander Heyden III.

Scabini. — Ioannes van Ranst. — Ioannes van Ursele. — Nicolaus de Herde. — Wilhelmus de Moleneer. — Ioannes van Mechelen. — Gerardus vanden Broeck. — Aegidius vanden Wyngaerde. — Walravus Draeke. — Wilhel. van Tichelt. — Simon Draeke. — Petrus vande Werve.

ARGUMENTUM.

I. Disceptatum de duobus Mechliniae captis, qui civilitatis nostrae iuri renuntiaverant. II. Canalis Herenthaliensis fodi coeptus. III. Cameli sex dono Imperatoris ad Ducem adducti.

ACTA.

I. Ex II vol. Privilegiorum, fol. 89, et Maiori Papyraceo, fol. 134, indicat Edelherius « definitivam sententiam a Senatu » Brabantiae latam, circa quaestionem versatam inter hanc » Civitatem et Dominum Wesemaliensem, propter duos cives » nostros, qui, in territorio Mechliniensi capti, libere renuntiave- » rant iuri civilitatis suae. » Lata autem sententia legitur XXVIII Iulii; sed quae eius summa fuerit non exprimitur ab Edelherio; exprimit Collector Anonymus, ut scilicet « tradantur Sculteto » Antverpiensi cum articulis accusationum, a nostro Magistra- » tu iudicandi, pro qualitate delictorum : quod autem praeten- » debatur, ut iidem captivi liberarentur onere expensarum, » sua causa Domino praedicto factarum, id sibi Brabantiae » Cancellarius cum suo senatu, ad quos nostri appellaverunt, » definiendum servavit. » Ita ille. Similia quaedam iterum infra recurrent ad annum M.CCCC.LXXIV; interim hic iuverit rem indicasse, inde et ex ipsius sententiae tenore plus lucis accepturam, si operae pretium videbitur ipsum in fonte suo requirere.

II. Ad instantiam textorum Herenthaliensium, « annuit Dux, » die VI Octobris, Canalem Herenthalio Antverpiam fieri, » vecturum merces istius municipii, omniumque adsitorum ei » locorum. » Ducendus autem hic Canalis erat (non obstante Liranorum oppositione, querentium aquam sibi detrahendam) per Netham usque in Mol fluentem, indeque producendus, trium fere leucarum spatio, usque Antverpiam. Hinc inchoata mox fossio fuit, et a caerulea turri, circa portam Georgianam,

per sesquileucam protracta usque ad rivum Scindae, ubi (per oppositam, ne totus solito alveo defluat, cataractam) dulcis eiusdem aqua excipitur, et ad praefatam turrim derivatur, ibique sistitur dispensanda per Braxatorias, tunc adhuc via Cammeria stantes : expensa eatenus non inutili, utiliori tamen futura, si Herenthalienses ex sua quoque parte perfodissent alterum sesquihorae spatium, circa Mol pagum usque Netham fluvium. Verum ipsis opus perficere cessantibus, evanuit spes inde concepta uberioris faciliorisque per Campiniam commercii. Manet tamen Canali nostro nomen *Herenthaliensis* fossae; et haec ipsa ut navigiorum, saltem minorum, capax redderetur, saepius deliberatum, imo et decretum fuit, facultate etiam a Principe impetrata : sed hactenus peractum nihil est, quamvis demonstratum sit id fieri posse, emolumento publico maximo et impendio non magno, Liranorum autem commodo nonnullo.

III. Hoc etiam anno, inquit Secretarius Valkenisse, Antverpiam venerunt sex cameli, a Frederico, Imperatore, Duci Philippo donati; quod etiam fastis dignum est visum.

A. C. M.CCCC.LXIII.

—

Commissarii ad renovationem. — Dominus de Croy. — *Cancellarius*, M. Ioannes Orfevere. — *Secretarius*, M. Ioannes Steep.

Consules xxx novembris. — Walravus Draeke. — iii. Ioannes Schoyte.

Scabini. — Ioannes van Ursele. — Nicolaus de Herde. — Henricus van Mechelen. — Wilhelmus Draeke. — Gerardus

vanden Broeck. — M. Wilhelmus vander Heyden. — Aegid. vanden Wyngaerde. — Wilhelmus van Tichelt. — Ioannes Colgenssone. — Petrus vande Werve. — Ludovicus van Ranst, f. Arnoldi.

Secretarii Valkenisse, in Analectis ex notitiis Secretarii de Moy, Scabinorum ordinem eatenus diversum tradunt, ut primo loco ponatur *Ioannes van Ranst* (fortassis in locum consanguinei *Ludovici*, vita vel officio defuncti, substitutus), *Walravus Draeke* ad nonum locum retrudatur, et *Simon Draeke* collocetur penultimus pro *Ioanne Colgenssone*, antepenultimo. Unde suspicor mense Maio aliquam Senatus immutationem, qualem a se inventam suggerit Advocatus Nys.

ARGUMENTUM.

I. Grande periculum ab intumescente Scaldi. II. Magna annonae abundantia. III. Ordinati Magistri ad incendia restinguenda. IV. Conditiones obtinendae Civilitatis a Duce constitutae. V-VII. Clericatus Pacificatorum Scabinis assertus contra exauctoratum Subscultetum, deinde etiam accusatum tentati incendii.

ACTA.

I. Gramayus, pag. 41, ex quodam Heinsii Indiculo profert versum unum chronicum simul et rhythmicum, unde innotescit hoc anno grande aliquod ab intumescente Scaldi periculum fuisse, hoc modo :

sI sCaLda CresCIt, ager et rUs oMne paVesCIt.

Damnum tamen tunc factum nusquam legitur. Interim nota D litteram, quae nunc pro quingentis supputat, necdum inter Chronicas censitam fuisse, sicut anno M.CCCC.LXVII plenius explicabitur.

II. Ut ut est, inde carior nihilo annona fuit : nam Secretarii

saepe citati Chronica notat, quod « omnis hibernae frugis mira » vilitas fuit; et Thenis, inquit, saccus secalis schellingis XI » aut XII; tritici XVI, XVII, aut ut summum XVIII vendebatur; » fabarum mensura uno, pisorum vero uno, et quinque qua- » drantium nummo, vulgo BRASPENNING. » Maiorem adhuc vilitatem indicat Chronica Snyderi, cum dicit « quadrantal » secalis, EEN VEERTEL, Antverpiae venisse assibus V; tritici VIII, » fabas uno, pisa quinque quadrantibus, speltam et hordeum » proportionate. » Quia tamen tempus anni nec hic, nec ibi exprimitur, potuit ea annonae vilitas praecessisse periculum istud, quod fortasse, exeunte dumtaxat anno, Antverpienses conterruit.

III. Circa incendia, nimis quam frequentia in Civitate, tota fere adhuc ligneis aedificiis structa, ordinationem amplissimam hoc anno factam, et in Minori Papyraceo, fol. 21, descriptam, indicat Pensionarius Nys, verbo INCENDIUM; et addit, fol. 21 notari, « quod eodem tempore ordinati fuerint quatuor incendiis » intendentes (Magistros incendiorum appellant), quorum duo ex » Scabinis, duo ex civibus deliguntur; » adscripto tamen anno M.CCCC.LXXXIX, quando eos invenimus in Fastis Scabinalibus nominatos. Prior autem ordinatio recepta et probata fuit die IX Augusti.

IV. Eodem mense, die XVIII, teste utroque Pensionario et eorum Indice chronologico, declaravit DUX PHILIPPUS multa ad politiam Civitatis spectantia, et relata in vol. I fol. 198. Ac primum, « ut cives creentur diebus Veneris in Tribunali seu » Praetorio aut aliis diebus, quibus istic ius dicetur, coram » Praetore, Scabinis et Quaestore, aut eius Clerico, coram » quibus iuramentum praestent, solvantque pro iure civilitatis » suae schellingos XVI, monetae Brabantiae, ad usus Principis: » quos sic acceptos Quaestor in rationes referat, cum attes- » tatione, sub sigillo Civitatis. Insuper pendentur Praetori » schellingus unus, et quinque ad usum Civitatis, et alii

» quinque ad usum Scabinorum. Cives autem externi tenentur
» intra festum Purificationis et Pascha annue pendere schel-
» lingos duos Principi, et tres Civitati; talium autem duo
» habeantur Registra, unum servandum apud Quaestorem
» Principis, alterum apud Quaestorem Civitatis. Si vero ex-
» ternorum illorum aliquis neglexerit suo tempore praestare
» quod debet, eo ipso amittat ius civilitatis, nec amplius
» annumeretur civibus : insuper mulctetur in tres regales,
» unum Principi, alterum Civitati, tertium Quaestori sol-
» vendos, propter impensas causa executionis faciendas; et
» nihilominus quidquid debebatur, a termino ultimo praestitae
» solutionis. Poterit autem Quaestor, tam mulctas quam pen-
» siones reliquas, iure vindicare ex pignore, aut quacumque
» primum obvia supellectile. » Ita Philippum Ducem statuisse verbotenus asserit Collector Anonymus. Infra autem, anno M.D.II, videbis formulam, qua externi citantur ad solutionem. Porro ex Decreto conceditur Consulibus et Scabinis, Quaestoribus Ducis, Sculteto et Ammano, ut singulis annis possint aliquem de familia domesticum suum promovere, qui gratis civis fiat, et ut talis recipiatur ad quaecumque civium privilegia. Notat autem hoc loco Caukerkius, quod *Schellingus Brabanticus* tunc solum valebat stuferos quatuor, sicut *libra* florenos quatuor. *Extraneos* autem *cives* dici, qui intra leucam bannalem commorantes, ut civium oneribus obnoxii sunt, sic etiam fruuntur eorum praerogativis.

V. Die IX Octobris in Concilio Brabantiae « decisa est
» controversia orta (ut apud Pensionarium Nys habet Papy-
» raceus Maior, fol. 139 v.°) inter olim Subscultetum et Magi-
» stratum, ex eo quod hic Pacificatoribus ordinasset proprium
» *Clericum,* id est *Scribam* seu *Notarium :* cuius muneris
» collationem Regii iuris esse contendebat, atque ad Regem
» spectare mulctas a Pacificatoribus decretas.

» E contrario Magistratus asserebat, illud non esse novum » institutum, cum Pacificatoribus semper servierint ii, quos » ad idem officium pretio conductos sibi Civitas assumebat. » Sed quoniam haec, ob causarum multitudinem, iis amplius » carere non poterat, ut Pacificatoribus etiam servirent, iure » suo usum se dicebat Magistratus, cum eis assignavit super- » numerarium ad id creatum; quippe per vetera sua privilegia » liceret Civitati, quos voluerit sibi acciscere ministros, et suum » cuique stipendium definire in iis quae publicam administra- » tionem et politiam spectant, praeterquam Clericatum San- » guinis. Cum autem Subscultetus, HUGO DE KONINCK, propter » quaedam delicta, esset interim officio suo privatus, litem » tamen contra eum iam constitutam et instructam prosecuta » est Civitas, et obtinuit ut suae dispositioni officium istud » maneret. »

VI. Eadem omnia, quoad substantiam, sed aliquanto prolixius, ipsisque Papyracei teutonicis verbis, habet Collector Anonymus; unde insuper intelligitur dictum « Subscultetum, » praestito inter manus Cancellarii iuramento, effecisse ut, non » obstante Civitatis dispositione contraria, in possessionem in- » duci iuberetur sub poena quinquaginta librarum, cum com- » pensatione expensarum damnorumque. Causa nihilominus » in Senatu recognita, excidisse illum sua praetensione. » Potissimum argumentum fuit, quod « Cameram Pacificatorum » Civitas, usa veteri suo iure et privilegiis, instituit ad » sublevandum eo onere Scabinorum Collegium *(scilicet anno* » M.CCC.LVII) eodemque iure addidisset illi Clericum seu Graphia- » rium (*anno* M.CCCC.XXXIII) absque ullius hactenus oppositione : » proinde non esse amplius susceptibilem Subscultetum ad » officium iam alteri collatum; Consulesque et Scabinos esse » manutenendos in possessione tam illius quam aliorum om- » nium munerum conferendorum, exceptis Clericatibus San-

» guinis et Ammaniae, quos solebat Princeps conferre, sicut ex » antiquo iure ipsamet Praetura et Ammania Principalis dis- » positionis fuisse noscuntur; utpote multo prius constituta » officia, quam Consules Scabinique creari incoepissent, ipsi- » que Civitati ab exordio coaeva. »

VII. Inter gravamina exauctorati Subsculteti etiam hoc esse potuit, quod « rusticus quidam, ad Nundinas Bavonianas, » propter caedem commissam incendiumque tentatum, flam- » mis exustus, illum accusavit, ut qui sibi auctor fuerit » flagitii suscipiendi *(quod habet Snyderi Chronica)*; ipsumque » fuisse declaratum Civitatis inimicum, » fortassis postquam Bredam confugerat, huc citatus ad causam dicendam. De eo istic apprehenso exstant litterae anni sequentis LXIII eiusdem libri fol. 138. Quin imo Secretarii Valkenisse et Caukerkius scribunt rursum anno LXIV molitum incendium Civitatis per puellam rusticam similiter deprehensam et flammis crematam. Quem tamen exitum ille habuerit, nemo explicat.

A. C. M.CCCC.LXIV.

COMMISSARII IIDEM QUI SUPRA.

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — Henricus vander Moelen IV. — v. M. Wilhelmus vander Heyden IV.

SCABINI. — Ioannes van Ursele. — Wilh. vanden Wyngaerde. — Nicolaus de Herde. — Ioannes van Mechelen. — Walrav. Draeke. — Wilhelmus van Tichelt. — Ioannes Colgenssone. — Walterus Breem. — Petrus vande Werve. — Paulus van Ranst. — Franco van Haelen.

ARGUMENTUM.

I. Saeva hiems. Panni Anglicani interdicti. II. Duci ad bellum sacrum in Syriam profecturo exstructa triremis. III. Tempestas valida. IV. Ordinati censurae halecariae Praefecti.

ACTA.

I. Liber temporum, apud Advocatum Nys, adeo rigidam facit huius anni hiemem, ut « Scaldis, integro mense, steterit » gelu constrictus, et pedibus permeabilis. » Petri Verulii Rotulus hiemem hanc differt ad biennium, et hebdomadis quinque gelu continuans, addit : « tunc Antverpiae praesentem » Comitem Palatinum Rheni, vehementer miratum tantam » glaciei constantiam; » qui videtur fuisse Ioannes IV, defunctus anno M.CCCC.LXXVI. Chronica autem Snyderiana pannos omnes Anglicanos, hic et toto Belgio, interdictos memorat.

II. « Interim parata fuit ad S. Bernardi grandis navis, ibi » iussu Ducis confecta, pro expeditione Sancta contra Turcas. » In hanc ille nomen iuratus dederat; sed deinde Pontifici » se excusans, misit Nothum suum Anthonium, cum multis » Belgis; qui, Venetiis inurbaniter habiti, mortuo Anconae » Pio II, XIV Augusti, et dissolutis, qui convenerant, Cruciatis, » nulla re memorabili gesta, redierunt. »

III. Chronica Secretariorum meminit « tempestatis ac tur- » binis adeo vehementis, ut circa Antverpiam plures naves » concussae et aggeres perfracti fuerint; undecim enim horis » duravit intemperies ista. » Chronica vero rhythmica Ms. definit diem *S. Mathiae*, qua id contigerit, id est XXV Februarii; erat enim annus bissextilis.

IV. Praefati autem Secretarii, in suis Analectis, notant ex Papyraceo Priv. lib. fol. 147, hoc anno fuisse « ordinatos » quatuor censurae halecariae Magistros, KEURMEESTERS, »

quod fuerit initium eius Camerae, de qua pluribus infra agendum erit, ubi de statutis illius reformatis agetur.

A. C. M.CCCC.LXV.

COMMISSARII AD RENOVATIONEM. — D. Antonius de Brabantia. — Ioannes van Ranst. — D. Ioannes van Castergate. — M. Ioan. van Schoonhoven, *Secretarius*.

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — Ioannes van Mechelen. — x. Mag. Ioannes Pot.

SCABINI. — D. Wilhelmus van Lier. — D. Mich. vande Werve. — D. Ioannes van Halmale. — Ioannes van Ursele. — Wilhelmus vanden Wyngaerde. — Nicolaus de Herde. — Henricus van Mechelen. — Wilhelmus van Taveryen. — Walravus Dracke. — Ioannes van Ranst f. Danielis. — Aegidius Martens.

ARGUMENTUM.

I. Principe Carolo contra Francos pugnante et uxore eius ad S. Michaelis aegrotante (ubi etiam II-IV. obiit et habuit in monumento, adhuc superstite, epitaphium), Praeputium Domini solenniter circumfertur. V. Pons portae Cammeriae Civitati donatur. VI. Fons aeneus baptismalis dedicatus. Cerevisia publicitus coquitur.

ACTA.

I. « PROCERUM ingens conspiratio contra Franciae Regem » Ludovicum, in partes suas traxerat CAROLUM, Ducis nostri » filium, cognomento PUGNACEM; qui Parisios usque progres- » sus cum copiis, dum Britanniae Ducis iungendas sibi copias

» expectat, prope Montem Erycium (vulgo MONT-LE-HERY) ab » invito Rege invitus ipse, ad pugnam, ambobus ferme fatalem, » protractus est XVI Iulii. Utrimque de altero fama sparserat » profligatum esse, uterque victoriam sibi asserebat. Carolus » campum tenuit; sed aliquoties periclitatus de vita, etiam » vulnera retulit; Ludovicus satis habuit Parisios conser- » vasse.

II. » Interim ISABELLA, uxor Caroli, Antverpiae ad S. Mi- » chaelis decumbebat aegra et mariti vice sollicita. Morbo » autem ingravescente, in octava Assumptae Virginis, die XXII » Augusti, extra ordinem (nec enim is dies Dominicus erat, » quo amburbalia Mariana circumducuntur, sed feria V, cur- » rente tunc littera Dominicali F) instituta specialis supplicatio » fuit, cum Dominico Praeputio, non solito alias tunc circum- » ferri. » Id factum docuit me Chronica rhythmica, pluribus, sed male tornatis versibus rem explicans, et locum, ubi Princeps erat, nominans, non item causam ob quam vel hinc aberat, vel supplicatio instituta erat. Primam ex nostra historia novimus, alteram colligimus ex obitu Ducissae, sequenti mense Septembri secuto, die XIII, in eadem Abbatia, ubi postea eidem monumentum praeclarum erexit filia sua, cum epitaphio, quod inter sepulcralia Brabantiae monumenta Sweertius noster sic descripsit :

« Hic iacet nobilissima ISABELLIS, ut subscripta utriusque pa- » rentis demonstrat progressio; Karolesii Comitissa, Karoli, » Ducis Borbonii, filia devotissima; Domini Karoli, Illustrissimi » Principis, Philippi, Dei gratia, Burgundiae, Lotharingiae, » Brabantiae, Limburgi Ducis; Flandriae, Artesiae, Burgundiae, » Palatini Hannoniae, Hollandiae, Zelandiae, Namurci Comitis; » S. R. I. Marchionis; Salinarum et Machliniae Domini, unici » filii, coniux carissima, quae MARIAM, unicam ex illustrissimo » marito relinquens filiam, in florida aetate decessit, anno

» Dominicae Incarnationis M.CCCC.LXV, die XIII Septembris. In » Christi pace requiescat. » Uti epitaphium in aere circa tumbae oram ductum, sic etiam utriusque parentis progressionem in epitaphio notatam, invidit aetati nostrae harpyiarum Calvinisticarum rapacitas, detractis, quibus exprimebatur, laminis aeneis. Superest ex nigro marmore magnificum monumentum, cum aenea defunctae statua, et tribus circum tumbam statunculis, ex maiori numero reliquis.

III. Istud, ne aboleri totum aliquando possit, Baro Le Roy aeri curavit insculpi, prout in eius lib. pag. 55, conspicitur, et ex lamina, nobis ab illo donata, spectatur in nostro Corollario Norbertino, ad diem VI Iunii. Reliquorum memoriam reperio, post Collectionem epitaphiorum Natalis Le Boucq, fol. 168, gallice descriptam, quam sic latine reddo : « Circum tumbam » inferne visuntur statunculi utrimque duodecim, cum insi- » gnibus et nominibus parentum defunctae. A dextris, Ioannes, » Dux Burgundiae, et Margarita Bavara; Philippus Audax, et » Margarita Flandra; Albertus, Dux Bavariae, et Margarita » Burgunda; Ioannes, Rex Bohemiae, et Elisabeth, filia et » heres Bohemiae; Ludovicus, Comes Flandriae, et Margarita » Brabanta; Ludovicus, Imperator Romanus, et Margarita, Han- » noniensis, Comes Foresti et Comitissa Arverniae; Petrus » Borbonius et Isabella Valesia; Ioannes Armaniacus atque » Burgundus, et Ioanna, eius uxor; Ludovicus Borbonius et » Anna Arvernensis; Carolus Borbonius et Agnes Burgunda; » Carolus, Dux Burgundiae, et Maria, eius filia. A sinistris, Maria » Burgunda, filia unica Ducis Caroli et Isabellae, uxoris eius; » et Carolus, Dux Borbonii atque Arverniae, pater Isabellae; » Ioannes, Dux Borbonii et Arverniae, avus paternus; Maria, » filia Ioannis, Ducis Bituricensis; Ludovicus, Dux Borbonii et » Arverniae, proavus paternus; et Anna Arvernica, eius uxor; » Ioannes, Dux Bituricensis, abavus paternus; Petrus, Dux

» Borbonii, tritavus paternus; Elisabeth Valesiae, filia Comitis » Caroli; Carolus, Comes Foresti et Arverniae; Maria, Comi- » tissa Arverniae. »

IV. His omnibus sic duplicatis nominibus similiter geminata superponebantur scuta, quae, pro sinistro quidem latere, rudi calamo designata Collector reliquit, pro dextro designare ea neglexit. Inscriptionem autem primariam, ad caput vel pedes defunctae collocatam, grandiori in lamina sic depinxit, ut, ad locum positae hic † crucis, prioribus posterioribusque lineis interpositum habeat scutum Mariae, monumentum hoc statuentis. Est autem scutum quadratum, atque ex suis et mariti Maximiliani armis compositum, et regaliter exornatum. Notat etiam Collector, ex utroque chori latere stetisse angelos duos (aeneos reor), quorum unus arma Burgundica, alter Borbonica tenebat. Atque haec de ornamentis istius monumenti iam deperditis, inter quae qualem locum tenuerint tres, qui supersunt, statunculi, nemo nunc divinaverit.

V. Ad Civitatem attinet, quod *Ioannes van Ranst* (idem, credo, quem iam novies Consulem vidimus) *Civitati reliquit pontem Cammeriae portae,* DE CAMMER-POORT-BRUGGE. Idemne autem iste sit, quem rursum quater Consulem habebimus, an vero huius pater vel patruus sit, non divino; suspicor tamen ultimum, quia verbum *reliquit* legatum testamentarium alicuius iam vita functi indicat. Stetit porro ista porta usque ad annum M.D.XVIII, quando destructam asserit Rotulus Petri Verulii.

VI. *In Basilica Mariana fontem hoc anno aeneum baptismalem dedicatum,* refert Codex Opmerii, apud Gramayum, pag. 57. Et Secretarii notant *coepisse Civitatem impendio suo cerevisiam coquere, sed* MODICO TEMPORE ID DURASSE.

A. C. M.CCCC.LXVI.

Commissarii ad renovationem. — Dom. Cancellarius Brabantiae. — D. Antonius de Brabantia. — D. Ioannes van Castergate. — *Secretarius*, M. Wilhelmus Nieulant.

Consules xxx novembris. — Ioannes van Ursele. — iv. Ioannes Schoyte.

Scabini. — D. Wilhelmus van Liere. — D. Michael vande Werve. — D. Ioannes van Halmale. — Henricus van Mechelen. — Aegidius vanden Wyngaerde. — Wilhelmus van Tichelt. — Mag. Ioannes Pot. — Ioannes van Ranst. — Aegidius Mennens. — Arnoldus van List. — Wilhelmus van Riethoven.

ARGUMENTUM.

I. Antverpienses Duci Dionantum obsidenti militant; oppidum deditum exscinditur. II. Ioannes Nivernensis, Philippi Burgundi ex filio Philippo nepos, a Carolo, Principe, capitur : III-XIV. captus protestatur solenni actu nihil se iuris in Antverpiam Brabantiamve praetendere. XV. Liber autem dimissus factum retractat in gratiam Francorum, ad quos transfugerat, sed frustra. XVI. Requiritur eius Nivernis epitaphium. XVII-XXVI. Fundatur Carthusianis Domus S. Sophiae prope Silvam Ducis, post sesquiseculum transferenda Antverpiam. XXVII. Violati arresti reus nequidquam causatur fidem Nundinarum.

ACTA.

I. « Pacem Leodiensibus, mense Ianuario, philippus dux in-
» dulserat, post Ludovicum, Francorum Regem, gravi praelio

» victum; quae ne diu duraret, fecerunt Dionantenses proximo » Aprili, contra quos proficiscenti Duci Antverpienses trecentos » publicitus adiunctos » tradunt in suis Analectis Secretarii. Loyens breviter et eleganter successum describit, pag. 131 et 132. « Quomodo scilicet foedifragi, post atroces iniurias Duci » ac filio Principi illatas, et delegatum a Boviniensibus civem, » qui saniora suaderet, cum puero suspensum; tandem despe- » ratis subsidiis Leodiensium, triginta millia armatorum sub- » mittere pollicitorum, clementiae Ducis dedere civitatem » coacti sunt, cum is oblatas sibi claves adstanti filio Carolo » tradidisset, idque hic interpretaretur potestatem agendi, ut » vellet, non solum diripiendam exercitui dedit, soli imbelli » turbae in tutum abeundi concessa facultate, sed tatam, igne » iniecto, consumi voluit, murosque a fundamentis everti, ut » Dionanti sedes una iam ruinae foeditate cognosceretur. »

II. Interea actum est cum Ioanne Nivernensi, cuius haec contra Carolum Principem, subpatruelem suum, causa erat, quam placet distinctius explicare. IOANNES III, Brabantiae Dux, liberis masculis destitutus, heredem reliquerat Ioannam filiam; alias autem duas, Margaritam et Mariam, Flandriae Comiti et Geldriae Duci elocarat. IOANNA, nullis susceptis liberis, sororis MARGARITAE ex Philippo Burgundo filium secundo genitum, ANTONIUM, ita heredem instituerat, ut, si deficeret ex eo stirps, ad Ioannis primogeniti liberos rediret Brabantia, nulla habita ratione Philippi, ex eadem Margarita sorore tertio geniti. Hic PHILIPPUS, Nivernensi et Rethelensi Comitatibus, a patre acceptis, contentus, filios genuit, *Carolum*, anno M.CCCC.LXIV defunctum, et *Ioannem*. Interim Antonio nati filii, *Ioannes* et *Philippus*, sine liberis obeunt, eisque succedit *Philippus Bonus*, Burgundiae Dux et Flandriae Comes, filius Ioannis praenominati, ex pactis conventis cum fratre Antonio. Philippo Bono succedit filius CAROLUS PUGNAX, et huic unica filia MARIA: quae

cuicumque nuptura, allatura erat marito Belgium fere totum in dotem.

III. Nihil poterat videri magis conforme testamento Ioannae, eiusque cum sorore Margarita pactis; fuerunt tamen qui mussitarent, quod, defunctis Antonii liberis, ad liberos patrui eorum, Philippi Nivernensis, revolvebatur successio, quorum alter, *Carolo* iam mortuo, frater eius *Ioannes* poterat ius praetendere. Hic tum, relicta Philippi aula, ubi educabatur et simul custodiebatur, se receperat in Franciam: sed cum Peronam, anno M.CCCC.LXV, astu occupasset Carolus, in eaque captum Ioannem arctae custodiae tradidisset in oppido Bethuniensi, non prius liberum abire permisit, quam publico instrumento profiteretur, nihil se iuris habere aut praetendere in Brabantiam. Instrumentum autem istud fecit in hunc modum, XXII *Martii ante Pascha*, quod anno nobis M.CCCC.LXVI, stylo autem Gallicano adhuc LXV currente, concurrit cum XIV Aprilis. Instrumentum hoc Ioannes de Faij, iurisconsultissimus in Mechliniensi Parlamento supremo Consiliarius, subtexuit tractatui suo gallico, hactenus inedito, quo conatur iustissimam Ducum nostrorum causam defendere contra Ludovicum XI, Franciae Regem, Mariae Provincias, tam ante quam post contractum cum Maximiliano matrimonium, invadendo molestissimum.

IV. Ipsum hic latine reddo : « IOANNES, Comes Nivernensis, » Rethelensis et Stampensis, Baro Dulciacensis, et Dominus » Dordanensis, omnibus praesentes litteras visuris salutem. » Cum aliquo abhinc tempore, prout audivimus, in regione » et Ducatu Brabantiae suscitatus sit rumor et fama, quasi » Nos praetenderemus iuris aut rationis aliquid in Ducatus » et dominia regionum atque terrarum Lotharingiae atque » Brabantiae, Marchionatumque Antverpiensem et ditiones » Transmosanas, earum appendicias et dependicias qualescumque; quas Nobis vindicare vellemus, mediantibus quibusdam

» divisionibus et tractatibus, factis per praenobilis ac praecelsae » memoriae avum nostrum Philippum, filium Regis Franciae, » et Burgundiae Ducem, cuius animam Deus habeat a culpis » absolutam; eiusque filios aeque praenobilis memoriae, Ioan- » nem, Burgundiae, et Antonium, Brabantiae Duces, eorumque » fratrem Philippum, patrem nostrum carissimum, Comitem » Nivernensem et Rethelensem; tum etiam, ratione proximae » consanguinitatis, qua carissimus frater ac Dominus meus, » Carolus, Dux Nivernensis, nuper defunctus, et Nos contin- » gebamus Ioannem et Philippum, Duces Brabantiae, praefati » Antonii, Ducis, filios : qui rumor et fama venientes ad » aures et notitiam Domini nostri, perquam reverendi, et » patrui, Ducis Burgundiae atque Brabantiae, nec non filii » eius atque cognati, Domini atque Nobis reverendi Caroli, » Carolesii Comitis, possent et possunt eis suspicionem in- » gerere, quasi eiusmodi rumor ac fama per Nos fuerint » suscitata.

V. » Idcirco notum facimus, quod considerantes, Nos ex » dicta nobilissima Domo Burgundica genus ducere, cuius » dictus Dominus et patruus meus in praesentiarum est, et » reverendissimus Dominus cognatus meus, filius eius unicus » et heres, in futurum post illius mortem caput erit; et quod » in eadem Domo a primis aetatis nostrae annis nutriti et » educati sumus; memores etiam grandium bonorum et hono- » rum, ab eadem Domo in Nos derivatorum; desiderantesque » auferre praedictis Dominis nostris, patruo ac patrueli, omnem » materiam sinistrae suspicionis, nostraeque conscientiae et » honori consulere; certiores autem redditi, beneque informati » de divisionibus et tractatibus, dictam proximitatem concer- » nentibus, aliisque omnibus causis, rationibus et mediis, » quibus allegatis praetendi posset, quod Nos haberemus vel » habere deberemus ius in praedictos Ducatus et ditiones,

» ex toto vel ex parte; nec non de consuetudinibus et mori-
» bus ditionum earumdem; de tractatibus quoque et pactis
» conventis cum Ducibus et Ducissis ipsarum regionum, mate-
» riam istam concernentibus :

VI. » Ex nostra certa scientia ac motu proprio, puraque
» ac libera voluntate, praevia matura deliberatione atque
» consilio, absque ullius violentia, coactione, inductione aut
» dolo malo, agnovimus, confessi sumus, ac declaravimus, et
» per praesentium tenorem agnoscimus, confitemur ac declara-
» mus, quod praedictus Dominus ac frater meus, atque Nos
» ipsi, numquam habuimus neque praetendimus aut praetende-
» mus habere ius aliquod, partem vel portionem in praefatis
» Ducatibus terrisque vel dominiis, Lotharingiae, Brabantiae
» et Limburgi, Antverpiaeve et Transmosanae ditionis, earum-
» que attinentiis et dependentiis quibuscumque, per dictos
» tractatus vel partitiones, aut ratione proximitatis, aliove
» titulo vel causis, scriptis aut non scriptis, consuetudine
» generali vel particulari, et quocumque alio imaginabili prae-
» textu; et quod in dictis terris, Ducatibus, Dominiisque
» nolumus vel praetendimus asserere Nobis ius aliquod, domi-
» nium, portionem, aut hereditatem, pro praesenti aut futuro
» tempore. Agnoscimus etiam et fatemur, quod praedictus
» Dominus ac patruus meus fuerit et sit verus atque unicus
» heres, dominus et possessor ipsorum Ducatuum, Dominio-
» rum, Regionum atque terrarum Lotharingiae, Brabantiae,
» Limburgi, Antverpiae et ditionis Transmosanae, appenden-
» tiarumque et dependentiarum; easque tenuerit ac possede-
» rit longo tempore pacifice, videntibus et scientibus Nobis,
» absque ulla contradictione fratris mei praedicti vel mea;
» quodque praedictus Dominus et patruus meus, itemque Domi-
» nus et cognatus filius eius erit et manebit, debetque esse et
» manere verus et solus heres, dominus ac possessor earum

» Regionum, Ducatuum, Dominiorum, absque eo quod meo
» quondam Domino ac fratri aut mihi attinuerit ullum ius,
» portio aut divisio, per consuetudines aut usus dictarum
» terrarum, Ducatuum vel Dominiorum, neque per alios titulos,
» tractatus aut conventiones, causas vel media, de quibus plene
» ac sufficienter certificati et informati sumus.

VII. » Profitemur autem, quod de praedictis adeo certificati
» et informati sumus, ut numquam opus sit ei, ad contento-
» rum his litteris effectum, probationem aut demonstrationem
» quamcumque adducere; eorum producendorum onere, quan-
» tum necesse est, liberantes d. Dominum et patruum nostrum,
» atque patruelem, eorumque heredes, successores et agentes
» in causis, non obstante quacumque in contrarium probatione
» vel exhibitione aliorum titulorum, tractatuum, et conventio-
» num, consuetudinum, usuumve allegabilium, modo quocum-
» que : quos et quas, si qui vel quae sunt vel essent praedictis
» contrarii aut contrariae, volumus et declaramus hisce cessa-
» tos cessatasque esse atque manere, nulliusque efficaciae;
» quod nec Nos nec successores nostri iis umquam uti vel niti
» qualitercumque possimus, contra et in praeiudicium dd.
» Dominorum meorum patrui et patruelis, eorumve heredes;
» si autem eiusmodi titulorum, conventionum et tractatuum
» quidpiam in manus nostras aliquando veniat, id promittimus
» absque dilatione ulla continuo tradere.

VIII. » Ad maiorem porro declarationem et firmitatem, ne
» quod umquam dubium vel difficultas ulla, per Nos nostrosque
» successores moveri possit circa praedicta, remisimus, red-
» didimus et dereliquimus, atque per praesentes remittimus,
» reddimus atque derelinquimus dictis Dominis patruo ac
» patrueli nostris, eorumque heredibus ac successoribus quod-
» cumque ius, actionem vel portionem, quas defunctus Domi-
» nus ac frater noster et Nos ipsi habemus aut habere possemus,

» in Dominia, Ducatus et terras Lotharingiae, Brabantiae, » Antverpiae, atque trans Mosam, ipsarumque attinentias et » dependentias quascumque, quocumque modo vel titulo, ut » supra dictum est. Insuper promisimus et promittimus, in » fide nostra et sub iuramento corporaliter praestito, et pro » honore nostri iuramenti, ad sancta Dei Evangelia, atque » sub obligatione omnium bonorum nostrorum, praesentium » et futurorum, pro Nobis nostrisque heredibus, praedictas » agnitionem, declarationem, cessionem, conventionem, renun- » tiationem, totumque praesentium tenorem habere ac tenere » firmum, acceptum, stabilem et immobilem, absque eo quod » umquam, per Nos vel alios, directe vel aliter facere, procu- » rare, vel consentire possimus aut poterimus quidquam contra » praemissa.

IX. » Quin etiam expresse promisimus et promittimus, toties » quoties opus erit, et requisiti fuerimus a praedictis patruo et » patrueli nostris, facere, probare, confirmare, ac renovare » praefatas declarationem, agnitionem, cessionem, conven- » tionem et renuntiationem praefatarum terrarum, superius » nominatarum; etiam omni modo convenienti et requisito, » in conventu Statuum generali, vel alio loco quocumque » placuerit praedd. Dominis nostris, eorumque heredibus vel » singulis eorum, parati ad eumdem finem personaliter Nos » ipsos transferre ad loca et terras supradictas. Submisimus » etiam et submittimus Nos, per praesentes, iudicio, correctioni » et coactioni Sanctissimi Domini nostri Papae, Imperatoris, » omniumque Regum, Ducum, Dominationum et Communita- » tum ac Curiarum, tam Ecclesiasticarum quam Secularium, » per quas et singulas earum volumus cogi et compelli, quo- » adusque impleverimus et observemus omnia praedicta.

X. » Renuntiavimus autem et renuntiamus expresse qui- » buscumque iuribus, consuetudinibus, facultatibus, statutis,

» ordinationibus, exceptionibus, definitionibus, decisionibus, » dispensationibus, instrumentis et aliis quibuscumque me- » diis, per quae, ex toto vel ex parte, possemus contravenire » praesentibus; quarum Exemplo, ceu Vidimus, facto sub » authentico sigillo, volumus fidem haberi sicut originali. In » quorum testimonium hasce signamus sigillo nostro, nostrique » Secretarii signo manuali, infra eius subscriptionem. Datum » in Engelemunster, XXII die Martii, anno M.CCCC.LXV ante » Pascha. » *Eratque signatum* Ioannes : *et supra plicam :*

Ioannes Berchault.

XI. Sequitur deinde tenor cuiusdam contractus, ex Registro feudorum Brabantiae, unde constat, quod Dominus Nivernensis fecit dictam agnitionem et renuntiationem coram Locumtenentibus et Hominibus feudorum Brabantiae.

« Die XXII Martii anno M.CCCC.LXV, iuxta stylum Curiae Braban- » ticae, coram Locumtenente feudorum Domini Ducis, Domino » Henrico Magnus, Equite, fecit Dominus Comes Nivernensis » agnitionem, declarationem et resignationem Ducatuum Lo- » tharingiae, Brabantiae et Limburgi, Antverpiae et ditionis » Transmosanae, omniumque attinentium et dependentium » ab eis, iuxta tenorem litterarum ibi productarum, Domino » Comite permittente, in manibus praed. Locumtenentis, pro » se suisque heredibus et successoribus, quod compleret et » observaret tenorem ipsarum litterarum; quodque nullo modo » acturus esset contra easdem litteras et promissiones; omnia » autem faciendo pro utilitate Domini Ducis et Domini Caro- » lesiensis, atque heredum et successorum in perpetuum; » praesentibus Walthero vander Noot et Ioanne de Groot, » licentiatis Iuris et Consiliariis; nec non Engelberto de Diel- » beek, Homine feudali D. Ducis, aliisque pluribus; » *et erat signatum* D. de B.

XII. Sequitur etiam tenor litterarum, sigillatarum sigillo

Regio, Ordinatoque Tornaci; per quas liquet d. D. Nivernensem, Tornaci existentem in plena libertate, confirmasse, ratificasse, et probasse supradictam agnitionem et renuntiationem.

XIII. « Omnibus praesentes hasce litteras visuris vel legi » audituris, Guillielmus de Luyers, Decretorum Licentiatus et » Baccalaureus, Canonicus Tornacensis et Consiliarius Domini » Regis nostri, Custos sigilli Regii, Ordinatus in oppido et civitate » Tornacensi, salutem. Notum facimus, quod coram Bernardo » Oudry, Tabellione Regio et Iurato ac Stabilito in praedicto » oppido, personaliter comparuit praecelsus et praepotens » Princeps, D. Ioannes, Comes Nivernensis, Rethelensis et » Stampensis, Baro Dulciacensis et Dominus Dordanensis; » qui ex sua certa scientia, puraque et libera voluntate, audivit » et approbavit litteras, tractatus, pacificationis et concordiae » sub plica hic annexas. Insuper praed. Dominus Comes lega- » liter et veraciter, in fide sui corporis, iuravit in manibus d. » Tabellionis, quod sigillum, iis appensum cum duplici cauda » in cera rubra, sit proprium suum sigillum, suis propriis » armis signatum, quo solebat uti in omnibus suis testimoniis » et negotiis, et re ipsa utebatur in data praedd. litterarum hic » praesentium, atque etiamnum uti intendebat. Cui sigillo, » totique litterarum ipsarum tenori plenam fidem faciat et » haberi velit : easdemque tractatus, pacificationis et concor- » diae litteras, ad maiorem veritatis confirmationem, signabat » propria sua manu, coram praed. Tabellione. In quorum fidem, » ad relationem d. Tabellionis, appendimus hisce sigillum Re- » gium, die XXII Martii, anno gratiae M.CCCC.LXV, ante Pascha. » *Signatum* B. OUDRY.

XIV. Porro Consiliarius haec describens, atque, ad pleniorem rerum notitiam, apponens stemma genealogicum utrorumque Principum, ductum a Philippo Audace, primo Burgundiae Duce, finit solito tunc verbo, EXPLICIT. Post aliquod tamen

tempus, eadem propria sua manu, sed alio ac recentiori magisque saturo atramento, sic scribit :

« Tali concordia sic facta et authenticata, Regique per » aliquos bonos viros probata, rogatus deinde Rex, quis ipsum » movisset ad probandum eiusmodi tractatum, cum proprio » praeiudicio, respondit in hunc modum : Factum est ex con- » sideratione iuventutis fratris mei Bituricensis, prudentiae » cognati mei Calabriae Ducis, consensus sororii mei Borbonii, » astutiae Comitis Armeniacensis, magnae superbiae cognati » mei Ducis Britanniae, et invincibilis potentiae sororii mei » Carolesii. »

Istos scilicet omnes pro Carolesio staturos Rex metuebat, si praenotatum contractum conaretur impedire, vel auctoritate sua Regia infirmare; homo alias fidei etiam iuratae prodigus, nec diutius eam servaturus quam cogeret metus amittendi regni; quales nobis deos suos Poetae fingunt, nullo iuramento satis adstringendos, nisi per Stygem firmato; per quem, qui peierasset, coelo expulsus, divinitatis suae praerogativa ad tempus privari credebatur.

XV. Porro, *Mag. Guido Coquillius*, Dominus de Romenay, auctor historiae Nivernensis, editae Parisiis, quem sequitur Ludovicus Moreri, in magno suo Dictionario Historico, contendunt professionem *Ioannis* vi expressam, atque adeo nullam fuisse. Guido autem etiam addit, quod ipsius Ioannis Secretarius, nomine *Bertholdus*, prius quam dependenti ex pergameno caudae Domini sui sigillum apponeret, ipsi caudae inscripserit protestationem illius, quod eiusmodi actum invitus et coactus signasset; et ipse tamquam Notarius, alterum inde exemplum transcribens, sibi retinuerit, usui futurum in Francia, ubi IOANNES, desertus a Rege, nolente eius causa bellum cum Carolo, satis habuerit scribere se *Brabantiae Ducem* quoad vixit; eiusque successores exinde gesserint insignia Lotharingiae,

Brabantiae, Limburgi et Antverpiae, una cum insignibus Niverni et Retheliae, prout etiam videre est in superiori inferiorique aula Nivernensis castri. Carolus autem, praetendens quod *Ioannes* non comparuisset ad proxima Comitia Velleris aurei, cuius torque *Philippus Bonus*, tutor et nutritius eius, ipsum ornaverat, eumdem illo privavit : *Quasi vero*, inquit Guido, *consultum fuisset eius se tradere potestati, quem hostem sic expertus fuerat.* Hactenus, quoad substantiam, Mag. Guido. Ego nihil mihi diiudicandum sumo, solum noto, quod, exstincta posteritate Ioannis mascula (quam Morerius loco citato explicat), et hereditate ad feminas devoluta, natus hinc Comes Nivernensis, per Cardinalem Mazarinum, cuius neptem habebat uxorem, titulum quidem *Ducis* acquisiverit, numquam tamen tentaverit in titulum *Ducis Brabantiae*, eodem iure depellendus, quo *Ioannes* Carolum voluisset repulsum.

XVI. Interim apparet, controversiam istam, in qua de nostra Antverpia tam distincte agitur, esse ab his Annalibus non alienam, et hoc anno apte relatam; quare nec epitaphium *Ioannis*, quod credebam tumbae eius insculptum in Cathedrali Nivernensi reperiendum, voluissem subtrahere talium curioso lectori, si studiose requisitum nancisci potuissem; sed nullum vel in tumba spectari amplius, vel alibi transcriptum inveniri, responsum Nivernis est; quomodo autem vel abolitum, vel positum non fuerit, obscurae indaginis foret quaerere. Monumentum adhuc superest, cum ipsius desuper posita effigie. Noluit forte Rex poni illud permittendo Burgundos irritare.

XVII. Memorabilis quoque nobis annus M.CCCC.LXVI est exordio suburbanae apud Silvam Ducis Carthusiae eius, quae, per varias rerum mutationes, post sesquiseculum translata Antverpiam, solata est desiderium alterius, ex nostro Kilano suburbio Lyram traductae. Illius enim erectionem designatam probare rogatus Ordinis totius Generalis, *Ioannes*, a patria *Neomagensis*,

» familia *Roosendael* cognominatus, ex Capituli sui generalis consensu, hasce litteras dedit :

« Fr. ioannes, humilis Prior Domus maioris Carthusiae, » Ven. Patri in Christo, Priori Domus de Bethleem in » Ruremunda, Ordinis nostri, Salutem in Domino sempiternam, » et, per meritum obedientiae, regnum promereri gloriae » sempiternae. Litteras vestras, litterasque Procuratoris Domus » vestrae, nec non litteras Domini Dionysii, super nova plan- » tatione prope Buscum Ducis iam inchoata, recepimus, in » effectu continentes quomodo, in ipsa plantatione, iam aedi- » ficata est una capella et quinque cellae pro habitatione Reli- » giosorum, et alia aedificia multa constructa, qualia etiam » sunt data ad opus novae plantationis; quantaque promissa » a diversis personis, cum quanto etiam desiderio venerabilis » Vir, D. Ludolfus, fundator d. novae plantationis, anhelet, ut » illuc mittantur personae Ordinis, ita ut de nimia cunctatione » hoc faciendi iam tristetur. Omnibus itaque in dd. litteris » extensius expressis bene consideratis, et attento permaxime » quod nedum d. fundator, et alius venerabilis Vir, Mag. Mar- » tinus, eius cooperator, verum etiam populus cum magna » devotione unam plantationem Ordinis in patria sua habere » desiderat; auctoritate nostri Capituli generalis, tenore prae- » sentium, Vobis committendo mandamus, qualiter ad d. locum » vos personaliter conferatis, et d. Domino Ludolfo, fundatori » principali, et D. Martino, eius cooperatori, Vos praesentetis; » et locum praedictum, cum omnibus pertinentiis suis, posses- » siones, agros, nemora, prata, reditus, et quaecumque alia » bona mobilia et immobilia, iam oblata et offerenda, ex parte » Ordinis acceptetis, ad opus et incrementum prosperum d. » novae plantationis.

XVIII. » Et, quia praed. nova plantatio indiget uno bono » Rectore, auctoritate iam dicta, et cum consilio totius Domus

» nostrae, constituimus in Rectorem d. novae plantationis, » D. Dionysium praedictum, qui in d. nova plantatione a principio laboravit, et prae caeteris facta eius cognoscit pariter » et intelligit. Qui, per Nos sic constitutus Rector, regimen d. » novae plantationis pro merito obedientiae humiliter suscipiat, » ipsamque plantationem in spiritualibus et temporalibus stru- » cturis, et aliis ad eam pertinentibus, regat, ordinet, disponat, » dirigat, secundum Ordinis nostri instituta. Cui et per praesen- » tes damus licentiam exeundi ad Dominos et Magnates, atque » ad alios, cuiuscumque status vel gradus exstiterint, ubicumque » eos esse contigerit, et quoties opus fuerit, ad tractandum cum » ipsis, ab eisque impetrandam licentiam, gratias seu privilegia » d. novae plantationi necessaria seu accommoda; nec non ad » recipiendum quaecumque data et concessa pro iuvamine » ampliori, celeriori incremento, ac prospero successu d. plan- » tationis.

XIX. » Insuper damus licentiam, ut possit eligere, cum » vestro consilio, de aliis Domibus tres monachos, qui sint » religiosae conversationis, viros probos, exemplares, Ordinis » zelatores, ad ponendum in d. nova plantatione sanctae » Religionis fundamentum et bonum principium, tam in cultu » divino quam in observantiis Ordinis, ad honorem Dei et » salutem animarum omnium in d. plantatione et domo Dei » in futurum recipiendorum, et ad bonam aedificationem fun- » datoris et totius populi. Qui monachi, per eum electi et » vocati, ad d. plantationem sine mora habeant se transferre; » cum hoc sit de more Ordinis et practica laudabili in Ordine » consueta, ut ad novas plantationes viri religiosi et exem- » plares de aliis Domibus semper eligantur et mittantur. Et » potissimum in hac nova plantatione hoc est observandum, » ut, sicut dono Dei iam in temporalibus accepit tale princi- » pium, gratia Spiritus Sancti dirigente, in dies ampliorem in

» Spiritualibus habeat profectum. Insuper damus ei facultatem » recipiendi ex aliis Domibus duos Donatos, bonos et utiles, » quos iudicaverit d. novae plantationi necessarios; et generaliter omnia alia faciendi, ordinandi, tractandi et procurandi quae eius discretioni esse videbuntur utilia, convenientia, necessaria et accommoda ad decus novae plantationis, » cum consilio tamen monachorum ad d. plantationem evocandorum, prout est de more Ordinis laudabili. Datum Carthusiae, die III Iulii, anno M.CCCC.LXVI, cum impressione sigilli d. » Domus nostrae in testimonium praemissorum. »

XX. Primus sic constitutus Prior *Dionysius*, cognomento *Rickelius*, est celebris ille et antonomastice dictus *Carthusiensis*; cuius consuetudine captus, et consilio ductus, primus fundator, cognomento *ab Aqua*, seu VANDE WATER, adeo serio applicuit animum pio huic operi, ut, confectis tabulis testamentariis, heredes scripserit Domum ipsam omnium bonorum suorum, id est villarum quatuor (ut asserit scriptor Annalium d. Domus), his verbis initio vel fine testamenti Christum sic appellans : « Ecce, Domine Deus, terra, quam tibi tuisque trado iure » perpetuo possidendam, in conspectu tuo est; incipe eam ex » hoc die possidere. Tua sunt dona et data, quae tibi (oppignorata quidem et onerata, forte non extrema parte) resigno » et restituo. Si vis, potes ea reservare et provehere, ut » proventu suo beent cultores meos ac tuos. Nihil aliud quam » quod iure debeo, facio, qui, cum per te sim capite census, et » censum tibi tamquam Regium Regi debeam, pendo illum, » meque libenter superimpendo, corpus et animam meam » primum, deinde hoc, quidquid est, de substantia mea, exiguum fere ac nihilum; et, ne quid mihi superfluum reliquisse » videar vel reservasse, dono duo aureorum millia pauperibus » tuis, quos ego intra terminum possessionum mearum hodie » recipio; heredesque meos, vel per eos heredem meum,

» Domine, te volo. Mei erunt; et ego, quamvis ultimus » servorum tuorum, ero illorum servus et nutricius in per- » petuum. »

Ad talem liberalis animi professionem admirabundus Annalista exclamat : *Hoc fuit testari! Da, Domine Deus, adhuc similes testatores.*

XXI. Hinc mihi videor intelligere, quod *Ludolfus* bonis istis eorumque usufructu se pro Christo abdicaverit adhuc vivens et sanus, deinceps solis canonicatus sui fructibus victurus, idque anno circiter M.CCCC.LXVII vel VIII, cum primi a Dionysio adducti Ruremunda Religiosi unum circiter annum mansissent in aedibus a d. Ludolfo praeparatis *(Ollandiam villam* nuncupant Annales; in topographia tamen Silvaeducensi nusquam notatur), sed publicae viae adsitis, ideoque perquam incommodis; iamque iidem *Quercetum*, vulgo EYKENDONK, duobus aureorum millibus a Ludolfo emptum, se transtulissent. Ipse autem celerem a Deo charitatis suae retributionem accepit. Etenim Religiosi illi, cum, circa annum M.CCCC.LXX, ad Carolum Ducem miserunt supplicem libellum, de eodem Ludolfo sub particula *quondam* loquuntur, veluti de iam defuncto. Placet autem ex Barone Le Roy, autographum nacto, eumdem libellum hic in linguam latinam traducere, simulque indicare, quantam Geldriae Ducis gratiam novellae plantationi conciliaverit *Venerabilis Dionysius*, ante biennium Ruremundam regressus et apud Sylvam Ducis successorem nactus Venerabilem *Ioannem de Monte,* sive *Bergensem* : qui, eiusdem Ducis patrocinio fretus, eius et Ordinis nomine supplicationem huius tenoris formavit :

XXII. « Praepotentissime et gratiosissime Princeps, petunt » humillime et affectuosissime illustris Dominus Arnoldus, » Dux Gelrensis et Iuliacensis, et Comes Zutphaniae etc. et » totus sanctus Ordo Carthusiensis, a vestra generosa Celsitu- » dine licentiam et admissionem erigendi parvum monasterium

» duodecim monachorum et familiae competentis Ordinis Carthusiensis, prope Buscoducum, fere per distantiam unius leucae vel dimidiae, in quodam loco, dicto EYCKENDONCK *(Lucum Quercinum* sive *Quercetum* vox ea sonat). De et ex eleemosynis per d. Dominum Gelrensem filiumque eius, ac matrem eius, ac illustrem Ducem Cliviensem collectis, et specialiter a quodam sacerdote, quondam Canonico Buscoducensi *(utique Ludolfo praelaudato, sed iam vita functo)*. Insuper petunt humillime praedicti, propter Deum et salutem animarum, licentiam possidendi et utendi licite bonis iam habitis et iustis titulis gratia Dei acquirendis, usque ad sobriam competentiam, pro duodecim monachis et familia competente; scilicet ad summam centum quinquaginta lib. flaud. grossorum annuorum redituum : sic tamen quod bona praedicta a iuribus Principis et patriae non eximantur, scilicet quod maneant cum talibus oneribus et iuribus, quibus fuerunt ab aliis possessa. Ac etiam eamdem novellam plantationem, cum omnibus suis causis et negotiis, in vestram suscipere specialem salviguardiam et protectionem. Insuper petitur, ut vestra Celsitudo dignetur, de bona affectione, oblatum titulum et honorem Patronatus d. plantationis in se suscipere; ac eidem, ut principalis fundator, unum de Sanctis, cui magis afficitur, in Patronum praeficere et assignare : qui Patronus et Sanctus, propter honorem, quem vestra generosa Celsitudo ei in hoc ostendet, liberabit eamdem vestram Celsitudinem ab inimicis vestris, et postremo pacem et victoriam absque dubio dabit. Quem Patronum desiderant praedicti ut vestra Celsitudo in hac schedula propria manu signare et scribere dignetur; non obstantibus in praemissis indultis quibuscumque, quomodolibet in contrarium facientibus, ad laudem Dei, gloriosae Virginis Mariae, et S. Andreae, ac omnium Sanctorum, et pro salute animae generosae Celsitudinis vestrae et pace. »

XXIII. Hactenus libellus, in quo *S. Andream*, quem Dux Burgundiae proprium sibi Patronum habebat, specialius credo exprimi a praesumentibus, aut etiam optantibus, ipsum novae Domus Patronum quoque assignari. Sed infixum animo Ducis propositum, aut etiam votum arma sua convertendi in Turcas, ad recuperandam, quam Turcae, anno M.CCCC.LIII, occupaverant Constantinopolim, eiusque famosissimam toto orbe Basilicam divino cultui restituendam, movit Principem, ut rescriberet *Fiat ut petitur in honorem S. Sophiae Constantinopolis civitatis.* CHARLES. Quapropter ipsi autographo, quod etiamnum exstat integrum, in dorso adscriptum legitur manu Prioris cuiusdam, *servetur ut aurum.* Deest annus et mensis tam scripti libelli quam subscripti. Auctor Annalium, infra laudandus, asserit, Fratres, anno M.CCCC.LXX, ex EYKENDONK, sterilis et aridi fundi loco, ubi etiam aqua defuisset, nisi magno labore profundum sibi puteum Religiosi fodissent, migrasse (malim dicere *migrare coepisse)* in eum, quem deinde ad ripam Dommelae fluvii occuparunt in *Vucht.* Hinc cogor credere, tunc, cum libellus scribebatur, necdum oblatam fuisse occasionem, quae mox sese obtulit, loci commodioris : hac autem oblata, expeditos fuisse, qui latoribus supplicis libelli, in requirendo Principe, nusquam consistente, oberrantibus, alloquiumve praestolantibus, suggererent, ut diplomati desuper obtinendo curarent inseri clausulam aliquam, per quam liberum foret ipsam novam plantationem alio transferre. Diploma igitur invenitur ita scriptum, ut ipso statim principio intelligatur, preces supplicantium aliquoties iteratas fuisse, per alios aliosque libellos Principi in eumdem sensum oblatos, sed cum aliqua additione; sic enim habet eius rescriptum :

XXIV. « KAROLUS, Dei gratia, Dux Burgundiae, Lotharingiae, » Brabantiae . . . . ad perpetuam rei memoriam. Quoniam ubi » est frequentia cultus divini, ibi sunt amor et timor Dei, in

» quibus totius sapientiae initia, salutisque primordia consistunt.
» Desiderantes itaque fidem orthodoxam abundare ministris; ad
» frequentes et devotas Nobis porrectas preces illustris Principis
» et consanguinei nostri carissimi, Arnoldi, Ducis Geldriae,
» totiusque Ordinis Carthusiensis, pro Nobis successoribusque
» nostris, Ducibus Brabantiae, favorabiliter annuentes, liberali-
» ter concessimus et concedimus per praesentes, quod in loco,
» dicto *Eyckendonck op den Dunghen*, aut si ille locus, propter
» frequentes (ut accepimus) inundationes aquarum, et inacces-
» sibilitatem eiusdem tempore hiemali, ad hoc minus aptus repe-
» riatur, in alio loco magis propitio et convenienti, per medium
» milliare, aut circiter, ab oppido nostroBuscoducensi distante,
» in honorem et laudem Salvatoris Christi, eiusque intactae
» matris Virginis Mariae, omniumque Sanctorum et Sanctarum,
» subque vocabulo et patrocinio S. Sophiae civitatis Constanti-
» nopolitanae, novum construatur et erigatur coenobium seu
» monasterium, cum cellulis, domibus et aedificiis, congruis et
» necessariis pro inhabitatione unius Prioris et duodecim Fra-
» trum, cum familia competenti Ordinis Carthusiensis praedicti,
» cuius Nos principalem fundatorem constituimus; quodque
» coenobium seu monasterium, cellulas, domos et aedificia
» huiusmodi praedicti Fratres eorumque successores, una cum
» aliis reditibus ac bonis, iam ad ipsorum usus acquisitis et im-
» posterum quomodolibet acquirendis, quae tamen feudalia non
» sint, pacifice et quiete possidere possint et valeant, usque ad
» valorem annuum mille florenorum Rhenensium, tam in agri-
» cultura, pratis, nemoribus, stagnis, vivariis, quam etiam quo-
» modolibet alias; dum tamen, ut praefertur, reditus et bona
» praedicta feudalia non existant, et quae bona et reditus, ac-
» quisiti et acquirendi, tributis subsidiisque nostris subiacebunt,
» sicut a praedecessoribus eorum fuerint possessa; nisi praedictis
» Fratribus a Nobis successoribusque nostris ampliorem gratiam

» desuper contigerit in futurum impetrare. Fundum tamen » monasterii, cellarum et domorum Religiosorum praedicto- » rum a tributis et subsidiis praedictis eximimus, et de gratia » speciali avellimus et liberamus per praesentes. Recipimus » etiam de gratia speciali ipsum coenobium seu monasterium » et bona eiusdem, cum Fratribus et eorum familia, in nostra » protectione, salvagardia et tuitione speciali. Eapropter man- » damus Praesidenti, Consiliariis. etc. Non obstantibus etc. » Datum in oppido nostro Abbatisvilla, anno ab Incarn. » Domini M.CCCC.LXXI, in mense Septembri; *et subsignatum* » *erat* per Dominum Ducem. C. HAUTAIN. »

XXV. Commodioris (ut iam dicere coepi) loci occasionem invenerat matrona pia ac nobilis, *Alisa* vel *Adeleidis Piecks,* uxor Arnoldi van Herlaer, Equitis, qui sui nominis Toparchiam tenebat ad dextram fluvii Dommelae, ex opposito pagi *Vucht,* ubi Sanctimoniales Orthenses habebant aliquos proprietatis suae fundos, cum ecclesia vel capella, quibus non illibenter abdicassent se, fortassis pertaesae oneris sibi incumbentis a Capellano ibidem sustentando. Hoc intelligens Alcydis, intentaque in locum aptiorem Carthusianis sibi dilectis quaerendum, convenit cum Orthensibus de pretio, numeratoque eo, locum ipsum illis obtulit. Hi autem cupide complexi conditionem, illuc se transferre properarunt, mox ut allatus fuit Ducis consensus, etiam in loci mutationem; coeperuntque ibidem aedificare et omnia ad formam Ordinis redigere. « Tali in opere, praelaudata Alcy- » dis, ad viginti quatuor centenaria aureorum legitur insum- » psisse, inquit Auctor Annalium; et accessit operi vir eius » qui (prout ex antiquis chartis constat) octo cellas instituit, » superbo ac raro opere; quarum hodie adhuc exstant aliquae, » solidae et integrae, cum reliquo, quod cellis imminet, aedifi- » cio. Tristegum illud fuisse apparet, tantaeque altitudinis, » ut vix in provincia tam magnifici operis Domus alia exstet;

» *ubi nuper etiam, inquit idem, in cippo vidimus adhuc Arnoldi » et Aleydis insignia.* Maritus haud diu post obiit : ipsa usque » ad annum M.CCCC.LXXXIV supervixit, in praedictis antiquis » chartis appellata *Fundatrix*; nam dux CAROLUS, quem vidimus » istum sibi titulum asseruisse, morte praeventus, nihil praeter » bonam voluntatem ad opus contulit. »

XXVI. Sub haec Ioanni Montensi in Rectoratu loci successit *Ioannes Movius*, eique, mox defuncto, *Walterus Lindanus*, de quo in Charta Capitulari anni M.CCCC.LXXII sic legitur « Novam » plantationem iuxta Buscumducis Ordini nostro incorpora- » mus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quam » plantationem domum S. Sophiae Constantinopolitanae nomi- » nari volumus, et praeficimus in Priorem d. domus Dominum » Walterum, a domo Bethleem in Ruremunda absolutum. »

Praecitatorum Annalium ideam primam, brevi quaterno comprehensam, sub titulo *Originum Carthusiae S. Sophiae*, nactus, anno M.DC.XXVII, Carthusiae Lyranae sacrista, *Henricus de Ram*, deductam ab istorum Auctore *Gerardo Eligii*, Carthusiae Silvaeducensis ac postea Antverpiensis Circatore, post alia quaedam et post successionem Priorum S. Sophiae, addidit extrema in pagella memoriam aliquot benefactorum huius Carthusiae, ut sequitur :

« Post CAROLUM AUDACEM, Ducem, quem diximus huius Domus » fundatorem, celebris habetur memoria illustrissimi *Frederici » Egmondani*, Comitis Burani, qui Ducis Geldriae Arnoldi » nepos, commendatus est de meliori nota, tamquam singu- » laris benefactor Domus ac Ordinis. Hic, memor animae et » spiritus patrui sui defuncti Ducis, ac utriusque coniugis » suae Alheydis et Walburgis defunctarum, instituit illis mo- » numentum et suffragia annua orationum, quae per nostros » annue celebrarentur. Quod ut promptius quoque fieret, » assignavit Domui huic XXIIII terrae iugera; et loco sepulcralis

» alicuius fastigii, fecit vivi hominis sepulturam : fundavit » enim et dotavit cellam unam; quam dotem filius eius Florentius post ipsius obitum etiam auxit. »

XXVII. Hactenus Antverpiam quidem utcumque spectantia, extra ipsam tamen gesta omnia : unum intra ipsam hoc anno gestum, quia ad exemplum facit, liber Holosericus suggerit, fol. 173 : « Brugensis mercator quidam, a liberis Bergizomensium Nundinis rediens, et Principis speciali commeatu » instructus, arrestatus tamen hic Antverpiae fuit, quia ante » annos aliquot indictum ipsi hic arrestum violaverat, ante » eius absolutionem discedendo. Is cum se Principis commeatu » Nundinarumque privilegio tueretur, creditores suos, qui eum » detinebant, propter negotia olim infideliter curata, protraxit » ad Principem, Insulis tunc morantem. Ibi cum ventilata esset » causa, iudicavit Magistratus remittendum esse hominem » Antverpiam, ubi primo fuerat arrestatus, ut cum eo ex iure » ageretur, damnato interim in expensas. »

A. C. M.CCCC.LXVII.

—

Commissarii ad renovationem qui supra.

Consules xxx novembris. — Mag. Ioannes Pot. — ix. Ioannes van Ranst, *iunior*.

Scabini. — D. Ioannes van Berchem. — D. Hector van Liere. — Nicolaus de Herde. — M. Wilhelmus vander Heyden. — M. Wilhelmus Taveryen. — Wilhelmus van Tichelt. — Ioannes Colgenssone. — Petrus vande Werve. — Arnoldus van List. — Wilhelmus van Sompeke. — Nicolaus van Sompeke, *alias* van Doirne.

Hic ex Fastis Secretariorum sequuntur ii, quibus incumbit pro Civibus (POORTERS) respondere; quales deinde partim continuantur, partim novi nominantur sub titulo HOOFTLUYDEN DER POIRTERYE, id est *Capitanei Portariae;* hic quidem sex, deinceps vero quatuor; nisi quod anno M.CCCC.LXXVII, tumultuante plebe, inveniantur duodecim.

Sex hoc anno constituti sunt Capitanei Portariae, omnes viri Senatorii :

Henricus van Mechelen. — Walravus Draeke. — Henricus van Halmale. — Petrus van Karrebroek. — Ioannes van Kerkhoven. — Cornelis vander Zype.

Portariam vulgo dictam posses latinius *Civilitatem* dicere : Scribanio placuit, cap. XV, *Equites* appellare Romano more eos « quos a plebeiis distinguimus et POIRTERS vocamus, a censu, » inquit, ab opibus vitaeque genere nomen gradumque sortitos, supra vulgus opificum seu ambactorum. His in definitas » certasque classes distinguendis visum appellationem sumere » a vicis quos incolunt, eisque praeficere *Vico-Magistros,* » Romani *Praefectos Regionum* dicerent, quorum deliberationibus praesideant quatuor, quos dixi *Capitanei;* » in Fastis quidem deinceps quotannis nominati, sed hic omittendi, ob eam causam, ob quam omittimus subalternarum Curiarum praesides recensere.

ARGUMENTUM.

I. Tumultus popularis Antverpiae cito compositus. II. Obitus Philippi Boni, eiusque prolixum epitaphium Divione : Caroli Pugnacis successio. III. Caedes unius Consulis. IV. Fundatio muliebris VII Effusionum : V. alia septem Dolorum. VI. Foenebres excessus coerciti. VII. Halecarium ad Calloam tributum Civitati venditum.

ACTA.

I. ROTULUS Petri Verulii indicat, quod, die XV Iunii, populus Antverpiensis ad arma in forum concurrerit; causam non addit, sed cito compositum motum indicat. Fortassis nuntiata Brugis invaletudo Ducis commovit aliquos rerum novarum cupidos. Certe, die sequenti XVI, PHILIPPUS, merito cognominatus BONUS, Brugis defungitur anno aetatis LXXI, et in aede S. Donatiani, regia magnificentia deponitur, donec, mortua post coniuge tertia, matre successoris Caroli, *Isabella*, Ioannis, Lusitaniae Regis, filia, ambo Divione (uti Dux iusserat) maiorum sepulcro inferentur. Exstat eius ibi magnifica tumba, cui hoc epitaphium additum reperit descripsitque Advocatus Nys; dignum memoria, utpote epitome omnium eius gestorum : quare ipsum hic exhibeo primum gallice et quidem charactere teutonico, cuius solius ea aetate usus erat, etiam ad inscriptiones latinas (Gothicum vulgo appellant exteri), paraphrasim deinde latinam ex Meyero addimus :

Jean fut ne de Philippe, qui du Roy Jean fut fils;
Et de Jean Philippe, que mort tient et ses fils,
Mon pere me laissat Bourgogne, Flandre, Artois;
Succeder y devrois par toutes bonnes loix.
J'ai accreu ma Seigneurie de Brabant, de Limbourg,
Namur, Hainau, Hollande, Zelande et Luxembourg.
Contraire si m'y sont Allemans et Anglois;
Deboute je les ay par armes et par droits.
De mesme temps François, Anglois me defierent,
Et l'Empereur aussi; du mien rien ne gagnerent.
Par trois fois fus requis pour gouverner l'Empire :
Ceux qui me meurent guerre, ils en eurent du pire.

Mais par Charle septieme, j'eu guerre a grand efroy.
Il me requit de paix, dont il demeura Roy.
Six batailles soustins, dequelles j'eu victoire,
Qu'une n'en perdis, a Dieu en soit la gloire :
Contre moy se sont mues les Flamands et Liegeois,
Mais je les ay remues et vaincus plusieurs fois.
Par Lorains et Barois Rene guerre me meut :
De Sicile etoit Roy, mais prisonnier me fut.
Louis fils du dict Charles, fugitif et marij,
Fut par moy couronne, quand cinq ans l'eus nourij.
Eduard, Duc de York, chasse vint en ma terre,
Par mon port et faveur, il fut Roy d'Angleterre.
Pour defendre l'Eglise, qui est de Dieu maison,
Je mis sus le noble Ordre, qu'on dict de la Thoison;
Du benoist Saint Sepulchre terres et edifices
Je les ay entremis en leur etat propices.
Et pour la foy Chrestien maintenir en vigueur,
J'envoye mes galeres jusqu'a la mer mayeur.
En mes vieux jours, j'avais conclu et entrepris
D'y aller en personne, si mort ne m'eut surpris.
Le Concile de Bale Pape Eugene privat;
Tel faveur je luy fis que Pape il demeurat.
En l'an soixante sept quatorze avec cents,
Payay droit de nature a soixante et onz' ans.
Avec mon pere et ave je suis icij reclu :
Le bon Jesus fut garde en tous mes faicts et dicts.
Priez lui qui lizez, qu'il m'en donne Paradis.

II. Epitaphium hoc Meyerus totidem fere latinis versibus expressit hoc modo :

Philippus ex Ioanne Rege natus est;
Genuitque Ioannem, Patrem charum mihi :
Quem mors cum filiis suis aliis tenet;
Burgundiam cum Flandria atque Artesia
Qui mihi reliquit lege iureque optimo.
Brabantios, Limburgios, Namurcios,
Haynonios, Hollandicos, Zelandicos
Et Luceburgum finibus iunxi meis.
Bellum movebant Francus atque Anglus mihi,
Quos iure et armis fortiter reiecimus.
Movit Renatus bella Lotharingicus,
Qui, Rex licet, captivus est factus meus.
Una die denuntiant bellum mihi
Galli, Britanni et Caesar. At nil promovent.
Cum Rege Carolo longa bella gessimus.
Pacem petivit, sceptraque illi reddidi.
Septem cruentis dimicavi proeliis :
In omnibus victor; Deo sit gloria.
Flandros rebelles et Leodios feros
Vici, et coegi petere pacis commoda.
Basilaea quem Papam removit sanctio,
Pio favore dignitati reddidi.
Quinos per annos educatum duximus
Ad sceptra Regni Rege natum Principem.
Ad me refugit pulsus Eboracius,
Operaque nostra factus est Rex Angliae.
Defensioni Ecclesiae delegimus
Insigne Vellus Aureum nostro Ordini.
Studio iuvandi Christiani nominis,
Nostras triremes misimus Papae Pio.
Ductu meo bellum paravi Barbaris :
Sed obstitit mors quae potens regnat nimis.

Bis lustra septem et Consulem unum viximus,
Sed septimo post mille, centum quoque quater,
Et lustra bis sex, ordinem fati sequor :
Et hic recludor cum patre atque avo meo,
Sicut placebat antequam decederem.
Direxit acta iugiter Christus mea :
Precare coeli regna, lector, hunc mihi.

Paternas ditiones suscepit CAROLUS PUGNAX, accepto praestitoque iuramento, inauguratus Lovanii XII Iulii, Bruxellis autem XVIII, in festo Divisionis Apostolorum; et V Septembris Antverpiae, magno cum apparatu taedarum et ignium festivarium personatarumque repraesentationum exceptus, ut est in Rotulo Petri Verulii.

III. « Novem deinde diebus post, in profesto S. Mariae » Magdalenae, in ea via, quae, a veteri bursa ad forum ducens, » nunc a sutoribus de SCHOENMAEKERS-STRAET dicitur, tunc ab » oleribus WARMOES-STRAETE dicebatur, Consulum prior occi- » sus est a famulo IOANNIS BOER : qui famulus cum sub habitu » femineo evadere moliretur, deprehensus, et mox capite » plexus est; itaque sedatus fuit tumultus plebis, qui ea de » causa gravis exstiterat, » teste Caukerkio.

IV. Antverpiae porro hoc anno M.CCCC.LXVII fundatum esse Gynaecotrophium, in via Rubra e regione Begginagii, docet lapis hic, sub insignibus auctorum hos versus scriptos exhibens:

Ter eeren seven Bloetstortinghen reene,
Dusent vier hondert LXVII *bequaem,*
Fondeerde voor VII *vrouwkens alleene*
Dit Godshuys Marten van Hoven ghemeene
Met Jan vander Heyden eersaem,
In Februario vier, tot haerder zielen vraem.

Septem istae Dominici Sanguinis effusiones censentur factae in Circumcisione Christi, Agonia in horto, Flagellatione et

Coronatione apud Pilatum, Confixione manuum, pedum ac lateris. Rhythmi autem veteris haec sit paraphrasis :

In honorem septies cruentae Effusionis,
Post mille quadringentos sexagesimo septimo,
Cum Ioanne vander Heyden, socio optimo,
Martinus van Hoven, suis ex bonis,
Domum hanc fundavit ante Februi Nonas,
Ad alendum muliebres septem personas,
In suarum commodum salutemque animarum,
Et expiationem omnium culparum suarum.

Ioannis praefati pronepos vel abnepos fuerit verosimiliter *Michael vander Heyden,* de quo ait Scribanius, quod *anno* M.D.LXII *septem mulieribus coemit, dedit, dotavit, nomenque inscripsit septem profusionum sanguinis.* Alienatus ergo intra primum a fundatione seculum locus fuerit, quem postea natorum aliquis restituerit pristino usui. Hic porro nota, omnia *pauperum receptacula* (ut Scribanio placuit appellare) aeque ac utriusque sexus monasteria, GODSHUYSEN, id est *Domos Dei,* lingua nostra ab olim nominari, eaque voce distingui ab *Hospitalibus,* quae, aegris vel peregrinis destinata, dicerentur graeca voce *Xenodochia* vel *Nosocomia;* et sic iam dictas *Domos Dei* (alias appello *Ptochotrophia,* a pauperibus alendis, alia Coenobia seu *Monasteria),* in publicis tabulis dici GODSHUYSEN.

« Anni autem sunt amplius centum (inquit, anno M.DC.X, idem » Scribanius) cum *Henricus Loomans* Domum legavit viris » septem, senio et egestate pressis (septem Fratres dictis) » subsidiorumque vitae trahendae annuum censum addidit. » Situs istius Domus designatur IN DE BOCKSTEDE ab *Hirco* appellata.

V. Idem numerus, teste eodem Scribanio, placuit *Mariae Feys* in honorem *septem Deiparae dolorum,* totidem mulierum Domum fundanti (annus non exprimitur) ex adverso coemeterii

Minoritici, sub regimine Canonicorum Marianorum. Quorum unus, hoc etiam anno, in sua Collegiata missam quotidianam instituit, ab initio Aprilis ad ultimam Septembris, mane hora tertia dicendam pro iter facturis, ut notavit Caukerkius. Septem autem Dolores vulgo numerantur, Gladius a sene Simeone praedictus, Fuga in Aegyptum, duodecennis pueri Amissio in templo, obvius cum cruce sua Christus, huiusque Confixio in eadem, Transfixio lateris et Sepultura : quibus respondent totidem Gaudia, digna simili fundatione honorari : Annuntiationis, Visitationis, Dominicae Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes et Assumptionis.

VI. Sed haec privata : pluris « fuit aestimanda cautela, a » Principe adhibita circa exercitium foenoris publici, quo per » Lombardos exhauriebantur pauperes, mutuam pecuniam » sumere ad usuram coacti : in quo ne modus excederetur, » iussit ille probum aliquem virum omnibus praefici cum » titulo *Meyeri*, qui contractus foenebres indagaret et recogno- » sceret, caveretque ne quid illicitum negotiationi misceretur : » obligando Quaestores omnes ad deferendum ipsi quidquid » tale deprehenderent; ipse vero excessus deprehensos mul- » ctaret in commodum Principis, ad arbitrium Quaestoris » super eius dominia constituti, » prout est in Papyraceo Maiori, foliis 191 et 207. Ex huius porro iteratione mandati facta, latiorique eius explicatione, apparet grandis necessitas providentiae talis, propter frequentes tunc abusus. Contra quos etiam antea, sub nota anni M.CCCC.XIX, ordinatum reperitur « ne » foeneratoribus expedirentur litterae scabinales cum clausula : » *Absque probatione vel iuramento.* » Et Scabinis quidem, eiusmodi litteras largitis, remisit Princeps eatenus commissam culpam; deinceps vero omnino prohibuit ea formula uti : sed forma ordinaria scribi eas iussit, prout continetur in Holoserico, fol. 3 v.°.

VII. Huc etiam retulerim, ex Papyraceo Maiori, fol. 166, per Pensionarium Nys descriptum, quod, « cum hactenus Dux » soleret recipere debitum sibi ad Calloam tributum haleca- » rium, propria holcade in eum finem ibi constituta, Civitas » ius illud suum fecit in perpetuum, pro eo, quod istius telonii » redemptores Principi consueverant solvere, pretio, ipsum » pro quadriennio pacti. Addi tamen petierunt nostri hanc » conditionem, ut ab Aula mitterentur Commissarii, qui accu- » rate examinarent, an vere legitimum et debitum tributum » istud esset; sin minus, id probari intra quadriennium posset, » causaque decisa, pergerent eo telonio frui. » Sed cum in eodem lib., fol. 105, legatur, quod Princeps, anno M.CCCC.LXXIX, quemdam, *Spruyt* nuncupatum, constituerit eiusdem telonii receptorem, merito dubites, an contractus iste progressum habuerit. Et in Epitome Privilegiorum alphabetico, sub nomine HARINCK, plurima circa hoc argumentum notantur, quae non vacat excutere omnia.

A. C. M.CCCC.LXVIII.

—

COMMISSARII AD RENOVATIONEM XXX NOVEMBRIS. — Sigillifer Brabantiae D. Ant. de Brabantia. — D. Ioannes van Castergate. — M. Iacobus Mivels, *Secretarius*.

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — Ioan. van Ranst XII. — D. Ioan. van Berchem.

SCABINI. — D. Hector van Liere. — Nicolaus de Herde. — M. Wilh. vander Heyden. — Henricus vande Werve. — M. Wilh. van Taveryen. — Wilh. van Tichelt. — Aegidius

Mennens. — Arnold. van List. — Nicol. vander Voort. — Wilh. van Sompeke.

ARGUMENTUM.

I. Fundata ecclesia Begginagii. II. Mercatores Hanseatici cum magnis privilegiis reducti. III. Commercium Bremensibus restitutum. IV. Exundatio Scaldis.

ACTA.

I. Die iii Martii, quidam *Guilielmus de Iagere*, Antverpiensis (Valkenisse virum Consularem appellat, sed totis fastis nullus comparet), posuit primum lapidem ecclesiae Begginarum, extra portam, scilicet earum causa paulo post apertam, et ab eisdem nominatam, ad quam ducens via etiam nunc nominatur DE BEGGYNE-STRATE, et locus ubi porta seu verius posticum stetit, DEN BEGGYNEN-HOL, uti similis alius, post Portam rubram, DEN KRUYP-HOL. Nomen autem *Portae Begginarum* mansit praedictae ecclesiae reliquiis, inclusis muro inter conditam post Arcem et Portam Caesaream ducto. Picturae nostrae antiquae eo loci ultra murum duas turriculas exprimunt, quae videntur ad portam ecclesiae ipsius stetisse : nam earum adhuc frusta quaedam nuper conspiciebamus, nunc abolita sunt, una cum indiciis pilarum in pariete sinistro; ad cuius parietis latus alterum fuisse quasi sacellum satis amplum, demonstrat residuum fornicis, supra quem per moenia ambulantibus patet via versus Arcem. Huic sacello si aliquid simile stetit ex altera parte, consequens est, ecclesiam istam tribus (ut loquimur) navibus distinctam fuisse, quarum media, aeque ac altera versus occidentem, tota perierit, dum per ipsam mediam duceretur via per posticum ad opus semilunare, praesidio castrensi commodatum.

II. Die iv Maii, cum Hanseaticarum civitatum mercatoribus

(OOSTERLINGEN vulgo dicimus, quia ad *Mare* quod *Orientale* appellatur, DE OOSTZEE, siti huc devehuntur) initus, inquam, cum Oosterlingis « contractus est, seu potius renovatus a » Civitate; unde discedere Brugas incipiebant, propter damna » illata sibi a telonariis, quibuscum pacisci cogebantur con- » ditionibus non satis aequis. Itaque promissum ipsis in primis » est, quod huc advenientibus semper exhibebitur ab istis » syllabus teloniorum, secundum aestimationem mercium taxa- » tarum, atque extunc ipsi et merces eorum, venientium ad » Nundinas, aut inde revertentium, eadem, qua cives nostri, » immunitate fruerentur super Honta fluvio, ubi eorum navar- » chis crederetur ad solam iuramenti praestationem, qua » declarabunt Hanseaticorum bona esse quae vehunt; neque » causa examinis faciendi moras ullas patientur. Promittitur » insuper, quod abrogabitur novum onus, cerevisiae Hambur- » gensi aliisque victualibus per ipsos advehendis impositum; » et quod Civitas nationem eorum suo sumptu proteget ab » omni iniuria et violentia, contra hunc tractatum a Marcgravio » ipsis facienda; atque hunc tractatum et compositionem » semper servandam, iisque permittendum, ut controversias » omnes inter se possint ipsimet dirimere, nisi ubi ageretur » causa capitis aut membri amittendi; idque secundum pri- » vilegium, concessum ipsis a Duce Ioanne, anno M.CCC.XV. » Conceditur quoque ipsis habere suae nationis Consulem » proprium, ad eumdem effectum, et, ubicumque voluerint, » congregari. Deinde apud libripendem appenderetur tabella » pretii, pro quaque merce istic solvendi (ipsoque facto priva- » tus officio suo est unus quem constabat plus debito exegisse). » Abrogabitur quoque eorumdem respectu novum onus, im- » positum domibus : deditque eis Civitas in proprietatem » domum vocatam DE CLUYSE, sitam in foro frumentario, nunc » veteri dicto, sine ullo onere, in quam hospitandi causa se

» recipiant eorum mercatores, additis florenis trecentis, ad » ipsam domum pro suo arbitrio restaurandam aptandamque. » Sub his conditionibus ii, qui Brugas recesserant, praedicto » die huc reverterunt. » Ut est in Papyraceo Maiori priv. vol. fol. 208.

III. Edelherius vero, allegans eiusdem lib. folium 200, citat Philippi Ducis « Diploma signatum die vi Augusti, quo Bre- » mensibus, inter illos tunc praecipuis, restituit facultatem in » hac Civitate atque per totam Brabantiam conversandi nego- » tiandique et appellendi cum suis navibus, concordandique » pro damnis mutuo illatis, ex eo quod Bremenses quorumdam » Antverpiensium merces in mari cepissent, et hi vicissim » super iis repressalias impetrassent. » Ego per has factum credo, ut Domus Clusae, ipsis ante octennium donata, vendita sit, et nunc fuerit Civitati redimenda, ad concordiae firmamentum. Idem diploma in Cumba similiter reperiri sub litteris Qr, asserit praefatus Edelherius. Porro Maximilianus, Imperator, anno M.CCCC.LXXX, tractatum hunc confirmavit, et (ut tunc videbimus) multis additis privilegiis auxit. Ac denique, anno post decimo, stabilitam hic sedem fixisse dicuntur.

Hic quaeritur ubinam Domus illa fuerit : et respondeo videri maximam illam planeque mercatoriam et veteris firmissimaeque structurae, quam illi fortassis a fundamentis restauraverint, inter viam a Peregrinis nuncupatam et Altam, DE PELGRIMS- et HOOGSTRAETE : ubi verosimiliter *Reclusus* quidam in honorem Deiparae habuerit olim cellam suam, ex eleemosynis peregrinorum victitans, et sacello Mariano deserviens. Sane, in summo celsissimae illius domus frontispicio, etiamnum spectantur reliquiae veteris super tectoriam calcem picturae, quam me puerum adhuc vidisse integram memini; nunc vero maiori ex parte dilapsam corruptamve, doleo non posse hic repraesentare: fuisse tamen figuras duas recordor; et quales fuerint indicat

ipsum olim subscriptum distichon hoc, ab Advocato Nys scripto exceptum :

Iustitia et pax, hae validae sunt Principis arces :
Nulla tyrannorum vis diuturna fuit.

Qui versus videntur seculum XVI sapere, quando in ore plebis, contra Regem Hispaniae rebellantis, nihil frequentius sonabat, quam tyrannorum exsecratio; et, eiectis exosae nationis militibus, omnes sibi gratulabantur *Pacem* et *Iustitiam* Reipublicae restitutas. Conspiciuntur adhuc ibi duae *ciconiae*, symbolum filialis erga parentes observantiae, quam etiam inculcabant versus, olim sic legendi :

Praescia sum veris volucris hiemisque futurae,
Exemplum, o vobis, iuvenes, pietatis amatae
Longaevos erga carosque insigne parentes.

Secretarius Valkenisse, in Annalibus suis, asserit eam domum, tunc cum scribebat, adhuc appellari solitam *veterem*, Edelherius *Minorem domum Oosterlinganam* (ut mirum sit nullam tota vicinia nunc superesse talis nominis memoriam); ait autem fuisse emptam per *Ioannem van Mechelen* et *Wilhelmum van Riethoven* a vidua Ioannis Kiekens, Dla Maria Ruychrocx vande Werve.

IV. Registrum Falcontinum magnam a mari cladem hisce regionibus allatam notat, et quemdam rhythmum vernaculum allegat, quo dies XXI Octobris, D. Ursulae sacer, sic notatur, ut in eo tamen nullum inveniatur huius anni signum :

DE ZEE DIE BROCHT DE LANDEN VERLIES,
ALS ALLE DE MAEGHDEN FEESTE WIES.

Mare provinciis grande damnum intulit,
Cum Virginum omnium festum se extulit.

Annum et diem signat expressius Chronica Secretarii.

A. C. M.CCCC.LXIX.

Ammanus — D. Iacobus Pot.

Commissarii ad renovationem. — D. Antonius de Brabantia. — D. Ioannes van Castergate. — Domicellus Ioannes van Ranst.

Consules xxx novembris. — D. Ioannes van Berchem. — II. Ioannes van Mechelen.

Scabini. — Nicolaus de Herde. — M. Wilhel. vander Heyden. — Henr. vande Werve. — Wilh. van Tichelt. — Ioannes van Ranst. — Aegidius Mennens. — Arn. vander List. — Wilh. van Riethoven. — Wilh. van Doirne. — Ioan. Bode. † — *Suff.* Petrus vander Voort. — Arn. van Geele, *alias* Wyninx.

ARGUMENTUM.

I-III. Castigati excessus Nobilium circa livreas et clientelas, usurpatamque potestatem ad contractus tutelae, pacificationis et nuptiarum. IV. Ammania elocata. V. Sigillum renovatum. VI. Sacellum Circumcisionis benedictum. Fundatum altare maius. VII. Guldarum paraturae inductae. VIII. Hispani, contra libertatem Nundinarum titulo represaliae capti, iubentur cum reparatione iniuriae dimitti. IX. Immunitas per Hontam Antverpiensibus adiudicata. X. Civis extraneus, propter homicidium Hoogstratae detentus, grandi litigio causam praebet. XI. Plinii historia naturalis typis latinis elegantioribus, quam sint teutonici, in pergameno Venetiis excusa, exstat Antverpiae apud Iesuitas.

ACTA.

I. Habeo ex registris Civitatis, beneficio D. Secretarii Petri Goos, transcriptum Diploma caroli ducis, signatum *Hesdini,*

die X Aprilis, post Pascha, id est feria II post Dominicam in Albis, sub cursu litterae Dominicalis A, quo *salutem* scribens *Sculteto* Antverpiensi et Marcgravio ditionis Ryensis, vel, ipso absente, eius Locumtenenti, ita loquitur : « Ad nostram pervenit » notitiam, quod multi Equites, Domicelli et alii, in nostra » Provincia et Ducatu Brabantiae, praesumpserint, quotidieque » praesumant gestandas dare togas paraturae et livreas, qui- » buscumque eis visum fuerit, aliis quam domesticis, de sua » mensa viventibus, et acceptare munera urbanitatis, quibus » mediantibus tales acceptentur in societates seu Guldas Arcu- » balistariorum aut Sagittariorum, licet nec ad eas apti nec dome- » stici ipsorum sint; idque maiori numero, quam ipsis licitum » fuit. Quod autem amplius est, quidam homines, freti aucto- » ritate et tutela eorum, quorum vestes seu paraturas gestant, » obambulant et circumeunt per istam nostram provinciam, » loricati, gladiati, hastati, gestando iacula, gelumas, clavas » maiores, sclopetos, blanderolas, secures, aliaque tela et arma » prohibita, quorum tamen pars maior sint baiuli et infimae » conditionis homines; et sic magnos atque indecoros coetus » cogunt, tam in nuptiis quam encaeniis parochialibus et alibi; » unde etiam caedes hominum et gravia plura incommoda » nascuntur; idque impune et citra debitam correctionem vel » exactionem mulctarum, pro talibus excessibus definitarum, » cum despectu iustitiae multipliciter violatae et gravamine » subditorum nostrorum : quae mala magis augenda sunt, » nisi ex nostra parte remedium congruum adhibeatur.

II. » Nos igitur, nolentes eiusmodi facinora, insolentias et » iuris transgressiones tolerare, ex matura Consilii nostri » deliberatione, per hasce nostras statuimus et mandamus ut » sequitur : ut ex hac die nullus Eques, Domicellus, vel alius » cuiuscumque status aut conditionis, livreas aut paraturas » vestium, sub titulo consociationis seu confraternitatis, aliove

» praetextu, tradat officialibus vel domesticis suis, nec illas » accipiat de quorum pane non victitet: idque sub poena decem » librarum, quoties huic mandato contravenerit : exceptis » tamen iis, quibus ex nostro speciali indulto, rite a Consilia- » riis nostris signato et sigillato, permittitur vel permittetur; » de quo volumus ut legitime constet, per litteras desuper » confectas. Item prohibemus, ne quis incongruos coetus cogat » ad nuptias vel encaenia, neque evulget evocationes civita- » tum aut pagorum, sub poena decem librarum ab eiusmodi » coetus convocantibus solvendarum, sexaginta vero schellin- » gorum a ceteris ad eos convenientibus. Nemo etiam se » immisceat componendis controversiis, nisi de utriusque » partis consensu, aut ab utraque requisitus, imprimis a » parte laesa, sub poena centum librarum, sumendarum ex » eorum bonis qui secus fecerint. Nemo etiam die noctuve » gestet loricas, hunas, gungas, gladios, hastas, gelumas, » iacula, ramosas clavas, sclopetos, blanderolas, secures, bacu- » los ferratos, aliave prohibita arma; sub poena, pro sclopetis » librarum decem, pro aliis vero prohibitis, schellingorum » sexaginta; exceptis dumtaxat securigeris, nostri corporis » custodibus, quibus licebit uti vestibus et armis consuetis, » aut per Nos praescribendis; exceptis etiam officialibus nostris » et officialibus Vasallorum nostrorum, quibus intra limites » officii sui, et ad eius executionem euntibus, fas erit gestare » longiores gladios, aliaque arma sibi congrua; per pagos » tamen dumtaxat villasque, non item per bonas nostras » Civitates. Iis etiam, ex Guldis, qui numero competenti et » provocati procedent ad publicos ludos iaculatorios, citra » noxam cuiusquam, licebit arma eo conducentia portare.

III. » Quia etiam comperimus, quod multi Equites, Domi- » celli aliique praesumant exigere munera gratiosa in frumento, » caponibus, pecunia etc. tam a subditis quam a non subditis,

» sub pacto tuitionis praestandae obligantibus se ad illa :
» ordinamus et prohibemus omnibus cuiuscumque conditionis
» aut status, eiusmodi pacta contractusve inire, vel munera
» titulo tali accipere, sub poena centum marcarum argenti.
» Vobis ergo ordinamus et mandamus, quam maxime serio
» possumus, ut has nostras constitutiones et prohibitiones palam
» publicari voce praeconis faciatis, debitis locis et temporibus
» vestrae iurisdictionis et officii, idque coram officialibus cuius-
» que loci; quibus etiam per hasce mandamus praedictorum
» executioni intendere. Post quam proclamationem si compe-
» riatis mandatis istis nostris contravenire quempiam, eum
» absque conniventia ulla compellatis mulctam constitutam
» solvere, tam diligenter et rigide, ut de vestro ea in re defectu
» queri non debeamus, neque alia via ad remedium malis istis
» quaerendum procedere. Quia vero fieri potest, ut harum lit-
» terarum exemplaribus pluribus opus sit, volumus, ut earum
» transcriptis, ad originales fideliter collatis, et ab aliquo
» Secretariorum nostrorum subscriptis et sigillatis, fides aeque
» ac originalibus habeatur. Nec usquam in praedictis deficiatis,
» quia sic nobis placet. Actum ut supra. »

IV. Hoc anno elocatum fuisse Ammani officium, reperit in Registris Caukerkius. Cui autem? Primus post *Ioannem vander Ryt*, anno M.CCCC.XLIII eo munere potitum, nominatur *Iacobus Pot,* Eques, Dominus de Hoogerheyde, Petri, Equitis, fundatoris S. Salvatoris filius, qui obiit anno M.CCCC.LXXIX. Secretarii, ex Maiori Papyraceo, fol. 208, id ipsum confirmant.

V. Gramayus, ex Actis Scabinalibus, docet, pag. 89, impetratam hoc anno facultatem a Principe renovandi sigilli : notat autem, « sigilla urbium adeo sacra passim fuisse habita, ut,
» citra expressum Principis indultum, circa ea nemini licitum
» esset quidquam mutare vel innovare; etiam, si quo forte
» belli, ignis aut fortunae vitio periissent, aut lapsu aevi detrita

» hebescerent. » Docet etiam, ut alibi, sic « Antverpiae duplex » haberi sigillum, quorum minori circumscribitur : SIGILLUM » SCABINORUM ANTVERPIENSIUM, quotidiano usui ser- » viens, estque penes Secretarios in indiciis litterisque aliis » signandis; alterum, solenne ac maius, usum habet in grava- » minibus aut negotiis Universitatem tangentibus, quod speciali » arcae inclusum servatur sub quatuor clavibus penes Prima- » tes, partim plebeios, partim senatorios, teneri solitis, cui » circumscriptum : SIGILLUM MONARCHIAE ANTVERPIEN- » SIS (quia nimirum Monarchici, id est Imperiales habeantur » cives nostri, cum alibi moris sit tantum circumduci has » litteras : SIGILLUM BURGENSIUM N. AD CAUSAS. »

Ita fere Gramayus. Ex Minoris autem Papyracei fol. 146 v.° habeo, quod anno M.CCCC.LXXVIII » statutum fuit ut, Cumbae » seu Chartophylacii quinque claves essent, quarum una penes » Magistratum, altera penes Exscabinos, tertia Communitati » seu Vicomagistris, quarta et quinta Ambactis servandae » traderentur. »

VI. Hoc etiam anno, « *Ioannes de Burgundia*, filius naturalis » quondam Ducis Ioannis, Episcopus Cameracensis, mense » Februario, primam Missam cecinit in novo sacello S. Praepu- » tii. « Sacellum hoc postea Ludimagistris cessit, quando eodem in latere maioris ecclesiae structum fuit aliud, quod ab Equitibus Hierosolymitanis, eius forsitan conditoribus, Equitum nomen accepit. Mense autem Maio *positus est primus lapis in fundamentum summi altaris*, teste Secretario Valkenisse : quod ii notent velim, quibus aegre persuaderi potest, et chorum et turres et ecclesiam totam non esse antiquiores, quam ex Chronicis nostris asseruimus, et multis deinde argumentis probavimus : neque eo loci stetisse altare, a Burchardo, Episcopo, olim consecratum.

VII. De Gildis scribunt Secretarii, eas hoc anno coepisse

paraturis, vulgo *Paluren*, id est vestium singularium gestamine ornatas procedere ad publicas functiones honoris causa : nunc toga breviori utuntur singuli confratres, cum inermes procedunt. Capitanei vero et Decani eorum, binique taediferi, ante omnes ornatu speciali, aut etiam argento scutulati et torquati gradiuntur.

« VIII. Die XIII Octobris advenerunt a Duce CAROLO signatae » sententiae duae, latae inter Hispanos quosdam mercatores ex » una, qui hic apprehensi et in carcerem tracti fuerant, et » quosdam cives huiates ex altera parte, apprehensionis istius » auctores, propterea quod eorum bona quaedam in mari » essent capta ab Hispanis nonnullis. Per primam declarabatur » apprehensio talis omnino invalida, utpote facta contra ius » liberarum Nundinarum : per alteram, Senatus absolvitur » a reatu et obligatione reparandae iniuriae, Hispanis eam » praetendentibus, factae; et ad eam damnabantur auctores, » simul et in expensas Magistratui rependendas. »

Ita se habuisse profitetur Edelherius ex litteris originalibus, non quidem in ullum Registrum publicorum Actorum relatis, sed repositis in Cumba, intra capsulam signatam P. VI.

IX. « Grandis hoc anno disceptatio finita est, quae inciderat » ab anno M.CCCC.LXIV, cum Procuratori generali Provinciae, » adiunctos sibi habente Telonarios ad YERSEKER OORT, propter » arrestatam ab iis navim unam, huc venientem; praetendenti» bus illis telonium sibi deberi a navigantibus per aquam » salsam, omni eo loco ubi telonii ius Princeps habet. Post » longam autem discussionem, lata a Carolo sententia, defini» tum est in flumine Hontae et Diessae liberos a telonio » Antverpienses esse, arrestumque fuisse invalidum, » prout habet ample deductum ea de re Diploma, in I vol. Priv. folio 82 v.°. Ex Maiori autem Papyraceo intelligitur, quod « praenotato anno fuerit provisionaliter inhibitum Telonariis

quidquam exigere; mandatum autem, ut, quod illi exigebant, sequestraretur in manibus Ammani, habita ratione qualitatis ac quantitatis mercium; qui, sic acceptum, servaret dandum Telonariis ipsis, si iudicio vincerent; sin causa caderent, Antverpiensibus reddendum. Et Secretarii notant, in eodem Papyraceo, fol. 200, haberi litteras, per quas « Dordracenis » liceat huc immediate advehere fruges, absque obligatione eas » in naves Antverpienses transferendi, restituendumque iis telo- » nium qui solverant, arbitrio contractuarii, eo fine Telonariis » adiungendi, quibus tamen maneret id quod acceperant pro » bonis extraneorum, quae veherentur; quodque obligarentur » nautae sub iureiurando declarare, sic ut ulterius examinari » non possent. »

X. Alius hoc eodem anno casus, ad iurisdictionem spectans, circa cives extraneos habetur a Pensionario Nys descriptus ex II vol. Priv. fol. 215 v.°. « Horum aliqui, a defuncto quodam, » Hoogstratae accusati caedis patratae, istic se tuebantur suae » civitatis privilegio. Hoc cum esset Magistratui Antverpiensi » relatum, mandavit hic, ut, citra praeiudicium Privilegii, trade- » rentur Castellano et Drossardo Hoogstratano, causaque ab iis » discussa, rei consignarentur Procuratori Generali, alias pro- » clamandi ut exules et damnati capitis atque bonorum, nisi » se sisterent. Cum autem tandem capti illi essent, et causa » eorum coram Procuratore Generali, Senatuque maiori et Prae- » side eius ventilata, repetiit eos ultimum iudicandos Senatus » Antverpiensis, iuxta privilegia sua processurus ad reorum » vel condamnationem vel absolutionem. Sed, hoc ut obtinere- » tur (nam Procurator Generalis sustinebat, eosdem iuri » Civilitatis suae in carcere renuntiasse), interpellandus Dux » fuit : qui, anno M.CCCC.LXXIV, inhibuit Senatui porro in causa » procedere, quia talis renuntiatio facta fuerit inscio Senatu » Antverpiensi, » ut est in eodem lib. fol. 221.

XI. Porro typographica ars ex Germania (ubi sub annum M.CCCC.XL primum nata creditur) in Italiam translata, gratanterque pluribus locis excepta, licet forma typorum barbarica, id est teutonica, novam ibi formam hoc anno induta apparuit; ex Mss. Romanis sumpta apud Venetos, unde eiusmodi typi (qui vulgo *Latini* seu *Romani* nunc dicuntur) ab ipsismet Romanis *typi Veneti* nominati reperiuntur. Bernardus a Malinkrot, in tractatu suo de artis typographicae ortu ac progressu, cap. XII, eo videtur propendere, ut reformati typi primam laudem adscribi patiatur cuidam *Nicolao Iansenio*, de quo Sabellicus ait, quod *eleganti typorum forma multum ceteros antecelluerit.* Verum, puto, id non dixisset Sabellicus, si vidisset Caii Plinii Secundi Naturalem Historiam, cuius exemplar, candidissime in pergameno excusum, hactenus in Musaeo nostro, ex liberali dono illustrissimi Domini de Grispere, Regii in supremo Brabantiae Consilio Cancellarii, exstat. Typus autem tam elegans est, ut ne nunc quidem (quando ad summum perfectionis apicem Parisienses et Amstelodamenses typographi, post Christophorum Plantinum, Antverpiensem, rem adduxisse videntur) elegantiores optare possis. Ad calcem autem praestantissimi codicis, ipse Plinius, typographum suum commendans, sic loqui fingitur :

Quem modo tam rarum cupiens vix lector haberet,
Quique etiam fractus pene legendus eram,
Restituit Venetis me nuper Spira Ioannes,
Exscripsitque libros aere notante meos.
Fessa manus quondam moneo calamusque quiescat :
Namque labor studio cessit et ingenio. M.CCCC.LXVIIII.

Vides nomen typographi, hactenus ingrato ipsorummet Venetorum silentio pressum : vides annum, ante quem nemo fortassis ostenderit librum, characteribus Venetis impressum, ut loquitur, qui opera Ioannis Antonii Campani, Episcopi

Interamnatis, Romae excudit anno M.CCCC.XCV. De elegantia iudicabit quisquis apud nos Plinium videre voluerit, et conferre cum Actis Sanctorum a Bonino Membritio collectis, et Cicho Simonettae, Ducum Mediolanensium Secretario, inscriptis haud diu ante annum M.CCCC.LXXX, quo Cichus iste decapitatus fuit. Hic quidem nomen typographi annusque et locus non exprimuntur (magnum permagnae vetustatis indicium); non tamen tam certum, ut Acta illa ante Plinium excusa credi debeant. Maneat ergo Ioanni Spirae nunc primum hic asserta laus, qui eo fortassis felicior fuit ceteris, plumbeo fere typo usis, quod aes in materiam sumpserit; ob quam eamdem causam Christophorus Plantinus noster, ad excudenda Biblia Regia, sub annum M.D.LXXII, typis argenteis uti voluit..

A. C. M.CCCC.LXX.

Commissarii ad renovationem. — Mag. Ioannes Osevere, Praeses. — D. Antonius de Brabantia. — D. Ioannes van Castergate. — *Secretarius qui supra.*

Consules xxx novembris. — Costinus van Berchem. — x. Wilh. van Doerne, *alias* van Sompeke.

Scabini. — D. Ioan. van Berchem. — D. Hector van Liere, — Ioannes Schoyte. — M. Wilh. vander Heyden. — Wilh. van Tichelt. — Petrus vande Werve, — Ioannes van Ranst. — Aegidius Mennens. — Arn. vander List. — Reynerus van Ursel. — Mag. Petrus vander Voort.

ARGUMENTUM.

I-IV. Paulus II Ducissae Isabellae largitur Indulgentias pro anniversario fratris sui, B. Ferdinandi. V. Lite Civitati mota a Lanionibus propter concessam

promiscue licentiam carnes vendendi, definiuntur dies, quibus ipsis solis id liceat. VI. Excusat Civitati Dux laesam ab se Nundinarum libertatem arresto Francorum. VII. Ducis sponsa, Margarita Eboracensis, Antverpiae excipitur. VIII. Gerardi Baert ptochotrophium fundatur, et aliud ad Pontem calcarium. IX. Deflagrat coenobium Nonnarum suburbanarum. Dux noster Leodienses domat, et in Provinciis ter per hebdomadam ipse ius dicit contra suos Ministros.

ACTA.

I. MORTEM martyrio proximam in carcere Maurico obierat FERDINANDUS, Lusitaniae Infans, frater Ducissae nostrae, ut vidimus anno M.CCCC.XLIII; et, corpore de muris Fessae suspenso, sola post annos quinque relata in Lusitaniam fuerant intestina; totius recuperandi spes nulla erat. Illis ipsis tamen, magna cum iubilatione, exceptis, et in eo, quod Rex pater Ioannes in Bataliensi ecclesia sibi filiisque suis tumulandis construxerat sacello, colebantur die anniversario mortis eo ritu, qui plus quam funebris censeri poterat, uti legere est in chronica, per Secretarium Principis, tam pie defuncti, scripta et v Iunii nostri legenda. Eum qualemcumque eatenus cultum promovendi zelus stimulavit sororem eius, Ducissam nostram Isabellam, ut eidem augendo conferret aliquid apud Romanum Pontificem Paulum II, a quo indulgentiarum Breve impetravit, datum x Ianuarii pro capella S. Antonii Patavini Ulissipone, ne opus civibus esset Bataliam excurrere pro eisdem lucrandis. Tenor Bullae hic est :

II. « PAULUS Episcopus, servus servorum Dei, omnibus » Christi fidelibus praesentes litteras aspecturis, salutem et » Apostolicam benedictionem. . . . . Quanto frequentius fide- » lium mentes ad opera devotionis inducimus, tanto salubrius » eorum animarum saluti providemus. Cupientes igitur, ut » capella S. Antonii Vlixbonensis, in qua, ex ordinatione dile- » ctae filiae, nobilis mulieris Isabellae, Ducissae Burgundiae,

» in die obitus quondam Ferdinandi, Infantis Portugalliae,
» eiusdem Ducissae fratris (qui ad expugnationem Infidelium
» in Africam transfretavit, et pro liberatione Fidelium, in parti-
» bus illis tunc existentium, ac inde aliter liberari non valentium,
» in manibus eorumdem Infidelium sponte obsidem se tradidit;
» ac per ipsos Infideles diris carceribus mancipatus, et tormen-
» tis affectus per plures annos exstitit; ac, in fide Catholica
» viriliter persistens, ut athleta fortis, post plurima supplicia,
» aegritudines et labores, eorumdem Infidelium in partibus et
» captivitate constitutus, Christo Redemptori suo animam
» reddidit), solenne anniversarium annis singulis celebretur,
» congruis honoribus frequentetur, et Christi fideles eo liben-
» tius, devotionis causa, confluant ad eamdem, et pro Isabel-
» lae ac Ferdinandi praedictorum, ac progenitorum suorum
» animarum salute ad Deum preces fundant, quo ibidem
» dono coelestis gratiae uberius conspexerint se foveri; de
» omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli,
» Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus Christi fideli-
» bus, vere poenitentibus et confessis, qui Capellam praedictam
» in die Anniversarii praefati devote visitaverint, et ipsius
» celebrationi interfuerint, ac pro Isabellae, Ferdinandi et
» progenitorum eorumdem animarum salute preces effuderint,
» septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis
» poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus, praesenti-
» bus perpetuis temporibus valituris. Datum Romae, anno
» Incarnationis Dominicae M.CCCC.LXX, quarta Idus Ianuarii. »

III. Ad hoc Breve consequens fuit aliud, eodem anno, « die
» XVIII Novembris datum, circa missam unam quotidianam,
» quam eadem Ducissa constituit faciendam eodem in loco,
» hoc est in domo paterna S. Antonii Patavini, pro anima
» Sancti Infantis, nec non Regis Ioannis et D. Philippi, paren-
» tum eius, » inquit Cardosus in Hagiologio Lusitano. « Brevi

» autem isti expediendo adfuit, teste eodem Cardoso, Dom. » Fr. Ioannes Alvari, Abbas Palatii de Sousa, famulus et Secre- » tarius praedicti Infantis, quem ipsa Ducissa eum in finem » destinaverat Romam, unde allatas Bullas Veedores (id est » Oeconomi seu Quaestores Civitatis) susceperunt cum omni » devotione, laudantes Dominum ac Deum nostrum et gratias » agendo praed. D. Ducissae pro favore ac beneficio tali, » sanctique eius desiderii bona voluntate, quam semper habuit » et habet pro hisce regnis. »

Ita ex publicis actis Cardosus.

IV. Hieronymus de Ramis, Chronicae, ut dixi, excudendae curator post annos cxx, a quibus ea scripta fuit, non aeque ad designandos annorum numeros sollicitus, eidem adiungit, « quo- » modo venerabile corpus, quod in sarcophago clausum (non » autem nudum, ut habet tabella) suspendi muro tyrannus » iusserat, Regis Fessae nepos, patruo offensus, ut aegre ei » faceret, noctu furatus de muro sit, cum eoque fugerit Arsiliam » ad Lusitanos, qui navigantes in Lusitaniam, a Rege eiusque » filio Principe ac deinde successore, Ioanne, perquam honori- » fice excepti sunt. Rex autem et filius eius sanctum onus » excipientes humeris suis, detulerunt illud in Metropolitanam » ecclesiam; indeque, post divina officia ludumque cannarum et » taurilia exhibita, Principi Mauro (qui sacrum corpus comitatus » eatenus fuerat) ad Bataliensem ecclesiam comitati sunt, » continuata illuc usque processione.

Ibi ergo, si non antea, erectum B. Ferdinando sepulcrum fuerit, simile ceteris, iuxta quod (ut mihi scribitur) est parvum sacellum, affabre comptum, cum lignea tabella altari superimposita, in qua antiquo et eleganti penicillo descripta reperitur Infantis vitae series; et eiusdem marmorea statua super illud collocata cernitur; sed quae ad vivum exprimit amictum vilem, lugubrem faciem, promissam barbam, impexos crines,

manicas denique, catenas, et compedes, eamque formam, quam creditur habuisse in captivitate, qualem scilicet etiam nostra tabella exprimit, sed absque manicis, si eo nomine intelligantur manuum vincula, qualia Ferdinando iniecta fuisse nusquam dicitur, nec iniici potuerunt opus facturo.

V. Quod ad reliqua praetitulati anni gesta nostramque Antverpiam propius attinet, invenio quod, « hoc anno Civitas » edixerit, cuilibet licitum fore, diebus Veneris, Sabbati et » Dominica, in foro venales proponere carnes, in curribus » vel scamnis; ita tamen, ut, quod diebus illis venditum non » foret, postridie deferendum esset ad domos Lanionum privi- » legiatorum, ubi integrae vel dimidiae pecudes divenderentur : » addito quod, si minores in partes dividi carnes, itaque vendi » dominus vellet, id non nisi in macello fieret; permitte- » baturque etiam civibus, decem aut viginti oves domi suae » habentibus, easdem ibidem vendere, non tamen foris ad » ianuam vel fenestram venum exponere. »

Eiusmodi edictum cum cederet in grave praeiudicium Lanionum, quibus, anno M.CCC.LIV a Duce Ioanne privilegia sua nactis, per quae ipsis solis, et quidem numero determinato, atque ad certas familias hereditarie restricto, licebat eum quaestum exercere, sub iis quas alibi vidimus, conditionibus, alii autem nemini permittebatur minus quam integras pecudes vendere; cum, inquam, istiusmodi edictum cederet in grave praeiudicium Lanionum, non credo, Civitatem, privilegiis istis insuper habitis, eo processuram fuisse, nisi gravibus Lanionum excessibus irritatam, per ipsorum inter se monopolia, cum ingenti plebis gravamine et querela, postquam mitiora remedia alia, prudenter adhibita, nihil profecerant. Interim edicti et indulti praefati causa nulla explicatur : solum dicitur, quod « instructa a Lanionibus et contestata lis contra Civitatem fuit; » productisque coram maiori Senatu et expensis documentis

» eorum, constituti ad eam causam decidendam arbitri statue-
» runt, licitum fore unicuique, seu civi seu extraneo, Sabbatis
» ante Remigii usque in Quadragesimam, carnem vetusto more
» vendere; a Paschate autem usque ad praedictum Remigii
» diem, pecudes tum integras tum divisas, praeterquam Sab-
» batis, intra tres hebdomadas utrarumque Nundinarum,
» quibus solis Lanionibus id iuris esset. »

Sic pronuntiatum fuisse Atrebati, die II Februarii, apud Pensionarium Nys habet liber Papyraceus Maior, fol. 101; et mox additur, quod « partibus ad sententiam audiendam citatis,
» eamque vel approbandam vel infirmandam, approbata illa
» fuerit, salvo quod Laniones petierunt, ultra praedicta Sabbata
» ambarum Nundinarum, sibi concedi petierint unam ante
» Nundinas equorum, duasque hebdomadas, cum Sabbatinis
» post easdem diebus. Quo indulto, secutus est voluntariae
» condemnationis assensus die XXVI Iulii, Abbatisvillae, ubi
» Dux erat, anno M.CCCC.LXXI.

VI. Interim contigerat, Pentecostales Nundinas, post Pascha XXVI Martii actum, mense Maio celebrari, earumque libertatem violari a Duce per arrestum indictum quibusdam mercatoribus Francis et Tornacensibus eorumque bonis : qua de re cum Civitas esset conquesta, accepit « rescriptum, XXIV Iunii
» signatum, quo ille excusat id a se necessario factum pro
» tuenda incolumitate ditionum ac subditorum suorum; polli-
» cens de cetero eiusmodi arresta numquam amplius decerne-
» re, et volens quod factum erat manere absque praeiudicio
» libertatis praedictae. »

Ita ex Holoserico Edelherius et I vol. Priv. fol, hic 181, istic 76.

VII. « Domina Margarita, soror Eduardi, Regis Angliae,
» quam, anno M.CCCC.LXVIII, Brugis, die V Iulii, uxorem acceperat
» Dux noster Carolus, venit hoc anno Antverpiam, et perquam

» splendide fuit excepta, » uti scribit Valkenisse; sed diem non designat; addit autem, » ipsum Eduardum, eodem anno » pulsum regno suo per Comitem Warwicensem, ad levirum » suum confugisse, a quo classe immensa copiisque instructus, » sequenti anno regressus in Angliam sit, et commissum » prope Londinum praelium, in quo Comes occubuit, et » Eduardus recepit amissa. »

VIII. Eodem anno, quidam « *Gerardus Baert* prope pontem » Calcarium condidit sui nominis gerontocomium sex viris, » aetate aut labore fractis, quibus sacerdotem unum praeesse » voluit. Ita Scribanius, addens quod *Hermannus vanden Hoeck* » (imo *vanden Broeck)* ad eumdem calcarium pontem sex viris, » aetate aut morbo confectis, aream dedit, aedes statuit, con- » ditorisque nomen meruit, anno M.D.LVII. »

Correctionem nominis probat Rotulus, quem Advocatus Nys ex abavi sui Collectaneis suggerit, sicut hodiedum arcui, supra os caveae ducto, inscriptum legitur :

TOT BEHOEF VAN SESSE MANNEN, OUDT EN ARM VAN GOEDE,
SYN DESE SES HUIJSKENS UIJT CARITATE GESTICHT.
HERMAN VANDEN BROECK FONDEERT DESE MET LIBERALEN MOEDE,
GOD ALMACHTIG VERLEENE HEM EN ONS HET EEUWIG LICHT.
ANNO M.V^{c}.LVII.

Ad usum sex virorum pauperum et aetate fractorum,
Sunt hae sex domunculae ex caritate fundatae,
Ab Hermanno vanden Broeck, liberaliterque dotatae.
Det ipsi ac nobis Deus lumen aeternum coelorum.
anno millesimo V^{c}.LVII.

IX. « In conventu S. Margaritae extra portam Georgianam ar- » sit braxatoria, exustaque est funditus usque ipsam cuppam. » Notat autem Caukerkius, « totum monasterium, cum dormitorio » et claustro, usque ad annum post haec sextum, stramine aut » arundine tectum, stetisse ad dextram fossae Herenthaliensis,

» ligneo ponte ad ipsum instratae, eiusque fundum usque ad
» fossam urbis pertinuisse; exinde vero multa ibi innovata,
» totamque ecclesiam a fundamentis perfectam fuisse, paulo
» prius quam, anno M.D.XLII, rursus cuncta incendio absume-
» rentur. »

X. Denique Secretarii repererunt in I vol. privil. fol. 101, scriptum in margine, quod, « mense Iunii, prodiit ordinatio, qua » toti Brabantiae pax reformatur : » quod vellem distinctius discere. Interim suspicor huc spectare, quod Carolus noster, coacto ad pacem petendam Francorum rege, et contra Leodienses, quos ipse iam tum et antea saepe ad rebellionem excitaverat, iungere copias suas, excisa ferro flammaque civitate, statui publico componendo se applicans, per hiemem huius anni variis in provinciis (nimirum Brabantia, Flandria, Hollandia et Zelandia) « ius dixit, Concilio ter singulis hebdo-
» madis immixtus; volebatque ut, se praesente, illae dumtaxat
» causae agerentur, in quibus eius ministri ius dicere recusas-
» sent : ut, hoc freno coercitis iudicibus, integra et inviolata
» iustitia staret. »

Ita Loyens, pag. 137, allegans ex Comminaeo, lib. v, de bello Neapol. exemplum Caroli VIII, « qui omnibus hebdomadis binos
» habebat destinatos dies iuri publico reddendo : quod certe
» expedit a principibus fieri, quia contra potentes saepe causae
» aguntur, in quos iudices, inquit ille, interdum non satis oris
» habent. »

A. C. M.CCCC.LXXI.

COMMISSARII IN FESTO S. ANDREAE. — D. Praeses Brabantiae. — D. Antonius Nothus Brabantiae. — Mag. Ioannes Stop, *Secretarius*; qui iidem, sequenti anno, una cum D. Ioanne vanden Berghen, similiter Magistratum renovasse notantur in Fastis. Nunc vero declarati fuerunt :

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — Ioannes van Ranst, *iunior*, III — VI. Ioannes Schoyte III.

SCABINI. — D. Michael vande Werve. — D. Ioannes van Halmale. — D. Walterus van Liere. — D. Wilhelmus van Berchem. — Ioannes van Mechelen. — Ioannes Colgenssone. — Paulus van Ranst. — Wilhelmus van Riethoven. — Wilh. van Doerne, *alias* Sompeke. — Arnoldus van Geele, *alias* Wynricx. — Antonius van Tichelt.

ARGUMENTUM.

I-IX. Obitus Ven. Thomae a Kempis, cuius manuscripti libri de imitatione Christi servantur Antverpiae; non tamen ut primi auctoris, qui fuisse Ioannes Gersen, ante annos CC Abbas Benedictinus S. Stephani Vercellis, probatur ex codicibus antiquioribus ipso Thoma; X-XII. et Thomas a suo synonymo distinguitur; XIII-XV. laudaturque a multa scriptione ac vitae sanctitate; ob quam, et ob miracula ad tumulum, vulgo fuit in veneratione; XVI. atque indicatur anno (M.DC.LXXII) facta translatio venerabilium ossium. XVII-XVIII. Moritur Isabella Lusitana, Philippi Boni uxor tertia. Huius sepultura et epitaphium.

ACTA.

I. REGISTRUM Falcontinum notat hoc anno obitum Venerabilis

THOMAE, a patria, quam habuit, *Kempas* seu *Campos*, in Transisalania, dicti A KEMPIS; qui contigit in monte S. Agnetis, prope Zwollas, die XXV Iulii. Quod ideo hic volui indicare, quia in Musaeo nostro proprium habemus eius manuscriptum, et nomine subscriptum, aureum *de imitatione Christi* libellum; quo moti nostri Sommalius et Rosweydus crediderunt, et passim Belgis typographis persuaserunt, ipsum fuisse illius auctorem. Sed hoc illi non sustinuissent, credo, post litem, ut nunc est, Parisiis contestatam, diiudicatamque, productis libelli istius exemplaribus, ipso Thoma vetustioribus, ineluctabilibusque argumentis eumdem vindicantibus IOANNI GERSEN DE CANABACO, Abbati Benedictino S. Stephani Vercellensis, qui claruit anno M.CC.XX. Quod autem, seculo XV, pro GERSEN in Gallia passim obrepserit GERSON, defunctus anno M.CCCC.XXIX, fecit huius per eamdem Galliam celebritas et nominis similitudo, unica solum littera differentis.

II. Gersenis, ut auctoris, nomen diu latuit inter veterum codicum tenebras et paucorum Italicorum Iesuitarum notitiam, quoad illud in clariorem lucem extulit Constantinus, Abbas Caietarum, et Paulo V, Pontifice Max., excusum opus Romae oblatumque, anno M.DC.XVII vulgavit. Franciscus autem Augustinus ab Ecclesia, in Chronico Pedemontano, Abbatum in eo Catalogum texens, reperit illum suo S. Stephani monasterio praesidentem, ab anno M.CC.XXX ad M.CC.XLV, ut *qui eruditissimum tractatum de imitatione composuit, non tamen eruditione seculari, sed ascetica.* Hanc spectans Caietanus in sua Dedicatoria : « Quanta in eo, » inquit (Deus bone) sanctitas elucet! quis humanarum rerum » contemptus! quae coelestis sapientiae sublimitas! quae beatae » vitae forma ac disciplina! Iam vero, si auctoritas quaeritur, » testes habet locupletissimos : Ecclesiae Doctores, Thomas » Angelicus et Bonaventura Seraphicus, duo Christiani orbis » lumina, quanti hunc librum facerent, evidenter ostenderunt.

» Ille enim in componendo sanctissimi corporis Christi officio » eo usus est; hic autem integros ex eo locos in scripta sua » transtulit. Quid de S. Carolo Borromaeo, Archiepiscopo, et » Pio V, Summo Pontifice, dicam? qui illum, quocumque irent, » secum deferebant. Hic est ille liber, ex quo Paulus IV, » Pontifex Maximus, ac Beati Patres Ignatius de Loyola et » Philippus Nerius, religiosae vitae praecepta haurientes, » magno Christianae reipublicae bono posteris promulgarunt. » Thomas vero a Kempis, vir sanctitate etiam ac doctrina » insignis, tanto studio coelestem, quae in eo latet, doctrinam » amplexatus est, ut non satis habuerit eum aliena manu » exaratum perlegere, nisi sua quoque ipse describeret. »

Sic Caietanus: quem in libello Gerseni adscribendo ex fide codicis *Aronensis*, iam inde ab anno M.D.LXXIX in domo nostra Aronensi servati, praecesserant Societatis nostrae scriptores Itali Bernardinus Rossignolius ante seculi istius finem, Andreas Maiolus, qui repertum in domo paterna codicem secum intulit in domum Probationis Aronae; Cardinalis Bellarminus et Antonius Possevinus: quorum nemo suam retractavit sententiam, licet ex Belgio docerentur, manu Thomae scriptum exemplar, anno M.D.XC, in Patrum nostrorum Antverpiensium manus venisse.

Longum esset sigillatim percurrere vindicias, et animadversiones in ipsas, hinc inde scriptas, pro asserendo auctore Thoma vel negando. Earum successus fuit, ut causa ad Parlamentum Parisiense delata per clarissimum Naudaeum, et exhibito autographo nostro, anno M.DC.LII, die XII Februarii, in Camera quam vocant Supplicum libellorum sententia in gratiam RR. DD. Canonicorum Regularium ita pronuntiata sit, ut libri *de imitatione Christi* sub solo Thomae Kempensis nomine deinceps imprimerentur. Hanc sententiam secutus est, mensibus aliquot interiectis, liber amplissimus pro iure eiusdem Thomae, vulgari

idiomate hoc titulo. « *La contestation touchant l'auteur de* » *l'imitation de I. C.* » Contra quem, sub eiusdem anni finem, *Ioannes Launoius* observationes suas, itidem gallice scriptas, vulgavit. Interim Benedictini nihil inde exanimati, ab Italia, Belgio, Germania et superiori Austria accersivere codices, cum nostro Ms. conferendos, ad probandum quod Thomae nomen in eius calce positum ab ipsomet fuerit, non ut auctoris, sed ut scriptoris; tenuitque operosa illa diligentia occupatos usque ad annum M.DC.LXXII, eo quod difficile esset originalia ipsa ex tam dissitis locis a possessoribus, ad ea abs se dimittenda minime pronis, impetrare et secure Parisios devehenda curare.

III. Hoc facto, resumptum est coram Archiepiscopo omnium examen, deque eo conditum publicum instrumentum. Ego vero, (ut appareat quam nullo partium studio in discutiendis eiusmodi controversiis abripi nos patiamur, sed agnitam liquidius veritatem, etiam contra decessorum nostrorum assertionem, palam omnibus profiteri simus parati) ipsum instrumentum, quo venerabili Thomae tantum non abiudicata videri possit causa, hic produco, uti praefixum est elegantissimae Parisinae editioni. Verba haec sunt :

« Anno M.DC.LXXI, die XIV mensis Augusti, cum ex mandato » illustrissimi Domini D. Francisci de Harlay, Parisiensis » Archiepiscopi, Nos infrascripti convenissemus, in aula » ipsius Archiepiscopali, iussit nobis exhiberi plures codices » manu descriptos, in quibus continetur *Opusculum de imitatione Christi*; dixitque se velle, ut super iis suffragium » quisque nostrum ferremus. »

» Imprimis oblatus est nobis codex membraneus, in cuius » primo folio praemittitur haec inscriptio : *Liber monasterii* » *Canonicorum Regularium in monte S. Agnetis Virginis et* » *Martyris, prope Swollas* : dein recentiori manu haec addita » leguntur : *quem Fr. Ioannes Latomus, Professus Ordinis*

» *Regularium in throno S. Mariae prope Herenthals, eiusdem Or-*
» *dinis generalis Minister, facta visitatione monasterii S. Agnetis*
» *prope Zwollam, eiusdem monasterii ruinis ereptum, ne penitus*
» *interiret, Antverpiam allatum, Ioanni Bellero, amico veteri ac*
» *fideli, DD. anno salutis* 1577. *Porro Ioannes Bellerus Patribus*
» *Societatis Iesu, in gratiam suorum filiorum, quos eadem*
» *Societas fovet, lubens donavit, Kal. Iunii.* Postea in proximo
» folio verso habetur indiculus eorum quae in toto codice
» continentur, in hunc modum :

» *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.*
» *Regnum Dei intra vos est, dicit Dominus.*
» *De Sacramento : Venite ad me omnes.*
» *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*

» et post alia ultimo loco :

» *Brevis admonitio ab exterioribus etc.*

» In fine vero codicis, post praedictam admonitionem, legun-
» tur haec verba : *Finitus et completus anno Domini* M.CCCC.XLI,
» *per manus fratris Thomae Kempensis, in monte S. Agnetis,*
» *prope Swollam.*

» In libris quatuor *de imitatione Christi,* qui in isto codice
» exstant, primo loco deprehenduntur errata non pauca, ex
» quibus haec sint in exempla : I. Transpositio libri de Sacra-
» mento altaris, qui cum in aliis codicibus quartus sit, in hoc
» codice est tertius, tum in indiculo superius relato, tum in
» ipsa librorum serie, incipiens a folio 39 v.° post librum
» secundum. II. Omissiones quaedam insignes, ut in lib. I,
» cap. XIII, fol. 11, post illum versum :

» *Principiis obsta : sero medicina paratur,*

» omittitur sequens ad sensum necessarius :

» *Cum mala per longas invaluere moras;*

» et in lib. XXIII, cap. XI, fol. 35 v.° : *Raro invenitur tam spiri-*
» *tualis etc.* omittitur, *invenitur,* quod in margine suppletum

» est manu recentiori. III. Soloecismi nonnulli, ut in lib. » quarto (qui in aliis tertius), cap. XXXVI, fol. 94 v.° : *Quod si » ad praesens tu videris succumbi* pro *succumbere*, et cap. LV, » fol. 113 v.° : *Stips inutilis* pro *stirps inutilis*. IV. Liturae » quorumdam verborum, quae, favente oculorum iactu, extra » ordinem scripta fuerant, ut in lib. I, cap. XIX, fol. 15 v.° : » *Exercitia et Sanctorum suffragia* : tria postrema verba, minio » deleta, quinta post linea leguntur post idem vocabulum » *Exercitia;* quod repetitum fefellit scribentis oculos; et lib. II » cap. VIII, fol. 31 : *Potes cito perdere,* etiam vox *perdere,* quae » post tria vocabula subsequitur, minio deleta est.

» II. Codex monasterii S. Udalrici, apud Augustam Vindeli- » corum, in quo, praeter multa, habetur *de imitatione Christi » liber primus*, et in fine huius libri haec subduntur : *Et est » finis tractatus, scripti in Concilio Basileensi, anno Domini* » M.CCCC.XXXVII. *Et sic cum Dei adiutorio finitus est iste tractatus » per me Gregorium de Gottingen, tunc temporis Capellanum » in Willingen.*

» III. Codex Weingartensis papyraceus, uti et praecedens, » ita incipit : *Qui sequitur me;* et in fine tertii libri de Imita- » tione : *Explicit liber internae consolationis, finitus anno » Domini* M.CCCC.XXXIII, *secunda feria ante festum Assumptionis » B. Virginis Mariae, per me fratrem Conradum Obersperg, » tunc temporis Conventualem in Weingarten.*

» IV. Codex Mellicensis papyraceus, in quo habetur primo » loco *Manuale D. Augustini;* tum *Regula vivendi in Monasteriis, » edita a B. Hieronymo.* Postea, *libellus de Reformatione hominis,* » qui in quatuor partes dividitur. *Liber primus de Imitatione » Christi et contemptu omnium vanitatum mundi.* Et post hos » libros quatuor de Imitatione Christi sequuntur varii tractatus » *Ioannis Gerson :* in his *considerationes* eius XXV, *de confessio- » nibus audiendis*, in quarum considerationum fine legitur,

» pag. 120, in margine inferiori, *Explicit die Kiliani* XXXIV; *id* » *est anno* M.CCCC.XXXIV. Quod probatur ex Registro nobis » oblato librorum eiusdem coenobii Mellicensis, scripto et » absoluto anno M.D.XVII; sic enim legitur in calce Registri : » *scriptum et collectum per fratrem Stephanum Purckhardum,* » *anno Domini* M.D.XVII. In eo autem Registro recensetur » primariae manus praedictus Codex, qui proinde anno » M.CCCC.XXXIV scriptus dici debet, non anno M.D.XXXIV, quo » iam ante annos septemdecim Registrum erat absolutum; » nec anno M.CCC.XXXIV, propter opuscula Gersonis, quae in eo » continentur sub numero I. 78.

» V. In eodem designatur etiam alius Codex, itidem nobis » oblatus, in papyraceo scriptus, in quo exstat primo loco » *tractatus S. Augustini de Visitatione Infirmorum;* et post alia : » *Liber primus de Imitatione Christi;* tum *Contemplatio S. Ber-* » *nardi de Passione Domini, finita anno* XXI, *in die S. Ioannis* » *Baptistae,* id est anno M.CCCC.XXI, ob rationem superius expo- » sitam de tempore scripti Registri, in quo scribitur iste Codex » sub numero D. 43.

» VI. Codex monasterii S. Iacobi apud Leodium, papyraceus, » praeter alia continens *librum de Sacramento Altaris,* incipien- » tem ab his verbis : *Venite ad me omnes* etc. In praecedente » vero folio verso leguntur haec verba, recentiori manu » adscripta : *Anno Domini* M.CCCC.XVII, XV *die mensis Octobris,* » *indutus fui habitum Ordinis Sancti Benedicti, in Monasterio* » *aedificato in honorem Sanctorum Apostolorum Iacobi et* » *Andreae.*

» VII. Codex Salisburgensis, itidem papyraceus, in quo » varii tractatus, quorum indiculus initio praemittitur, et in » indiculo id legitur : *De imitatione Christi Ioh. Gers.* Et in fine » libri tertii de imitatione : *Explicit liber internae consolationis,* » *per fratrem Benedictum : die Sabbati ante festum omnium*

» *Sanctorum, anno Domini* M.CCCC.LXIII, *et scriptus Saltzburg,* » *in monasterio S. Petri.*

» VIII. Codex monasterii S. Germani a Pratis, eleganter in » membrana exaratus, hanc inscriptionem praefert : *Incipit* » *liber devotus et utilis Magistri Ioannis Gerson, de imitatione* » *Christi et contemptu omnium vanitatum mundi : et in fine* » *lib. quarti subditur : Explicit liber quartus et ultimus de Sacra-* » *mento altaris, anno Domini* M.CCCC.LX, XIII *kal. Septembris.*

» Quibus verbis subiungitur testimonium Caroli le Breten, » Doctoris Medicae Facultatis Parisiensis, concedentis hunc » libellum Patribus Benedictinis, Congregationis S. Mauri, » anno M.DC.LII.

» IX. Codex Gerardimontensis, veteris iamque detritae scri- » pturae, in membranis, una cum litteris Notarii publici Bruxel- » lensis, testantis factum coram se iuramentum a R. P. Petro » Almaert, Monacho ac Bibliothecario monasterii S. Adriani » dicti Gerardimontis, visam scilicet a se ac lectam in istius » codicis ultimo folio (quod ante annos aliquot in certo casu » avulsum est) subscriptionem in haec verba : *Hic liber con-* » *scriptus est a F. Ludovico de Monte, qui obiit ante annum* » *millesimum quadringentesimum.*

» X. Codex monasterii S. Benedicti de Padolirone, in » papyro, praeter primum folium membraneum, sic inscriptus : » *Incipit liber Iohannis Gersen, primus de contemptu mundi et* » *imitatione Christi.* In qua inscriptione sana est omnino » scriptura in nomine proprio, et nulla falsi legitima suspicio » apparet; neque in fine Codicis in inscriptione, quae primaria » manu exarata est, hoc modo : *Explicit liber quartus Iohannis* » *Gersen de Sacramento Eucharistiae.* Codex videtur scriptus » ante annos ad minimum ducentos.

» XI. Codex Allatianus, in papyro, in quo, praeter alia » habentur libri quatuor de imitatione Christi, praeferentes

» hunc titulum : *Incipit tractatus Iohannis de Canabaco, de* » *imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi,* » et dividitur in quatuor libros. Cognomentum *de Canabaco* » inscriptum habetur supra lineam, sed tamen eadem manu » eodemque minio.

» XII. Codex Cavensis, optimae notae, in membranis vetustis » eleganter scriptus, in cuius prima littera vocis *Qui*, imago » monachi nigri, crucem gestantis, initio repraesentatur; cuius » imaginis exprimendae occasio nata videtur ex illis verbis, » quae Auctor ipse dicit in lib. III, cap. LVI : *suscepi de manu tua* » *crucem : portabo eam usque ad mortem, sicut imposuisti mihi :* » *Vera vita boni monachi crux est, sed Dux Paradisi.*

» Pro tertio decimo exhibitum est nobis testimonium publici » Notarii oppidi Aronae, in ditione Mediolanensi, quo nobis » facta fides est, exstare in bibliotheca Collegii Aronensis » Societatis Iesu quemdam librum antiquum, manuscriptum » in charta pergamena, incipientem per litteras rubras, vide- » licet LI, ac deinde sequi haec verba : *Incipiunt Capitula* » *primi libri Abbatis Ioannis Gersen, sub numero viginti quinque;* » et primum capitulum sic incipere : *Qui sequitur me, non* » *ambulat in tenebris.* Et post librum quartum : *Explicit liber* » *quartus et ultimus Abbatis Ioannis Gersen de Sacramento* » *Altaris.* Lecta sunt etiam nobis testimonia Bernardini Rossi- » gnolii, Andreae Maioli, Possevini ac Bellarmini de isto » codice Aronensi, quem *perantiquum* Possevinus vocat.

» Praeterea ostensae sunt nobis variae eiusdem opusculi edi- » tiones primariae, sub nomine S. Bernardi una, absque » nota temporis; aliae, sub nomine *Ioannis Gersen*, una etiam » versionis gallicae, sub nomine *Thomae a Kempis*, facta anno » M.CCCC.XCIV; in cuius fronte praefigitur monitum istud : » *libellum scilicet de imitatione, a quibusdam eatenus attributum* » *S. Bernardo, Magistro Ioannis Gerson.*

» In quorum fidem communi consensu hoc instrumentum » subsignavimus, die quinta decima eiusdem mensis, anno » praedicto. Subscripserunt in Originali : *A. Favre, Carolus* » *Le Comte, Congreg. Oratorii Presbyter, de Vion d'Herouval,* » *de Valois, Baluze, Costelier.*

» Franciscus, miseratione divina et sanctae sedis Apostolicae » gratia Archiepiscopus Parisiensis, ea omnia quae in superiori » instrumento exposita sunt, bona fide, cum maturo ac diligenti » examine, de nostra auctoritate et in praesentia nostra facta » esse testamur. Datum Parisiis, anno, mense et die, quibus » supra. FR. ARCHIEPISCOPUS PARIS.

» *De mandato Illustrissimi ac Religiosissimi Domini D. Ar-* » *chiepiscopi.* Locus sigilli. MORANGE.

» Ego infrascriptus, cum ab Illustrissimo Domino Ar- » chiepiscopo, una cum viris clarissimis, delectus fuissem ad » examinandos praedictos codices Mss., nec hora indicta adesse » potuissem, visis et accurate perspectis iisdem codicibus, » testor ea omnia, ut in praemisso instrumento posita sunt, » ita se habere.

Du Fresne du Cange.

IV. Dixi hoc solenni instrumento *tantum non abiudicatam Venerabili Thomae posse videri causam;* nec enim definitive assertum est tunc quidquam; solumque prolati sunt codices *Gersenem* auctorem asserentes, et ab iis restricta omnis falsi suspicio. Deinde vero (ut asserit praefatus Auctor Animadversionum in novissimas Kempenses Vindicias) Kempensibus facta est potestas, coram iisdem arbitris exponendi Codices suos, ut, collatis utriusque partis monumentis, demum decretoria sententia, non forensi quidem more, sed litterario proferretur. « Post haec cum biennium in exspectando fuisset consumptum, » *Franciscus Delfavius,* Monachus ac Presbyter Congregatio- » nis S. Mauri, *Apologiam pro Gersene* edidit, praemisso

» instrumento maxime innixam, eamque secundis curis intra » breve tempus denuo recensuit; » eo modo scilicet, quo ea, anno M.DC.LXXIV, una cum dicto instrumento prodiit, ante ipsos de imitatione Christi libros. Mortuo autem Delfavio, prodierunt Vindiciae, adversus quas repositae sunt Animadversiones praedictae, anno M.DC.LXXVII, ubi, pag. 32, provocat adversarios suos auctor, « ut, si alicubi terrarum exstat codex, ante annum » M.CCCC.XLI, a venerabili Thoma aliove quopiam exaratus, atque » prima manu Thomae ipsius (puto *ipsi* legendum) adscriptus, » hunc vel sero proferant, et agitatae tot modis controversiae » sic tandem finem imponant; sin minus, *Thomam* sui libelli » auctorem agnoscant, per nos licet (inquit Delfavius); at nobis » aliisque pro *Ioanne Gersene* sentire concedant; imo vero in » unam omnes conspiremus sententiam : nempe, ut Spiritum » Sanctum illius operis auctorem esse credamus, eiusque » genium ac sensum in proprios quique usus convertere » contendamus. »

V. Pium iustumque consilium, et, quantum scire possum, eatenus effectui mancipatum, quatenus nihil ultra motum ex alterutra parte intelligo, nec porro movendum existimo. Exemplar nostrum, venerabilis *Thomae* manu citra controversiam scriptum, quod Parisios iudicio publico bis subiiciendum communicavimus sine invidia, petentibus primum Regularibus, deinde Benedictinis, pro magno servamus thesauro; eodem haud semel usi apud heterodoxos eruditos, nodum quaerentes in scirpo, si qua forte ratione ab aliis tribus libris possent abiungere eum qui est *de Sacramento Altaris*, suis de hoc mysterio erroribus manifeste contrarium. Nemo eorum fuit, qui suis ipse oculis cunctaretur credere, unius eiusdemque manus omnium quatuor librorum esse scripturam; ad quod persuadendum, tot superius etiam indigitatos codices eo libentius hic rescripsi, ut scrupulum omnem eximeremus. Dicebant

illi quidem, apud se nonnullos codices inveniri, a quibus liber iste absit; sed respondimus, id, si verum est (neque enim vidimus), eo fieri potuisse, quod nonnulli libellum quartum mallent seorsim descriptum habere, commodius sinu ferendum, quoties ad Communionem accederent aut post eam se recolligerent.

VI. Quod ad librorum ordinem attinet, cum hic alibi varius invenitur, tum nominatim in nostri Collegii Coloniensis bibliotheca, ubi primus est is, qui passim est tertius, *de interna consolatione;* et hunc sequitur, si vocatur secundus, qui passim est primus *de imitatione Christi* etc.; inter utrumque autem leguntur quatuordecim versus, digni hic conservari, si forte alibi nusquam exstent :

Si vis gaudere, studeas in pace silere :
Ne reprehendaris, taceas, vel certa loquaris.
Qui tacitus, tutus magis est, quam saepe locutus :
Est magnum sapere et sapienter scire tacere.
Si cupis esse bonus, et verus Religiosus,
Ut Domino placeas Crucifixo, sis studiosus :
Esto verecundus, timidus, discretus, honestus,
Et patiens, humilis, tacitus, sermone modestus :
Quantumcumque potes, gravitatem semper habeto;
Fratribus opprobrans effundere verba caveto.
In cunctis humilem studeas te rumpere multum;
Esto sollicitus Fratrum vitare tumultum :
Verbi principium, finem circumspice verbi,
Ut melius possis praemeditata loqui.

VII. Nunc haud abs re facturus mihi videor, si amborum scriptorum, quorum causa mota controversia fuit, hic effigiem apponam IOANNIS quidem, ut est ex Ms. Cavensis monasterii aeri incisa, post indicem capitulorum ante opus, anno M.DC.XXXVIII Parisiis editum, cum Animadversionibus apologeticis Francisci Valgravii, apud Sebastianum Hure : THOMAE vero anno M.D.LXIX

ex veteri pictura, ab annis xc Swollis servata, ut hic Antverpiae sculptam habeo. Ibi ille in colliculo solitarius sedet, habitu suo Ordinis Canonici indutus, dextra librum ante se apertum tenens, sinistra volvens globulos precatorios quasi trium decadum, in memoriam annorum vitae Christi. Ad dextram assurgit mons, cum monasterio S. Agnetis; et sub eo quasi in spelunca meditans monachus; in aere autem circa humerum volat rotulus, hoc versu inscriptus :

Nusquam tuta quies, nisi cella, codice, claustro.

Ad latus sedentis libelli aliquot iacent, grandior unus, isque apertus, et utraque pagina sic conscriptus : *In omnibus requiem quaesivi et non inveni nisi* IN EEN HOEXKEN MET EEN BOEXKEN, id est *In angello cum libello* [1].

VIII. Hoc scilicet ille frequens ore versabat ex suae patriae idiotismo, dicens in scribendis libris a se exaratis, ut est in Vita, quam Rosweidus ex variis compilavit post Chronicon :

IN HOEXKINS UND BOEXKINS.

In angellis et libellis.

Idem autem Rosweidus addit in Notationibus, quod « tabu-» lam illam fieri curavit ultimus coenobii istius Prior, R. P. » Cuperinus, anno M.D.LXIX, » cum epigraphe, totum iconis argumentum explicante, et penultimo disticho designante annum obitualem, hoc modo :

Montanaeque domus vicinorumque locorum
Effigiem Thomae Kempisiique vides;
Qui sacri quondam primaria gloria dictus
Ordinis, et phoenix deliciumque gregis.
Isala quas urbes, quas praeterlabitur arces,
Quos saltus Vechtis, picta tabella refert.

[1] Nos effigies illas, quia minus ad Annales nostros spectant, haud necesse duximus adiungere.

Bis denis lustris annos si dempseris octo,
Occubuit THOMAS, *functus et astra petit.*
Hoc tibi, Dive, domus praeses Cuperinus, alumno,
Mnemosynon posuit, quem prece iunge Deo.

« Moris scilicet iam pridem erat, memoriam defuncti ut » sancti venerari; neque id gratis : inde enim factum, ut usu » adhuc ante annos centum durante, locus vulgo appellaretur » BERG-KLOOSTER VAN MIRAKELEN, id est *Montanum Monasterium* » *miraculorum : hodieque* (inquit Rosweidus, anno M.DC.XXI » Chronicon Windesheimense et S. Agnetis evulgans) *multi* » *Catholici antiquae retinentes pietatis, nudis id pedibus adeunt,* » *ob signorum ibi editorum ipsius Thomae memoriam; cuius* » *suffragio me enixe commendo.* »

IX. Ego vero ectypon meum, quod venerabundus asservo, sub annum M.DCC.IV, haud gravate commodavi sodalitio cuidam Rhetoricorum (ut vocant) Amstelodamensium, eodem ornare cupientium compositam a se Hollandico idiomate paraphrasim rhythmicam trium primorum de imitatione Christi librorum; exemplo Francorum, qui iam pridem duplicem paraphrasim ediderunt, quarum unius auctor est celeber ille in tragoediis gallice scribendis, Dominus Corneille, qui extrema sua aetate a ludicris ad seria et sancta stylum ac poesim suam convertens, ea ratione correctum voluit, si quid in istis antea peccaverat. Ipsius vero Hollandicae impressionis curator, non probans parerga talis iconis, nec satis confidens sculpturae hic olim curatae, maluit novum ex Swollensi prototypo exemplum petere, et, omissis parergis, dimidio corpore spectandum *Thomam* dare.

X. Transiit ex hac vita THOMAS A KEMPIS (ut est in praecitato Falcontino Registro, nec non in Chronico Bethleemitico prope Lovanium) VIII *Kalendas sextiles, aetatis suae* XCII, *professionis* LXIII, *Sacerdotii* LVIII. Scribit autem de se in Chronico sui monasterii, anno M.CCC.XCIX : « Ego *Thomas a Kempis*, scholaris

» Daventriensis, processi laetus ad montem S. Agnetis, et feci » instantiam pro mansione in eodem loco, et fui misericorditer » in eo receptus, annum iam agens vigesimum primum; » sicut etiam ipse profitetur in Vita venerabilis Arnoldi, sic loquens de schola Daventriensi : « Ibi didici scribere, et sacram Scriptu- » ram legere, et quae ad mores spectant devotosque tractatus » audire, et quidquid scribendo lucrari potui, in sumptus » communes tradidi. » Cum autem istud suum Chronicon perduxisset usque ad obitus sui annum, anonymus eiusdem monasterii Frater ipsum continuandum suscepit, et usque ad M.CCCC.LXXVII continuavit, hoc modo exordiens : « Eodem anno » (scilicet LXXI) quo Fr. Ioannes Gerlacus in festo S. Antonii » obierat *(in cuius morte scriptionem suam finierat Thomas)*, » in festo S. Iacobi Minoris obiit praedictus Fr. noster Thomas » Hemerken, de Kempis natus, civitate Diocoesis Coloniensis, » anno aetatis suae XCII, et investitionis suae LXIII, anno autem » sacerdotii sui LVIII. Hic in iuvenili aetate fuit auditor Domini » Florentii in Daventria, et ab eo directus est ad fratrem suum, » tunc temporis Priorem montis S. Agnetis, anno aetatis suae » XX. Non tamen cito receptus ad habitum, post sex annos » probationis suae investitus est. » Et huc videtur spectare locus Chronici, ubi legitur quod, « anno M.CCCC.VI, in die Sacramenti, » quae tunc fuit in profesto Barnabae, investiti sunt duo Fra- » tres Clerici ' et unus Conversus, Frater Thomas Hemerken, » de Kempis, civitate Diocoesis Coloniensis, germanus frater » Kempen, Prioris primi. »

XI. Hic mihi haeret aqua, ut definiam, unusne Clericorum istorum duorum, quorum non exprimuntur nomina, fuerit ipse *Thomas*, Chronici scriptor (qui suam ante sex annos receptionem indicaverat, neque hic volebat investitionis suae dilationem distinctius exprimere), an vero reliqua verba post ' integre spectent ad Thomam. Ipsius Chronici continuator anonymus

usque ad annum M.CCCC.LXXVII, a pag. 137 ad 246, in ipso sui supplementi exordio, cum ad annum M.CCCC.VI non satis attente legisset Thomae verba, duos Thomas confudit: Clericum unum, de quo supra, Laicum alterum; unde factum sit, cum debuisset priorem post unum probationis annum investitum dicere, ut scripserit id factum post *sex annos suae probationis;* cuius dilationis causam varii varias allegare nituntur. Sed nullo hic nisu opus est : nam ipse *Thomas* de altero suo synonymo expresse testatur : anno Domini M.CCCC.VI, *in die S. Barnabae, investiti sunt duo Fratres Clerici et unus Conversus; Thomas Hemerken, germanus frater Ioannis Kempen, primi Prioris,* ab anno M.CCC.XCIX, quo Clericus receptus fuit, ad M.CCCC.VI. Quod autem moris esset, post unum probationis annum Novitios receptos investiri, probat ille ipse ad annum M.CCCC.I, scribens, quod *in crastino Divisionis Apostolorum fuit investitus Fr. Ioannes Drick, antea Presbyter et Vicarius in Steinwyk, qui infra annum probationis* (praeter aliorum morem videlicet) *de licentia Prioris in natali S. Ioannis Apostoli professus est (sexto tirocinii mense), postea Procurator effectus.*

XII. Cum autem scriptor, in vita Magistri sui Florentii, scribat ad hunc directum se fuisse Daventriam a germano suo, conventuali in Windesheim, et dicat in Chronico, ad annum M.CCC.XCIX, Ioannem quemdam electum in Priorem Domus S. Agnetis, quem mox appellat *Priorem primum;* consequens est, ipsum quoque scriptorem fuisse germanum eiusdem Prioris : sed, ne duos Thomas germanos faciamus, dixerim potius ambos patrueles fuisse scriptoris *Thomae;* qui nihilominus habuerit in Windesheim germanum fratrem, hactenus anonymum. Duos interim, auctore Trithemio, *Thomas* agnosco; sed non quales ipse, qui seniorem facit Gerardi Magni alumnum (in quo ab aliis corrigitur, qui Gerardi discipulum et successorem in Windesheim volunt Ioannem fuisse, in utroque

Chronico laudatum) et claruerit anno M.CCCC.X; alter, ipsius Trithemii pene temporibus, id est centum annis post primum in vivis fuerit : cui interim adscribens libellum de imitatione, sibi ipsi contradicit, dum addit : *Quem libellum ante multos annos seniores nostri suos ferunt legisse seniores.*

XIII. Ut ut est, *Thomam*, de quo agimus, revera fuisse cognominatum *Hamerken*, liquet ex Prologo ad Epitomen Vitae S. Lidwinae, in meo de ea Commentario XIV Aprilis, num. XI, ubi dicitur, quod « *Frater Thomas Malleolus a Kempis*, *vulgo* » *Fr. Thomas Hamerken*, in domo Montis S. Agnetis, quae extra » muros oppidi Swollensis, versus orientalem plagam sita » est, rogantibus Religiosis Fratribus Canonicis Regularibus » monasterii S. Elizabeth prope Brilas, in partibus Flandriae, » libellum de vita sanctae et patientissimae Virginis Lidewigis » perlegit; et, sicut diu optaverant, eumdem, breviori ac planiori » stylo compositum, ex caritate ad legendum transmisit. » Libellum istum eum ego esse crediderim, quem Schiedamenses, sub annum M.CCCC.XLVII, vernacula lingua conscribendum et imprimendum curarunt; vel potius prolixiorem alteram vitam, quam Fr. Brugmannus, anno M.CCCC.XLVIII, adornavit. *Sustinuit autem*, inquit auctor Vitae, *ipse Thomas ab exordio Monasterii* (id est sui ad monasterium accessus) *magnam penuriam, tentationes et labores* (et hanc ego unicam causam fuisse existimo, dilatae ad sexennium investitionis, non inconstantiam quampiam, ut suspicari videntur nonnulli) *quibus expeditus, scripsit Bibliam nostram totaliter, et alios multos libros pro domo et pro pretio. Insuper composuit varios tractatulos ad aedificationem iuvenum, in plano et simplici stylo; sed praegrandes in sententia et operis efficacia.*

His si annumerandi sunt omnes illi, quos habet codex post libros de Imitatione, manu et charactere prorsus eodem, et sub una omnes simul clausula *finitus et completus;* et si codex

Grandimontensis, in quo similiter iidem omnes coniunguntur, sit ipso Thoma (ut praetenditur) antiquior, evidenti demonstratione concluditur, scriptoris, non auctoris, talem esse subscriptionem. Certe eadem clausula *Thomas* usus asseritur, post primum tomum quadripartitae Bibliae, quae nunc servatur Coloniae in monasterio Regularium Corporis Christi, notando *annum Domini* M.CCCC.XXXIX, *in Vigilia S. Iacobi Apostoli;* paucioribus vero verbis in Missali ad S. Martinum Lovanii : *anno Domini* M.CCCC.XXXIX *per Fratrem Thomam de Kempen.*

XIV. Hoc scribendi exercitium magno in usu istius monasterii Fratribus fuisse, ex institutione primi eiusdem Domus Prioris, Ioannis Kempis, anno M.CCC.XCIX electi, demonstrat receptus ab eo Thomas, dum in Chronico narrat, quod « plures libros pro » choro et armaria scribi fecit; et nihilominus, quia pauperes ad- » huc erant, aliquos Fratres pro pretio scribere ordinavit, sicut » ab antiquis temporibus consuetum erat *(scilicet in Benedictino- » rum, Cisterciensium et Carthusianorum monasteriis),* quod multi » Fratres studiose fecerunt. » In primis Thomas, cuius tamen calligraphiam non est quod magnopere commendemus, qui specimen habemus in manibus nostris, perquam minuti et compressi characteris, innumeris breviaturis ad verba singula, ne dicam syllabas, obscurati : ita ut nunc lectu difficillimum sit; sed hoc ignoscatur consuetudini seculi istius XV, quando lucrum exscribendi celeritate maius et celeritas ex contractionibus coacervandis quaerebatur; hoc autem quasi pugillari libello, et intra sinum sacculumve circumferendo ad usus quotidianos, etiam spectabatur parvitas molis, non aliter invenienda. Interim laudetur scriptoris accuratio, in fine Vindiciarum commendata a Rosweido, tanta « ut ne litterula quidem aberraverit; si qua » alicubi transpositio verborum scribendi evenit, ipse postmo- » dum libros relegit (nam enchiridium eius quotidianum videtur

» fuisse), ipse post minio fugitivum vocabulum in locum suum
» revocandum monuit.

XV. » Talibus autem libellis propria manu scribendis ac re-
» scribendis, eorumque genium ac censum in proprios usus con-
» vertendo, multum haud dubie profecit *Thomas,* de die in diem
» *(ut scribit idem Anonymus)* addens semper fervorem fervori,
» devotionem devotioni, virtutem virtuti : et quia multum hu-
» milis fuit, ideo a Deo magnam et singularem gratiam meruit
» habere, ut patet ex dictis eius. Item bis Superior fuit, et semel
» Procurator *:* sed quia multum fuit internus et devotus, et ideo
» simplex in temporalibus rebus, depositus fuit ab officio Pro-
» curatoris, et in Superiorem iterum electus : quia sic maiorem
» fructum dictando, contemplando, orationibus insistendo fecit :
» quod Fratres considerantes fecerunt sibi misericordiam *(phra-*
» *sis haec est etiam apud Carthusianos, absolvi ab officio petentes)*
» eum sublevando ab exterioribus. Addit Chronici continuator,
» quod fuit multum amorosus in passione Domini, et mire
» consolativus tentatis et tribulatis. Tandem vero circa senium
» suum vexatus hydropisi in cruribus, obdormivit in Domino,
» et sepultus est in ambitu orientali, ad latus Fratris Petri
» Herbert Diaconi, anno M.CCCC.LXX in crastino Sanctorum
» Martyrum et Sociorum infra Matutinas defuncti, et a
» Thoma in Chronico saepedicto laudati, quod natura multum
» debilis et impotens fuit ad observationem Ordinis in multis
» statutis : suscepit tamen in Capitulo saepe disciplinam pro
» culpis, saepe lavit capita Fratrum tempore rasurae, et liben-
» ter legit pro aliis in refectorio. »

XVI. Huiusmodi indicio, aliisque relatis inter mea ad Chrono-
logiam Pontificiam Paralipomena, « requisitum anno M.DC.LXXII
» est corpus, et septem sub terra pedes inventa a fossoribus
» XIII Augusti, compages ossium, concinne admodum firmiter-
» que inter se nexorum, et admirationi fuit tum aliis multis

» de causis, tum eo quod sub pavimento tam solido, ut non
» nisi vectibus ferreis frangi potuerit, septemque sub eodem
» pedibus inventi sunt flores, qui non sparsim, sed in fasci-
» culum collecti creverant, vernantes florentesque, floribus
» Maialibus similes, qui radices habebant in talo sinistrae
» tibiae, ad partem interiorem erecti in altitudinem pedis,
» colore albo, rubeo et flavo. Et ego *(inquit relator de visu,*
» *Ioannes Waeyer, Presbyter Zwollensis)* eos dextra manu de-
» cerpsi. Contecti fuerant terra decem pedes alta, aut potius
» arena, sed adeo densa et sibi cohaerente, ut magno labore
» fuerit effodienda : ideoque flores illi a prudentioribus ut
» prodigium aliquod habentur. » Fortassis divinitus procuratum id fuit, ad declaranda THOMAE merita in tolerandis quos hydrops causaverat doloribus; ad quod tunc nemo reflexit animum ; sed bene ad beneficia sanitatum impetrata ad venerationem ossium, in decenti capsa Zwollas in oratorium Catholicum translatorum : quorum beneficiorum specimina aliquot videri citato supra loco poterunt. Haec autem si extunc continuata fuerint, ac porro continuentur multiplicenturque, spes erit aliquando, ut Provincia illa, Catholico cultui restituta, indigetem suum, solenniori religione colere incipiat. Ob hanc certe causam placuit hoc loco tam fuse de venerabili Thoma a Kempis scribere. Redeo ad propria.

XVII. Obiit hoc anno praenominata Ducissa ISABELLA, tertia (ut dixi) *Philippi Boni* uxor; quae lemmati, quod maritus, eam ducens, sub insignibus suis sumpserat : AUTRE N'AURAY, *Aliam non habebo*, respondere volens, sub suis posuit : TANT QUE IE VIF, *quamdiu vivo ;* et verbo suo stetit, marito superstes annis quatuor. Fundaverat Gosnaei, prope Bethuniam, in Artesia, magnificum sacellum, cum duabus cellis, pro totidem Ordinis Carthusiani presbyteris; ubi ipsa mortua, inter muros ipsius sacelli atque conventus, habet marmoream

tumbam, modice elevatam a terra: et sub Angelo, tenente eius tamquam viduae insignia (Lusitanicum nempe et Burgundicum) epitaphium tale : *Hic iacet Domina* ISABELLA, *filia Ioannis Regis Portugalliae, et Dominae villarum castrorumque infrascriptorum; quae obiit anno* M.CCCC.LXXI, *die* XVII *Decembris.* » Ita ipso loco notavit Advocatus Nys, addens quod in eadem capella invenitur picta artificiose vitrea, insignita scutis omnium, quas rexit, provinciarum; inter eas Marchionatus S. R. I. coronatus diademate Imperiali, eodem plane modo, quo ipsum videre est Gandavi ad S. Ioannis, in vitrea post chorum a Maximiliano eiusque filio Philippo posita. Ferreolus Locrius, in Belgii Chronica ad annum M.CCCC.XXXVIII, quo eam Philippus sibi coniunxit, notat ipsam praedicto Conventui valde largam fuisse; et Ioannes Franciscus Petit, in sua Hollandiae Chronica, Conventum esse ait Dominarum Carthusianarum (quarum scilicet obsequio ipsa praedictos duos Presbyteros fundavit); et unde translata sit in Carthusiam Divionensem, ubi nunc similem et iunctam marito tumbam perquam magnificam habet.

A. C. M.CCCC.LXXII.

COMMISSARII AD RENOVATIONEM. — Dominus Praeses Brabantiae. — D. Antonius de Brabantia. — D. Ioannes van Bergen. — Mag. Ioannes Steep, *Secretarius*.

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — D. Ioannes van Berchem, *Eques*. — VIII. Nicolaus vander Voort.

SCABINI. — D. Ioannes van Halmale. — D. Hector van Liere. — D. Wilh. van Berchem. — Ioannes Noyts. — Walravus Draeck. — Wilhel. van Tichelt. — Wilhel. van Doerne, *alias*

Sompeke. — Reynerus van Ursele. — Gerardus van Eyke, *iunior*. — Henricus van Cuyst. — M. Nicolaus de Schermer.

Secretarii, post hosce Scabinos enumeratos, nominant *Ioannem de Baukeleer*, et addunt : *Vide Sigilla :* qua occasione suggero, moris fuisse, ut singuli noviter electi Scabini proprium haberent sigillum ferreum; et sic inveniuntur plurium consequenter annorum sigilla, pendentia ex annulis ferreis, quibus singulis innectuntur eiusmodi sigilla dena vel duodena usque ad annum   quando, eorum usu abrogato, omnibus servire coepit unum commune *sigillum ad causas*. Si autem *Ioannes* iste Scabinali Collegio accessit hoc anno, oportet, ut alicui ex praenominatis, e vita vel officio egredienti, suffectus fuerit.

ARGUMENTUM.

I. Visitatores sarcinarum nunc primum et ultimum Fastis adscripti. II. Viae quaedam recentiores saxis constratae. III. Grandis cometes, cum insolita fructuum omnium abundantia. IV. Emptum molendinum aquaticum.

ACTA.

I. Hoc anno, nec deinceps amplius, nominantur in Fastis *Censores* seu *Inspectores* vel *Visitatores sarcinarum*, quorum officium erat explorare et cavere, ne quid invehendis evehendisque mercibus fraudis esset admixtum, qua vel aliae pro aliis offerebantur ad telonium, vel viliores melioribus, aut e converso miscebantur. De quo tamen officio cum alibi nihil reperiam, suspicor citius evanuisse, eo quod examen et scrutinium tale plus incommodi quam commodi pararet, litium et rixarum ferax. Hac autem vice nominantur *Mag. Wilh. vander Heyden et Ioannes Colgenssone*, viri ambo senatorii, tertiusque unus inferioris (ut credo) notae *Adrianus Stonick*.

II. Gramayus, pag. 33, asserit ex vetustis memoriis, pulcherrimas Civitatis auctioris vias lapideo pavimento constratas primum fuisse hoc tempore, et anno quidem praetitulato *Longam novam*, DE LANGE-NIEU-STRAET, atque *Caesaream;* nec multo post *Cammeriam* atque *Altam; Coriariorum* quoque, et illam, quae ducit ad portam seu pontem Vaccinum. Quare vereor ne error sit in zyfris, quibus ibidem dicitur via *Kipdorpia* sic constrata fuisse anno M.CCC.LXXVIII; et, qui allegantur populares rhythmi pro anno M.CCC.X, quo sic sterni Antverpienses viae coeperint, plane debent intelligi de veteri ante annum M.CCC.XIV Civitate. Ab hac tamen ad Kipdorpiam portam ducens via, cum fuerit sitque omnium frequentissima, omnino assentior existimanti, illam sic stratam fuisse, annis ante alias quinquaginta vel sexaginta.

III. Interim praetitulati anni initio, « circa festum S. Agnetis, » cometes, apparens toto trimestri, percelluit animos fulgore » terribili fere usque ad Pascha, actum XXIX Martii, inquit Valkenisse; et addit, versam illius caudam fuisse ad Orientem, in » festo S. Blasii, et noctu luxisse instar Lunae, modo candidum, » modo flammeum, praenuntium plurium sequentibus annis » calamitatum magnaeque penuriae annonariae. » Hoc interim anno nihil mali praesagiit, cuius aestas maximam attulit fructuum omnium ubertatem, adeo ut notatum inveniam, die I Septembris maius musti Rhenensis poculum (EENEN STOOP), Middelburgi in Zelandia sex grossis venisse : hoc tamen Chronicum Flandriae ad biennium differt.

IV. « Die autem XIV Augusti, Civitas iuris sui emendo fecit » Molendinum Aquaticum, quod est in Immerseel ad Scindam, » ultra Turninum dimidia fere hora. »

A. C. M.CCCC.LXXIII.

ARGUMENTUM.

I. An Praetor Philippus, Nothus Brabantiae, Dominus de Cruybeke? II. Epitaphium eius.

ACTA.

I. Liber de Gestis Maximiliani huic occurrisse anno M.CCCC.LXXVI Marcgravium istum scribit; sed quis eumdem suggessit pro hoc anno Auctori libelli de Nobilitate Antverpiensi, ipsum in ordine ad alteram anni M.DC.LXXXIX editionem recognoscenti, augentique nonnihil nominibus quorumdam Praetorum, in priori anni M.DC.LXXII praeteritis? Praeteritum tunc fuisse non miror, cum nusquam reperiatur in Fastis nostris nominatus, nec usque ad annum M.CCCC.LXXIX Praetor alius, quam *Dominus de Arcyes.* Habebat hic gravem cum Civitate litem, cuius causa alium Civitas tunc petiit et impetravit. Quidni, eo vel nolente vel non valente iustitiam per se Antverpiae ministrare, commodatus Civitati vir iste nobilissimus sit, et novo Duci obviam progressus, ideoque in historia appelletur *Marcgravius*, quia Marcgravii vices suppleverit? Verum unde libelli auctor accepit eum pro anno M.CCCC.LXXIII : an forte per calami errorem obrepsit XLIII pro XLVII? Nodum solveret, si viveret, primus (ut fertur) libelli auctor et deinde recognitor, Brabantiae Cancellarius, D. Christyn.

II. Etenim hic aliam eiusdem PHILIPPI, Brabantiae Nothi, probationem suggerit, inter Bruxellensis Basilicae monumenta et coenotaphia, post Ernesti Archiducis mausoleum primo

loco positum. « Sequitur, inquit, epitaphium, quod olim » inscriptum fuit tumbae, cuius non apparet amplius vestigium, » Philippi de Brabantia, Domini de Crubeque, filii naturalis » Philippi, Comitis Fani S. Pauli, Ducis Brabantiae. »

Tum ipsum sic recitat :

PHILIPPUS *Crubec, virtute insignis et armis,*
Hic iacet extinctus lumine, pressus humo.
Quos hostes domuit, et ubi, utque subegerit, et quot,
Res probat, et populi fama per ora sonat.
Si genus inquiris, Brabantia subdita patri,
Principibus genitus invenietur avis.
Sol prius et radios neget et vaga Cynthia lucem,
Fulgentes stellas conspicuusque polus,
Quam, Philippe, tua partos virtute triumphos
Et laudum titulos hauserit ulla dies.
Et licet Augusti rupit mors invida sexto
Stamina, in haec potuit iuris habere nihil :
Nam nequit alta patrans virtus sentire ruinam ;
Utque viret laurus, sic viret omne bonum.

III. Difficile est ex penultimo huius epitaphii disticho extundere clarum sensum, quo intelligatur PHILIPPUS iste obiisse VI Augusti; difficilius alicunde reperire annum mortis. Unum hoc dicere possum, eum, qui filius naturalis fuit Philippi Ducis, defuncti anno Christi M.CCCC.XXX, aetatis suae necdum vigesimo quarto, fuisse circiter quinquagenarium, quando Maximiliano obviam processisse dicitur, tamquam *Marcgravius Antverpiensis;* eoque dignus est commemorari, quocumque demum anno obierit, quando Maximilianus dignum habuit, quem in communi Principum Brabantorum crypta, sub maiori altari, condi iuberet, una cum uxore ANNA DE BAENST, cum qua et memoriam communem habet, effigiem scilicet cum insignibus, in sacello coenobii D. Gertrudis, iuxta Basilicam S. Gudulae, teste

praelaudato Cancellario. Porro *Dominium Cruybeeck* in ripa Flandrica situm, gemina supra Antverpiam leuca, videri possit Philippo obvenisse a matre, Toparchae Crubecani filia.

MAGISTRATUS.

COMMISSARII AD RENOVATIONEM. — Dominus Praeses Brabantiae. — Dominus Anthonius Nothus Brabantiae. — D. Ioannes van Stichelen, *Secretarius.*

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — Ioannes van Ranst. — v. Henr. vande Werve.

SCABINI. — D. Ioannes van Berchem. — D. Walterus van Liere. — Io. van Mechelen. — Io. van Schoyte. — Henr. vander Moelen. — Paulus van Ranst. — Nic. vander Voort. — Mag. Nicol. de Schermere. — Gerardus van Eycke. — Costinus van Halmale. — Adrianus van Delft.

ARGUMENTUM.

I. Maius Consilium Mechliniae constitutum a Duce. II. Frequentata Antverpiae miracula Deiparae, et cultus auctus instituta Confraternitate. III-IV. Bogardi Capitulo Zepperensi subiecti. V. Quaestores assumpti ex opificibus. Structum Molendinum aquaticum novum. VI. Taxata bona ecclesiastica. VII. Senatui commissae causae, spectantes vetitam monetam.

ACTA.

I. Dux noster hoc anno (ut habent in suis Analectis Secretarii) « erexit Mechliniae novum magnumque Consilium, in quo » essent Cancellarius unus, Praesides duo, Equites quatuor, » Consiliarii sex, totidemque Rationum Magistri, Secretarii » et Advocati, sed Consilium tale non duravit ultra vitam » Principis, nec sane ab omnibus probabatur novum istud

» Parlamentum, quinetiam erant qui (ut in veteri rhythmo » legitur) *Plagamentum* appellarent. Dorlandus *Curiam* nomi- » nat, qua, inquit, non erat alia in orbe Christiano celebrior » futura, si, feliciter inchoatum a Carolo Principe Consilium » insequentes Duces pari cura fovere, ornare atque ampliare » studuissent. Haec Curia (inquit ille) praelata ceteris, constitu- » ta erat causarum omnis generis iusta ac legitima disceptatrix, » omni adempta litigantibus provocandi potestate. Consiliarii » numerum tricesimum explebant.... Ad locum audiendis » controversiis destinatum equites ibant (ut etiamnum Madriti » moris esse dicitur), aliter non licebat : Curiam ingressis » paratum erat sacrum .... post horas aliquot, egressos » excipiebat iterum sacrificium. »

II. Hoc etiam anno « Deiparae imago OP 'T STOXKEN, magnis » multisque miraculis clarescens, novum in suo cultu fervorem » civium excitavit; » additque Chronica Snyderiana, quod illa insequenti anno primum coeperint publicari, praevio scilicet examine solenni et iuridico. Augendae vero devotioni populari servivit maioris campanae pulsus, publico decreto audiri coeptus primo mane, ad salutandam Virginem per *Ave Maria;* deinde sub meridiem, ad recitandum *Pater noster :* quod pium institutum ut promoveret Papa Sixtus IV, dies XL Indulgentiae concessit eas precationes tunc recitaturis; dies vero centum ipsas ter repetituris; eaque de causa triplicatus pulsus ter iteratur utraque vice. Postea autem placuit eumdem pulsum sub noctem quoque resumi, *pro fidelibus defunctis.* Huc referri potest (donec distinctius constet de anno) quod Ludovicus Guicciardinus, agens de Confraternitatibus in Basilica Mariana institutis, de earum tertia ita scribit : « Nomen ea habet a » capella Dominae nostrae, quae istic est ampla et magnifica. » Constat ea ex civibus circiter centum, quibus etiam miscen- » tur externi : et horum impendio, praeter missas aliaque

» officia, ibidem quotidie cum musica et organo cantatur
» *Salve Regina* vel alia Antiphona pro tempore, post Laudes
» solita recitari; unde etiam ipsa *Confraternitas laudis Dominae*
» *nostrae* a multis appellatur. Auctor, institutor et fundator
» fuit Nicolaus de Rechtergem, avus maternus Scheziorum
» *(familiae olim Antverpiae nobilis, postea Dominorum, nunc*
» *Comitum de Grobbendonck),* vir magnae et opulentiae et
» auctoritatis, cuius in eadem capella sepulcrum exstat,
» cum inscriptione nominis, ante magnificum et sumptuosum
» istud candelabrum, quod ipsius dono ibi conspicitur aere
» fusum. » Ita Guicciardinus, cuius hic verba refero, quia rei istius nullum nunc in capella vestigium, nulla in libris d. Confraternitatis exstat memoria, utrisque per iconoclastas dissipatis et fractis, una cum aliis ipsius Basilicae ornamentis aeneis, de quibus infra.

III. « Hoc etiam anno praenotato, *Sixto Papae IV* praeno-
» minato, sicut habet eius Bulla, supplicantes exposuerunt
» Daniel Beverinck, minister, et alii fratres Domus Antverpiensis
» tertii Ordinis et Regulae S. Francisci, Beggardi vulgariter
» nuncupati, quod ob spem sanioris et frugem melioris vitae
» consequendae, suarumque animarum salutem, et in moribus
» et vitae disciplina ac observantia regulari Fratrum eiusdem
» Ordinis ac Regulae, in Leodiensi Dioecesi constitutorum,
» eisdem conformare volentes, se ipsos ac Domum Antver-
» piensem praefatam Generali Ministro, qui omnium Domorum
» ac Fratrum in praed. Dioecesi curam gerit, exercet et habet,
» ut subiectos sponte submiserunt, ac promiserunt, ut ipsi
» et omnes eorum successores dicto Generali Ministro suisque
» successoribus parere, et in omnibus obedire, statutaque
» et ordinationes Generalis Capituli d. Fratrum edita et edenda
» firmiter observare, et ad Capitulum Generale Fratrum huius-
» modi annis singulis mittere et accedere, iisque interesse

» teneantur, iuxta eorum regularia instituta et Apostolica » indulta ; nonnullaque alia, tunc expressa, inviolabiliter » observare; nec his, quovis quaesito colore aut praesidio » spirituali vel temporali, directe vel indirecte, quoquomodo » contravenire, sed potius in eorum assumpta firmitate since- » raque et optima fide et zelo Religionis continuo perseverare, » prout in quodam instrumento publico desuper confecto » plenius continetur.

IV. » Igitur, cum etiam ipse Generalis ac Fratres Dioecesis » Leodiensis (uti in eadem Bulla praemittitur) similiter expo- » suissent, quod ipsi, tam ordinaria quam Apostolica conces- » sione et auctoritate, pro observantia regulari et salubri statu » Fratrum, multis ab annis retroactis habuerunt et habent » unum Generalem Ministrum, tamquam Patrem eorum et » superiorem, qui annis singulis, convocatis omnibus Mini- » stris et Fratribus, in certo loco, per eos anno quolibet » deputato, in eodem Capitulo, ipsis salutaria et eorum saluti » animarum incumbentia una simul statueret et ordinaret, » per singulos Fratres domorum praedictarum perpetuo ob- » servanda. Cum, inquam, istis utrimque sic expositis, pro » utraque parte Pontifici fuisset humiliter supplicatum, ut » submissioni seu unioni huic robur Apostolicae confirmationis » adiicere, aliasque in praemissis eis opportune providere » de benignitate Apostolica dignaretur, annuit Pontifex, adie- » citque, ut Minister, pro tempore existens, ac Domus Ant- » verpiensis et Fratres alii, omnibus et singulis gratiis, » privilegiis, exemptionibus ac favoribus, quibus praefati » Generalis ceterique Ministri ac Fratres in Dioecesi Leodiensi » constituti, in genere potiuntur et gaudent, uti, potiri, » gaudere ac frui possint. »

V. Hoc eodem anno « institutum est, ut Quaestores assume- » rentur ex Collegiis Opificum; Accisiis autem vini et cerevisiae

» colligendis praeficerentur ex iisdem Opificiis Magistri Ac-
» cisiarum, quae eatenus manserant in potestate veterum
» Scabinorum. Constructum etiam fuit novum aquaticum
» molendinum, extra portam Hermanni Haexii, circa Ioannis
» Goos tectum navale, HET BARGIE-HUYS : quod tectum secundum
» huius Civitatis eo in genere fuit, et usque ad annum M.D.XLIII
» stetit, » teste Chronica Snyderi.

VI. « Denique indicata est taxatio universorum bonorum
» ecclesiasticorum, per omnes Principis ditiones, quantumcum-
» que tenuia essent monasteria, vel hospitalia aut beneficia
» super iis constituta; praesertim eorum quae intra annos
» quadraginta fuerant acquisita : unde collecta immanis sum-
» ma iubebatur tradi Parlamento Mechliniensi, cui commissa
» exactio ista gravissima erat. Observatum autem est exinde
» nihil prospere Duci Carolo cessisse. »

Ita ex Mss. Caukerkius.

VII. « Contigit hoc anno, ut Wilmerdonkae quaedam summa
» monetae prohibitae consignaretur Aedili Parochiae istius,
» titulo mulctae, pro caede vel simili crimine commisso (ZOEN
» vulgo appellant, id est *Reconciliatio).* Hanc cum loci Scultetus
» arrestasset, provocatum ad Senatum Antverpiensem est,
» contra quem ille litteras ab Aula obtinuit, prohibentes
» Senatui in causa procedere, eamque iubentes remittere ad
» cognitionem Consilii Maioris. Contradicente autem Senatu
» nostro, iudicarunt Consiliarii Brabantiae cum suo Praeside,
» melius informati, nostros posse procedere, et partibus in
» tali causa, litigantibusque ius dicere; itaque, contrario Prin-
» cipis mandato non obstante, lata a nostro Senatu est
» sententia XI Octobris, » ut est in Papyraceo Maiori, fol. 260.

A. C. M.CCCC.LXXIV.

COMMISSARII AD RENOVATIONEM. — Dominus Praeses Brabantiae. — D. Antonius Nothus Brabantiae. — D. van Waelheym. — M. Paulus van Pulle, *Secretarius*.

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — Ioannes van Mechelen VI. — M. Nicolaus de Schermere.

SCABINI. — D. Hector van Lyere. — Ioannes Schoyte. — Henricus vande Werve. — Walravus Draecke. — Henricus vander Moelen. — Paulus van Ranst. — Ioannes van Ranst. — Costinus van Halmale. — Adrianus van Delft. — Lancellottus van Nosel. — Cornelius vander Noot.

Alii minores Officiales, post huius et sequentis Magistratus renovationem, ad eius arbitrium ex viris senatoriis soliti de novo constitui, nulli hic (praeter morem) scribuntur; causam reddam cum scivero.

ARGUMENTUM.

I. Anglis data domus ampla in via Lanaria, sub quibusdam valde gratiosis conditionibus. II. Officina Monetaria huc Lovanio traducta et constituta, OP DEN OEVER, in Halla Cruneghemiensi. III. Rei cives alibi capti, sed huc reducti.

ACTA.

I. MEMORABILE hoc anno est quod apud Advocatum Nys, ex Maioris Papyracei fol. 234, legi, de domo Anglis data die IV Iunii, libera et ab omni onere soluta, in via tunc dicta

DE BEULINCK-STRATE, a farciminibus ibi olim confici et vendi solitis, nunc autem a negotio lanario istic deinde exercito, DE WOLSTRATE; « sub ea tamen conditione, ut eam vendere » non liceret, sed solum cum alia commutare; incidente » autem inter Regem ipsorum et Ducem nostrum bello, » cuius causa oporteret eos hinc discedere, ipsam quidem » domum ad se recipiet Civitas, Nationem tamen semper » servabit in suis privilegiis. »

Tum eadem Civitas per aliud scriptum, relatum ibidem, fol. 236, « pollicetur, cessante bello, et Anglis huc re» vertentibus, praefatam domum ipsis restituere. » Deinde, fol. 237, circa puncta quaedam, inter eosdem et Civitatem controversa, convenit, « ut quaestiones posthac suboriturae, » quas inter se componere mercatores non poterunt, deci» dantur a Consulibus et Scabinis, neque teneantur propterea » coram Decanis et Aldermannis Guldarum, sub quibus antea » censebantur, comparere. II. Teneantur nautae, ubicumque » fuerint, servire Anglis pretio moderato. III. In publicandis » per cornu Nundinis, debeat Magistratus monere omnes » Accisiarum Teloniorumque Curatores, ut Anglis prompte » serviant in exonerandis suis navibus; et quocumque modo » panni lanei vendendi fuerint, sive minutim, sive per fasces, » prompti sint curruum traharumque locatores ad ipsorum » merces quocumque iusserint devehendas. Cum autem Angli » domos aliquas conduxerint ad suum usum, obligabuntur » diebus quatuordecim ante indicare, an iis usuri sint; alias » locatori licebit sibi consulere, iisque, ut voluerit, uti : apo» thecas vero ipsorum intrabit nemo, ad pannos lineos » complicandos, nisi iuratus. Denique taxabitur pretium » thecarum, cerae, cannabis, corbium, solvendum ab Anglis » tempore novi telonii, rebus istis impositi. »

II. Parva quaedam Chronica Ms. me docet Monetariam

Officinam, quam supra vidimus Lovanii fuisse constitutam, « huc adductam anno praesenti fuisse, circa Natalem Domini, » primamque pecuniam cusam in Halla Crunegemiensi, quae » fuerit in capite spatiosae illius areae, mediae inter pontem » S. Ioannis et viam ducentem ad S. Michaelis, vulgo *Ripa*, » DEN OEVER. »

Hallam hanc notitiae illius auctor existimat ad fiscum Ducis fuisse devolutam, et st etisse ipso eo loco, ubi nunc Moneta Regia satis magnifice constructa habetur, multo elegantior Bruxellensi. Interim hinc disco, Crunegheminm (quod modicum dominium est) inter confinia Turniuensis Parochiae et Merxemiensis, nunc ad ius Collegii nostri Antverpiensis pertinens, olim haud parum potens fuisse, quod prae tot aliis circumiectorum vicorum locis, propriam Antverpiae Hallam habuerit, fortassis pannorum ibi textorum.

III. Simile est quod refert Collector Anonymus supra laudatus, ex II vol. Privil. fol. 153, quomodo, « cum Procu- » rator Generalis Mechliniensis praesumpsisset hic appre- » hendere cives duos, Gerardum van Muyden et Ioannem » Heckdorens, qui iuverant homicidam quemdam ex Basilica » Mariana abducere et in libertatem constituere; eique facto » se opponens Senatus noster, questus apud Parlamentum » esset de Procuratore, ut qui contra ius eius fecerit, ad » quem spectet proprie cognitio et punitio eiusmodi deli- » ctorum; illo interim protestante, quod nollet Antverpiensium » privilegium vocare in controversiam; quia tamen in dicto » casu Civitas neglexerat iustitiam administrare, iure quoque » suo se usum, iudicavit Senatus Mechliniensis, reos captivos » Magistratui nostro esse remittendos, prout factum est. »

A. C. M.CCCC.LXXV.

Ammanus. — D. Iacobus Pot, Eques.

Commissarii ad renovationem. — D. Praeses Brabantiae. — D. van Waelheym, *eiusque loco* D. van Ursel.. — D. van Castergate. — M. Ioannes Brugmans, *Secretarius*.

Consules xxx novembris. — D. Wilhelmus van Lyere, *Eques*. — ix. Nicolaus vander Voort II.

Scabini. — D. Walterus van Lyere. — D. Wilh. van Berchem. — Io. van Mechelen. — Ioannes Noyts. — Aeg. vanden Wyngaerde. — Wilhelmus Tichelt. — Petrus vande Werve. — Wilh. van Sompeke. — Nicolaus vander Voort. — Henr. Kuycht. — M. Nicolaus de Schermere. — God. van Dielft.

ARGUMENTUM.

I. Burggraviatus a Nassaviis ad Iuliacensem translatus, et ab hoc illis restitutus. II-III. Quaedam mutata circa Subscultetos et Quaestores. IV. Controversia inter Bremensem et nostram Civitatem composita. V. S. Gummaro Lyrae novis miraculis inclarescente, Antverpienses eum honorare annue incipiunt, perferendo illuc sacrum Praeputium. VI. Cives non nisi Antverpiae iudicandi.

ACTA.

I. Ioannes, Comes nassavius, per suum cum Ioanna Heinbergensi matrimonium, anno m.cccc.lvi factus Antverpiensis Burggravius, ut supra dictum, Dilburgi, in Germania, obiit iii Februarii, filios post se duos relinquens, engelbertum, sui nominis I, cui cessit omnem suam cis Rhenum in Germania,

Brabantia, Hollandia possessionem, et IOANNEM, cui reliquam trans eumdem Rhenum. Non tamen Engelberto etiam Burggraviatus cessit, sed eius sororio, Ioannis genero, *Domicello Wilhelmo*, qui (ut in Registro feudali habetur), primogenitus Ducis Iuliacensis, Burggraviatum relevavit, futurus in ordine XIII, ad usum et nomine Elizabethae Nassaviae, legitimae coniugis suae, I Iunii. Erat scilicet *Elizabetha* parentum suorum filia et heres primogenita, quam oportet citius mortuam credere, et quidem sine liberis, herede relicto marito suo; cum in eodem Registro feudali inveniatur idem Wilhelmus, anno M.CCCC.LVIII, ipsum Burggraviatum iterum relevasse ad usum suum proprium. Non tamen diu ipsum sibi retinuit, sed, iuxta idem Registrum, donavit MARIAE NASSAVIAE, uxoris defunctae sorori (ut credo), nuptae IOANNI, Comiti Palatino Rheni, et Duci Bavariae : qui ideo inter Burggravios tenet locum XIV. Inveniuntur tamen ipsi Guilielmo ius suum retrocessisse XIV Martii M.CCCC.LXXII. Vixit autem Wilhelmus posthaec usque ad annum M.D.XI, iuxta Nicolaum Ritterhusium, in genealogiis Principum; et ex secunda uxore Sibylla, Alberti, Marchionis Brandeburgici, filia, Mariam genuit, heredem unicam omnium suarum ditionum. An etiam Burggraviatus? Nequaquam : hunc enim dicitur ipse GUILIELMUS adhuc vivens, reliquisse suo, ex Ioanne secundo genito nepoti, ENGELBERTO secundo. In epitome autem Bredanae Chronicae legitur, quod ENGELBERTUS, anno M.CCCC.LXXXIX, emit Baronatum Diestensem et Zeelhemensem, atque adeo etiam hereditarium Burggraviatum Antverpiensem. Hic est ille ENGELBERTUS de quo posthac saepius mentio honorifica fiet.

II. Quoad regimen ipsius Civitatis, ex Minori Papyraceo libro, fol. 75, habet Pensionarius Nys, a Senatu constitutos fuisse *Subscultetos* duos, ultra eum, quem Princeps constituerat, paris cum hoc auctoritatis futuros; sed brevi ambo abrogati sunt, decretumque, ut unus dumtaxat esset ex parte Principis

ordinatus ad denominationem Gubernatoris, Marcgravii et Senatus, ut liquet ex commissione ad hoc munus data cuidam Hieronymo Michielsens. Similiter ex Maiori Papyraceo, fol. 276, intelligendum dat idem qui supra, « communi Sculteti, Con-» sulum et Scabinorum consilio *(quod etiam Dux Carolus hoc* » *ipso anno probavit)* ordinatum esse, ut *Thesaurarii* (tunc » adhuc dicti *Magistri Redituum*, atque ex defunctis Scabinatu » sumi soliti) deinceps sumerentur duo ex Ambactis trium » accisiae cerevisiariae praefectorum, triumque accisiae vina-» riae curatorum. »

Anno autem M.CCCC.LXX, die XI Februarii, hoc etiam Dux confirmavit, simulque definivit modum, quo essent eligendi, cum antea eligerentur ex quatuor personis, per dictos Accisiarios propositis. Eorum autem officium erat ad unum dumtaxat annum, sed poterant continuari.

III. Chronica quaedam rhythmica in mutationem istam, quasi magno cum plebis plausu factam, ita sarcastice lusit :

DOEN WERDEN T' ANTWERPEN AMBACHTS-LIEN
RENT-MEESTERS, ACCYS-MEESTERS VAN WYN EN BIER;
DAT HEERSCHAP EN WASSER NIET MEER GESIEN;
D'OUDE SCHEPENS EN HADDEN NIET MEER HET BESTIER.

Ex opificibus sunt Antverpiae creati
Accisiarum redituumque Magistri;
Nec Domini amplius considerati,
Vel Exscabini rerum erant arbitri.

Hinc colligimus, aliquid aemulationis fuisse inter Magistratum ac plebem, ratione Quaesturae; cuius causa quidam *Petrus Wielant*, die XVI Augusti, cum exerto cultro ingressus consessum Dominorum, inspectantibus omnibus, percussit et laesit Quaestorem *Wilhelmum van Riethoven*, et confidenter Curia egressus est, ut legitur in Rotulo Petri Verulii; nec

quidquam ultra quaesitum scitur, quin potius videri possit quod Magistratus ista, quam diximus, indulgentia placandum et reconciliandum illum putaverit. Rem autem totam videtur Dux composuisse anno M.CCCC.LXXX, edita ampla declaratione, decernens, « ut essent accisiarum Magistri sex cerevisiariarum » et vinariarum, terni pro singulis; ex tribus autem opifices » duo, unus ex civilitate, » ut est in Maiori Papyraceo, fol. 276. Similibus rhythmis etiam docetur, inter Leonem et Lilium, Franciam et Belgium, conclusas hoc anno fuisse novem annorum inducias, sed has cito abrupit funesta mors Ducis nostri. Interim Antverpienses, x Maii (sicuti Edelherius ex II Volum. privil., fol. 218, scribit), « in Consilio Brabantiae obtinuerunt » sententiam, quod quisquis eorum civis factus fuerit, et » deinde crimen aliquod commiserit, pro eo nequeat vocari » in iudicium, nisi coram Senatu nostro; secundum quam » sententiam huc remissi aliqui sunt, qui ad magnum Con» silium Mechliniam citati fuerant. »

IV. Maioris momenti est, quod hoc anno (iuxta praefatum Pensionarium Nys) « finita sit die septima Iunii gravis cum » Bremensi Civitate controversia, » in praedicto libro Priv., fol. 224, relata, tamquam « nata ex eo, quod tempore liberarum » Nundinarum nostri captivaverant Bremenses aliquos cives. » Delata quidem ea res fuit ad arbitrium Monasteriensis in » Westphalia, Campensis in Transisalania, Silvaeducensis in » Brabantia, et Goudanae in Hollandia civitatum. Sed, discre» pantibus earum sententiis, devoluta est tota ad Amsteloda» mensem, quae declaravit utrimque liberum, ac mutuum » deinceps futurum commercium; Antverpienses autem Bre» mensibus darent summam quadringentorum florenorum » Rhenensium, in compensationem damnorum ipsis factorum » in Nundinis anni M.CCCC.XLVIII; Bremenses vicissim redderent » duo eorumdem Rhenensium millia in defalcationem bonorum

» ac mercium, unde mercatores et nautae ipsorum profecerant,
» per damna Antverpiensibus illata annis M.CCCC.LXXI et LXXII :
» atque ita cessarent utrimque arresta omnia. »

Ad nos etiam spectare putaverunt nonnihil Secretarii, quod immunitatem a telonio Mechlinienses obtinuerint, fidem eius privilegii faciente vulgari hoc disticho :

DOEN KREGEN DIE VAN MECHELEN, GELOOVET VRY,
VAN HERTOG KAREL VAN BOURGONIEN TOLVRY.

Tunc Mechlinienses, noli dubitare,
Impetrarunt a telonio liberari.

V. Minus nos spectat, nobis tamen memorabile est, ex Canonici Snyderi Chronica referendum, quod ibi narratur, S. GUMMARUM, oppidi Lyrani Patronum, hoc anno coepisse miraculis clarescere, scilicet post longum intervallum a primis, circa corporis elevationem patratis. Haec vero recentiora crediderim occasionem dedisse fabricandae argenteae arcae, in eamque sacri corporis ossa transferendi. Nisi opinari malimus, quod per eiusmodi translationem excitata populorum devotio, meruerit miraculis eam secutis comprobari.

Ut ut est, Caukerkius, ex Mss. Antiquitatibus Lyranis notat, in usu fuisse his annis, ut Lignarii, vulgo DE HOUTBREKERS, tam Antverpienses quam Gandenses (qui S. Gummarum patronum colunt propter miraculosam reparationem succisae ab eius familiaribus arboris) annuatim Lyram irent, ad capsam illius Sancti honorandam; quodque « Aediles Marianae ecclesiae
» consueverint (sicut iisdem Mss. narratur) cum nonnullis ex
» Clero, Sabbato post Dedicationem (ipsius, ut puto, ecclesiae
» Lyranae, solitam celebrari Dominica post festum Ven.
» Sacramenti) illuc deferre lipsanothecam quamdam cum
» Domini nostri Praeputio, capillis B. Mariae, et aliis quibus-
» dam reliquiis. » Additur autem, quod « ipsis ad portam

» Antverpiensem accedentibus obviam procedebant Canonici » Lyrani, deducebantque ad diversorium, Antverpiense nuncu- » patum, situm supra primarium pontem, a sublimitate dictum » DE HOOGBRUGGE, sub insigni Molulae, inter domum cuiusdam » Melchioris a Corbemde, et aliam praefixo cygno notabilem. » Ipsum vero diversorium obligabatur, titulo census annui, eum » in finem habere duos lectos convenienter stratos et mensam » cibis instructam. Sequenti porro Dominica deferebatur lipsa- » notheca praedicta in ecclesiam S. Gummari, unde ipsam, post » celebratum officium, iidem Canonici ad praefatum hospitium » deferebant; ibique hilariter ipsi simul et Antverpienses adve- » nae epulabantur; sequenti denique die Lunae, eadem, qua ven- » tum erat pompa, redibatur Antverpiam. » His relatis subiicit Caukerkius, quod, « dissipatis per Iconoclastas sequenti seculo » sacris istis pignoribus, et cessante annua illa observantia, » cessavit etiam domui isti imposita obligatio; et in vacuam » lipsanothecam repositae fuerunt Reliquiae *S. Burdegardis;* » itaque adhuc eadem theca servatur in capella S. Ursulae, » huius sociarumque Virginum ac martyrum ossibus complu- » ribus instructa, iuxta maiorem chorum Basilicae Marianae. » Sic ille. Ego S. Burdigardim hactenus nullam novi, nec ullus specialis ei cultus in ecclesia praedicta defertur. Interim vix dubito quin inter Ursulanarum reliquias, post reductionem Civitatis Colonia allatas, spectabiliores fuerint, quae tale nomen praeferebant, quamvis illud non inveniam in indice Martyrum Crombachii, grande de S. Ursula eiusque comitatu volumen compilantis; sed *Berengardes* duas, matrem Comitissam, et filiam Virginem, ex revelationibus praetensis eruderatas, de quibus quid sentiam non est huius loci declarare. Interim vide paralipomena mea ad Conatum circa Catalogos Pontificum, pag. 38.

Porro, occasione S. Gummari, ex praefato Chronico Lyrano

discimus, quod fossae Castri Antverpiensis fuerint hoc anno reparatae : dicuntur enim Lyrani pro sua parte fodienda curasse decempedas quadraginta, solutis in singulas Nobilibus quatuor, ad aestimationem quatuor stuferorum. Quod idem intelligi potest de ceteris oppidis ac municipiis, ad opus castrense (ut supra notatum est) obligatis.

Hoc etiam anno emisse Civitas invenitur partem aliam eius loci, qui, trans Scaldim, a traiectu appellatur HET VEER, cuius iam ante partem aliam emptam notavimus.

VI. Denique, « cum Turnhouti captivus quidam, Iacobus » van Doorne, iudicatus esset reus capitis et bonorum, isque » appellasset ad Senatum Antverpiensem, cuius subalternus » Turnhoutanus sit, Scultetus loci sustinuit appellationem » nullam esse, elapso eius, alias valiturae, termino, intra » quem reus ipsam coram Consilio, velut competente iudice, » debuerat evocaturus fuisse; et per litteras anticipatorias datae, » Bruxellis obtentas captivum illuc traxit. Procurator vero » Antverpiensium eidem se opposuit, et apud Consilium » evicit, ut dictus captivus adduceretur Antverpiam, ubi, » velut apud ordinarium iudicem, causa discuteretur. » Ita refert vol. II Priv. fol. 191.

A. C. M.CCCC.LXXVI.

—

COMMISSARII AD RENOVATIONEM. — D. Praeses Brabantiae. — D. van Waelheym. — D. Henricus van Veersele. — M. Paulus Pulle, *Secretarius.*

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — Petrus vande Werve. — VI. Henr. vande Werve.

Duorum eiusdem cognominis Consulum concursus, qui admirationem et quaestionem movit anno M.CCCC.XXII, signato *Consulibus Nicolao et Ioanne,* utroque *vande Werve,* nunc etiam apparet mirabilior, quod simile nihil in alia ulla familia accidisse vel semel inveniatur. Alias satis apparet, ex pluribus eiusmodi Scabinatibus, quod adeo propinqua consanguinitas, quanta est patris et filii fratrumque aut cognatorum germanorum, hoc XV seculo non excluserit alterum a Magistratura, uti nunc eos excludit.

SCABINI. — D. Hector van Lyere. — D. Ioan. van Immerseel. — D. Ioannes van Bloys. — Ioan. van Mechelen. — Ioan. Schoyte. — Walravus Draecke. — Ioannes van Ranst. — Wilh. van Sompeke. — Nicolaus vander Voort. — Godefr. van Dielft. — Mag. Wilh. Pauwels.

ARGUMENTUM.

I-III. Obitus Abbatis Ioannis Fierkens, multa praeclara moliti. IV-XI. Ducis Caroli clades, in eaque amissa monilia, a Fuggeris redempta, descripta et vendita. XII-XIV. Respublica Gandavi, Lyrae, Bruxellis et Antverpiae turbata, unde mali temporis initium in Chronicis. XV. Emptum de Falcontinis pratum pro via ducenda ad portam Cisternensem. XVI. Exoleta quarumdam viarum nomina. Partitio Civitatis in vicos XII.

ACTA.

I. PRIMO huius anni mense, die XIX, obiit Abbas IOANNES FIERKENS, cuius epitaphium, multis cum eius laudibus, hic accipe :

Hic iacet in tumulo FIERKENS, *virtute* IOANNES,
Insignis Praesul : hoc proba vita docet.
Abbas erat huius templi venerandus, et urbe
Hac genitus, prudens, optimus atque pius.

Moribus emeruit, nullo reprobante, regendi
Officium; Praesul contulit alter ei.
O bene consultum! Turbae secretus egenti
Dona dabat dextra, nescia laeva tamen.
Profecit quantum Pastor vigilando benigne
In grege dilecto, plurima signa monent.
Namque locum struxit pulchrum ad convivia Fratrum,
Desuper et fulta est Bibliotheca libris;
Praesulis atque domos aula exornavit; ubique
Perdita restituens : adiiciensque nova,
Atque crucem mediam templi, partemque chorumque
Perfecit, Beerschot egregiamque domum :
Auctaque iura suis, Mitras habitusque reliquit.
Annis bis denis praefuit atque tribus.
Nunc iacet, exemplum reliquis Pastoribus; altum
Mens petiit coelum, perfruiturque Deo.

II. Choro, quem perfecisse hic Abbas dicitur, non potuit nisi fornix defuisse. Crux media cum reliqua parte templi, seu alveo eius anteriori versus Occasum (qua ingressus veteris ecclesiae fuerat, et novae etiam esse debebat, fuitque quamdiu ripa ad scaldim patuit, Civitate istic nullis dum muris aut moenibus clausa); Crux, inquam, et partes anteriores aliae necdum stabant, quando picta fuit tabula, unde sumptus est Civitatis ad Scaldim conspectus. Cum anteriori autem templo et Cruce consurgere pariter potuerunt reliqua tria latera novi claustri, DEN PANT, a Petro Abbate iuxta ecclesiam inchoati. Neque de refectorio, quod nunc est, eidemque claustro adhaeret versus Meridiem, dubitare possum, quin, mox ut fabricatum est, coeperit usui Religiosis esse; licet iidem dicantur, patrum nostrorum memoria, usi minori alio Refectorio, ad vetus ex parte septentrionali claustrum. Nec enim credibile fit, tantam molem, quae totam novi monasterii

fabricam absolvit, et dormitorium abbatiali aulae iungit, unice aedificatam a *Ioanne* fuisse excipiendis hospitio Brabantiae Ducibus; esto quod ea usi sint Carolus V et Philippus II, eius filius, Religiosis tantisper loco cedentibus, seque ad vetus Refectorium claustrumque recipientibus.

III. Credo igitur, illos, licet post Civitatis reductionem liberius agere coepissent, tamen, cum domi essent numero pauciores, pluribus per pastoratus absentibus, quam ut egerent tam amplo Refectorio; annis adhuc aliquammultis veteri claustro et Refectorio uti perrexisse, donec, ipsis ad frequentiam pristinam regressis, venit cupido amplum istud, quod Ioannes aedificaverat, Refectorium repetendi. Et vero cur ipsi, post totum Conventum ad Meridiem translatum, tantopere egentes contiguo ipsi Refectorio, locum, huic necessitati tam opportunum, tamque magnificum alteri usui servavissent; ipsi, quorum posteri, in scripto anni M.DC.XXXV tam operose demonstrarunt, nulla se obligatione teneri ad Principes hospitio excipiendos; quippe ad sui Monasterii et Abbatiae fabricam a nullo eorum sic adiuti, ut fundatoris titulum meritus sit.

Desuper Refectorio Bibliothecam a *Ioanne* instructam epitaphium laudat; sed, libris per haereticos dissipatis, numquam illa eidem loco restituta fuit; aptiorque inventus postea est alius, rursum mutandus, si meditata perficere licuisset ultimum defuncto Abbati, omnia magnificentius restauranti; prout etiam fecit in domo Beerschot, cuius, a IOANNE, de quo agimus, exstructae, idem epitaphium meminit; quamque, ut modo est, repraesentavi cum sciographica Abbatiae tabula. Distat ea a porta Croneburgica grandi media leuca, estque Religiosorum recreationi et Abbatum secessui omnino aptissima. Atque haec simul omnia hic retulisse sufficiat, eo quod pleraque a IOANNE FIERKENS fuerint inchoata, neque de singulis reddi certior ratio possit. IOANNI defuncto successit ANDREAS ACHTENRIJT,

cui, per regiminis brevitatem, non licuit decessoris sui coeptis multum addere, quod in post referendo epitaphio memorabile fuerit.

IV. « Dux carolus, Gransonio in finibus Helvetiorum expugnato, cum in dedititios contra pacta et morem suum saevisset, indeque irritatis Helvetiis, obviam eis ad montium fauces processisset, fratres eius nothi, hostem elicere in campum fuga simulata tentantes, in veram fugam totum suorum exercitum, consilii ignarum, pertraxerunt; quo factum est, ut Helvetii impedimentis et tormentis omnique gaza Ducis potirentur, praeda tricies centenis aureorum millibus aestimata. » Ita Secretarius Loyens. Chronica Brabantiae ait in Quadragesima commissam fuisse pugnam, et ii Aprilis factum notant alii, quod fuit feria iii post Dominicam Passionis, Paschate tum cadente in xiv eiusdem mensis, sub cursu litterae Dominicalis F. Marcus Varnevicius, in sua Flandrice scripta historia, pag. 128, inter alia damna numerat een hecksel Ioannis Intrepidi, Burgundiae Ducis, qui Caroli avus fuit, totius Flandriae Brabantiaeque pretio comparabile, propter gemmarum unionumque auro intextorum valorem praegrandem : quod ipse proprio nomine ait dictum hochetoij. Kilianus hecksel interpretatur *Fibulam, spintherem, armillam, monile, bullam*, et Flandricam esse vocem affirmat; quare non absurde divinaveris integre scribi posse hechtsel, quod esset verbale sumptum a verbo hechten *affigere;* quia talia omnia vesti vel corpori affiguntur : proprium autem nomen hochetoij ausim hogen toij exponere, id est, *sublimem ornatum*, a verbo toijen, *ornare;* et forte fuerit capitis ornamentum, quod cum Curtio possis *Cidarim* voce Persica appellare, vel *Tiaram;* sed ita sumpta vox quadraret Ducali pileo, etiam pretiosissimo, tunc pariter amisso, ut mox apparebit.

Huius pilei forma aere expressa invenitur in t. i Bibliothecae

Caesareae, pag. 840; hic autem in paulo minorem formam exsculpendum curavi, eademque occasione indidem acceptum rubinum incomparabilem addidi, et ne charta vacaret, unionem inter gazas Regis Hispaniarum asservatum, quem Philippus II, mortua coniuge Catharina, Angliae Regina, secum retulit in Hispaniam; et Philippus IV, solum pileo affixum gestans, cum paruit in nuptiis filiae suae Mariae Theresiae, iactabatur maius pretium circumferre, quam valebat totus ornatus nobilitatis Franciae Regem suum comitantis.

V. Petrus Lambecius Hamburgensis, eruditissimi Lucae Helstenii, Custodis Bibliothecae Vaticanae, ex sorore nepos, S. Caes. M. Consiliarius, Historiographus et Bibliothecarius, Commentariorum de Bibliotheca Caesarea lib. II, cap. VI, fol. 511, laudat « ingentia duo volumina in folio regali, admiranda » prorsus et vere imperatoria, cum propter incredibilem scri» pturae elegantiam, tum ob insignium gentilitiorum aliarum» que variarum antiquitatum innumeras fere imagines; quibus » continetur historia Habsburgensis et Austriaca, a perillustri » et generosissimo Domino Dn. Ioanne Iacobo Fuggero, Domino » de Kirchperg, Weissenhorn et Pfirdt, atque Imperatorum » Caroli V et Ferdinandi I Consiliario, anno Christi M.D.LV, » summa diligentia et fide collecta. » Unde ipsius *Ducis Caroli* ad vivum expressam effigiem profert ad pag. 839, postquam, pag. 512 et sequentibus, transcripsisset praedictorum cimeliorum, pugna Granzeensi amissorum, historiam, germanice simul et latine legendam dedit. Ego fragmentum latine recudere aequum censeo, tum ad distinctiorem opulentiae Fuggerorum, hic Antverpiae etiam celebrium, notitiam, tum ad clariorem supradictorum intellectum. Nobilis ille scriptor apud Lambecium septimum suum librum, sex prioribus simul sumptis aequalem, sic orditur :

VI. « Superiori libro VI perscripsimus, quomodo CAROLUS,

» Dux Burgundiae, cum, anno M.CCCC.LXXV, Novesium obsidione
» liberatum esset, principio sequentis anni LXXVI, auxilio suo-
» rum foederatorum, Lotharingiam invaserit, expulsoque inde
» Duce Reinhardo, totam subiugaverit. Hoc facto, duxit idem
» Dux Carolus exercitum suum, qui quinquaginta millibus
» militum constare credebatur, contra oppidum Gransee :
» cumque ibi castra metatus esset, superarunt eum Helvetii
» praelio; dissipatoque ipsius exercitu, omnia tormenta bellica,
» cum omnibus thesauris et supellectile, plus quam decies
» centenis florenorum millibus aestimatis, in potestatem suam
» redigerunt. Tentoria igitur eius argentea, quae Helvetii falso
» crediderant esse stannea, ut et reliqua pretiosa tentoria
» serica, aliaque omnis Ducalis supellex eorum evasit praeda ;
» in cuius divisione etiam fuit magnus ille et crassus adamas
» acuminatus, per totum orbem christianum tunc temporis
» celeberrimus; qui una cum tribus magnis balasiis (species
» rubini est), propter aequalitatem magnitudinis, crassitiei et
» ponderis, appellatione trium Fratrum insignitis, nec non cum
» quatuor rarissimae magnitudinis margaritis orientalibus,
» more antiquo ordineque eleganti et artificioso, in formam
» monilis fuit redactus; et quidem ita, ut iam memorati
» tres balasii, sine ullis bracteis aliove ullo ascito ornamento,
» subtilibus tantum nonnullis commissuris aureis connexi
» essent, quo magis pretiosissimi istius cimelii nativa puraque
» crassities et magnitudo ab omni parte esset conspicua.

VII. » Cum ergo rarissimum hoc et nobilissimum cimelium,
» cuius gestatu laudabilis Burgundiae Dux Carolus suam saepe
» ostentaverat magnificentiam, haud facile praesenti pecunia
» vendi posset, emendum illud non multos post annos oblatum
» fuit D. Iacobo Fuggero, caro meo patruo magno, sive
» avi mei Georgii fratri, honoribus et divitiis ea tempestate
» ubicumque terrarum clarissimo; qui, licet hoc cimelium,

» tam respectu puritatis, magnitudinis et splendoris ipsarum » gemmarum, quam quod laudabilis Dux Burgundiae Carolus » illud olim possedisset, adeo esset eximium, non pluris tamen » quam quadraginta septem millibus florenorum, de Helvetiis » emit, una cum quodam rubino et pileo cristato; retinuitque » ea omnia aliquammultos annos, hac nimirum spe ut in » gloriosissimae Domus Austriae potestatem illa reverterentur; » quamvis etiam, ante triginta circiter annos, cum pretiosissi- » mae coronae Imperatoris Turcarum Solimanni ornandae » causa, per totum terrarum orbem a multis praepotentibus » Dominis maximae quaeque et pretiosissimae gemmae sum- » ma diligentia investigarentur, patruus meus, D. Antonius » Fuggerus, cimelium illud grandi pecuniae summa, utpote » vehementer rogatus, cum magno emolumento et lucro po- » tuisset vendere, noluit tamen is tunc temporis illud alienare; » sed hac fine retinuit, ut possessio eius maneret penes Chri- » stianos, et aliquando ad Principes Austriacos rediret.

VIII. » Cum igitur hoc cimelium apud nos Fuggeros, per » quadraginta circiter annos, nempe usque ad me Ioannem » Iacobum Fuggerum, historici huius de gloria Austriaca » operis auctorem, esset adservatum, nec tantum maiores » mei et cognati, sed tandem egomet quoque Imperatoribus » et Regibus Romanorum, Carolo V et Ferdinando I, saepius » aequissimo pretio illud venale obtulissem, propter gravis- » sima tamen bella negotium hoc non potuisset confici, sed » omnis spes pulcherrimi istius nobilissimique cimelii per » nos in Domum Austriacam transferendi prorsus decol- » lasset; venditum illud denique cum bono lucro a nobis est » Serenissimo Potentissimoque Regi Angliae, Henrico VIII; » et licet Regia eius Serenitas paucis ante solutionis terminum » diebus obierit, summa tamen pretii conventi, secundum » syngrapham, sine ulla mora nobis persoluta est. Evenit

» etiam postea, singulari quadam Numinis benignitate, ut » saepe memoratum nobilissimum cimelium, quod per sex » circiter et septuaginta annos in Helvetiorum Bernensium » et Fuggerianae gentis manibus fuerat, per regium matrimo- » nium, quod inter Philippum, Principem Hispaniae, potentis- » simi Imperatoris Caroli V filium, et Mariam, supra memorati » Regis Henrici VIII filiam atque heredem regnorum Angliae, » contractum est, in potestatem quarti ex Austriaca Domo » Ducis Burgundiae feliciter redierit.

IX. » Ceterum quandoquidem multi multa fabulosa et » falsa de eodem pretiosissimo cimelio litteris prodiderunt, » nempe quomodo illud saepius perditum, saepiusque iterum » inventum et nonnumquam pro derelicto habitum, exigua » pecunia venditum sit, et per varias manus transierit; eam » ob rem, ego, qui cimelium istud ipse habui, Regique Angliae » vendidi, ideoque maiorem eius verioremque, quam ullus » alius, notitiam habeo, veram et genuinam magnitudinis » et formae eius imaginem hic inseram, ut ea filiis meis » heredibusque et successoribus pro certissimo rerum supra » narratarum sit testimonio.

X. » Perdidit etiam idem Dux Burgundiae CAROLUS pileum, » non minus elegantem quam magnificum, cuius hic mihi » lubet aliquanto accuratiorem subiungere notitiam. Confe- » ctus erat ex flavo holoserico, et quidem ea forma qua » conficiuntur nunc pilei Italici; nempe ita, ut non solum » haberet umbellam sive marginem rotundum, et ad arcen- » dum solem mediocriter largum, verum etiam rotundum » simul et exaltatum apicem. Summo huius pilei Ducalis » cacumini, in medio superimpositus erat oblongus et acu- » minatus balasius, aureae cuidam palae sive loculamento » insertus. De cetero, totus pileus erat pretiosissimis margaritis » exornatus. Loco autem spirae vel taeniae supra umbellam,

» erat corolla aurea, cui saphiri et balasii aequalis magni-
» tudinis alternatim inserti, tribusque magnis margaritis
» orientalibus a se invicem distincti erant; accedentibus
» insuper binis margaritis, quae radiatis corollae extremi-
» tatibus superne et inferne erant infixae. In anteriori parte
» pilei erat artificiosissimus tubulus aureus, adamantibus,
» margaritis et balasiis ornatus; cui insertae erant duae
» cristae sive pennulae, quarum una rubra , altera alba
» erat : utraque autem margaritis et auro, pro dignitate
» Ducali, magnifice splendebat. Quamvis igitur ea, quae de
» iam memorati pretiosissimi et Regiae coronae haud in-
» iuria aequiparandi pilei Ducalis forma et ornatu, tamquam
» oculati testes, narravimus, verissima sint, ut tamen heredes
» nostri suis quoque oculis qualitercumque possint cernere,
» quantis divitiis Carolus, Dux Burgundiae, fuerit praeditus,
» integri illius pilei cristati hic inseremus imaginem; cura-
» vimus enim ipsum illum pileum dissolvi, gemmasque inde
» ademptas et in diversa cimelia et annulos transpositas,
» cum duabus eodem pertinentibus cristis, Serenissimo Prin-
» cipi Maximiliano I Imperatori. . . . . millibus florenorum
» vendidimus, eaque ratione etiam haec pretiosa cimelia in
» Burgundiae Domus potestatem reversa sunt. »

XI. Hactenus ex germanico ipsius Fuggeri contextu Lambecius, libro et capite praecitatis : ubi etiam describuntur et aeri insculptae exhibentur argenteae veteres et inauratae paterae parvae duae, a Ducali clementia ad comedendas, quas vocant, confecturas saepissime usurpatae; et supra memoratus rubinus in iconismo adiunctus pileo, pretiosissimus maximaeque aestimationis habitus etiam ipse, licet adulterinus. Si Fuggerus, historiae scriptor, curavisset iconismo suo addere scalam pollicum, in minus spatium contractorum, ego, qui eumdem iconismum ad minus etiam spatium contrahi feci, possem

docere cuius magnitudinis singulae gemmae et margaritae fuerint; nunc ex proportione circumferentiae, ad caput humanum non minimum complectendum requisitae, coniecturam faciat lector, mecumque optet, ut utraque Fuggeriani operis volumina Latino-Germanice typis excusa, cum suis omnibus iconibus aliquando in lucem prodeant, magnifica Caesaris munificentia obstetricante. Ne autem vacaret, in hac lamina, alter supra pileum angulus, feci e regione istius rubini sculpi unionem istum, toto orbe hactenus unicum, cui geminum alterum, ab aure sua abstractum, dicitur Cleopatra liquatum aceto propinasse Antonio, regni unius integri pretio aestimatum; idem factura huic, nisi ille raptum de manibus eius conservari maluisset. Ut ut est, unione illo, hactenus parem non habere credito, utitur Rex Hispaniarum, affixum galero suo portans, quando vult quam pretiosissime cultus prodire; eoque solo satis ornatum se putavit Philippus IV, anno M.DC.LX, quando, die VI Iunii, post pacem superiori anno in Pyrenaeis conclusam cum Francis, eorum Regi Ludovico XIV filiam suam Mariam Theresiam in manus tradidit; dicebaturque omnem Francicae Aulae magnificentiam superasse. Qui unioni isti supereminet adamas, utcumque magnus et crassus sit, minoris tamen illo fit, quia maiorem possidere in suo thesauro dicitur magnus Hetruriae Dux. Fallor autem, si iste prior non est adamas, quem Caukerkius ait de Philippo II, Mariam, Angliae Reginam, uxorem ducturo, emptum Antverpiae anno M.D.LIV, per quemdam Carolum Affettati, octoginta millibus coronatorum, pendentem siliquas (CARATTAS *vulgo dicunt)* quadraginta septem cum dimidia.

XII. Redeo ad CAROLUM Ducem, post tantam cladem nihil quidem fractum animo, sed minus iam formidabilem populis, ad seditiones pronis. Dum enim tam infeliciter occupabatur circa Lotharingiam (ut narrat Rotulus mali temporis, paulo

ante scribi coeptus, et usque ad annum M.DC.II perductus) « coepit plebs pluribus locis tumultuari; et, die IV Martii, » noctu, de lecto in carcerem Gandavi tractus fuit Cancellarius » Burgundiae; ac, de mandato Magistratus, septem cives, die » VIII, coniecti in vincula sunt; quorum sex, die XII, capite plexi, » septimus perpetuo carceri addictus, sed paulo post dimissus » est. Eodem mense Bruxellenses Latomi concitaverunt popu- » lum contra Senatum, ex quo capti fuerunt Dominus *Ioannes* » *van Castergaten* et *D. Amelryk*, *Equites*; quos male mulctatos » plebs e vestigio occidisset, nisi medium interposuisset sese » Dominus de Peruweis; impedire tamen nemo potuit, quin » postremus die XI Martii decapitaretur, populo sic volente. »

XIII. Eiusdem mensis die X, in Dominica II Quadragesimae (oscitabundus librarius XV pro X scripserat) « Antverpienses » similiter tumultuantes, in forum concurrerunt, Merciaria et » nautica turba suscitante; ac proxima nocte Senatores, partim » in Curia, partim domi quosque suae comprehenderunt; » videlicet Domicellum Ioannem van Ranst, Ioannem van » Mechelen, Ioannem vande Werve, Consulem, Walravum » Draeck, Ioannem Schoyte, ter Consulem, Wilhelmum van » Riethoven, Quaestorem, Mag. Petrum vander Voort et » Nicolaum vander Voort, fratres, Thesaurarios : qui omnes » deducti sunt in rameras Merciariorum et Nautarum. Seditiosi » autem, per suorum quique Collegiorum cameras divisi, et » istic ad quinque vel sex hebdomadas pergraecantes, absque » accisia compotabant. Communitate autem quotidie in armis » permanente, nemini licebat operari, dum interim captivi ab » invicem seiuncti in eisdem cameris custodiebantur. Eodem » etiam mense coepit Communitas examinare rationes Domi- » norum Riethoven et fratrum vander Voort.

XIV. » Similiter et Silvaeducensis plebs, captis nonnullis » de Magistratu, suum Subsculletum voluerunt capite plecti.

» Die autem xxvii Martii, Antverpiam venit Dynasta de Peruweis, compositurus animos. Sed noluerunt eum seditiosi » audire. Lyrani quoque, eodem mense, ex suo Magistratu » comprehenderunt Iacobum Verborcht, Scultetum, cum aliis » septem, et custodiae manciparunt. Die iv Aprilis, Antverpia » rediit Dominus de Peruweis, cum suis equitibus versus » Brabantiae fines destinatus; decretumque fuit, armata » manu occupare Westerloam, castrum bene munitum ad » Netham, tribus supra Lyram leucis: ad quam expeditionem » profecti Antverpienses sub Capitaneo suo, van Immerseel, » ipsum castrum in suam potestatem redegerunt. Eodemque » tempore in die coenae Domini, tunc xi Aprilis, Gandavi » capite plexi sunt D. Ioannes van Emmercourt, D. Guil. » Hugonet, Cancellarius Burgundiae, et Ioannes van Melle. » Quid captivis Antverpiensibus factum sit, nemo explicat. Thesaurarios duos sub custodia mansisse, dum eorum rationes excuterentur, satis apparet ex Actis sequentis anni.

XV. Sub huius anni nota scribit Caukerkius, emisse Civitatem, die xxviii Martii, a sanctimonialibus Falcontinis, pretio xxxii stuferorum grossorum annui census, tantum loci, quantum opus erat ducendae viae, pedes xxxi latae, a Caeruleis Fratribus ad portam Pisternae. Hanc portam cum veteres tabulae, et antiqua portarum turriumque Civitatem circumeuntium descriptio apud Caukerkium, eo loci notent, ubi nunc est HET SEGELHUYS, id est *Sigillatoria* cerevisiarum foras mittendarum *Domus*, in capite pontis dicti DE PISTERNE WAETERMEULENBRUG, a molendino istic tunc constituto; necesse est, ut concipiamus viam istam ductam secundum fundos monasterii. Oportet etiam, ut Caerulei isti Fratres, a quibus via illa ad portam Pisternae erat ducenda, iam tunc habitaverint in capite viae a mulierum garrulitate appellatae DE CLAPPEYSTRAETE, eoque translati sint a porta Vaccina, ubi eos primum fundatos vidimus supra.

XVI. Ex similibus praefati monasterii chartis eruit Caukerkius quaedam nomina viarum, nunc aliter quam tunc appellatarum. Invenit enim habuisse Sorores obligatam sibi sub annuo censu domum IN DE EVENSCALKSTRATE, quae nunc sit DE BRAEYRY-STRATE; item aliam IN DE BOLINCKSTRATE, iuxta crucem albam, quae nunc D'OUDE BORSE dicitur : nam in hanc cadit alia nunc quoque dicta DE HOFSTRAET, cuius angulum domus praefata obtinebat.

XVII. Porro descriptio vicorum Civitatis quam ex libro Legis (ut appellant), HET WETBOEK, transcriptam accepi, quaeque ibidem ponitur post anni huius praenominatum Magistratum, haud inepte hoc loco collocabitur, sic latine reddita :

« Intra Civitatis ambitum ab olim fuerunt vici duodecim, » quorum primus congregabatur in Capella Petri Potzii; II. » apud Bogardos; III. in domo S. Ioannis; IV. in ecclesia » Burgi; V. apud Praedicatores; VI. apud Caeruleos Fratres; » VII. in atrio S. Michaelis; VIII. apud Albas Sorores; IX. apud » Tertiarias; X. in S. Iacobi; XI. in S. Clarae monasterio; » XII. apud Observantes. » Ipse etiam ambitus Civitatis, inter iam dictos duodecim vicos, hac ratione divisus est :

» I. A Porta DEN VERLOREN KOST, *sumptus perditi*, usque ad S. Georgii.

» II. A Porta Georgiana ad Kipdorpiam.

» III. A Kipdorpia porta ad Rubram.

» IV. A Rubra porta ad Lutosam, DE SLYKPOORT.

» V. A Lutosa usque ad Novam Turrim : eam, credo, cui porta addita a Saxeo Geranio appellatur.

» VI. A Nova Turri ad Navale Carbonarium, KOOLVLIET.

» VII. A Carbonaria ad Burchtum.

» VIII. A Burchto ad turrim Piscatorum.

» IX. A Piscatoria ad turrim Assisiarum, nunc a Pistoribus, qui eam restaurarunt, dictam DEN BACKERSTOREN.

» x. A turri Assisiarum ad Navale S. Ioannis.

» xi. A Navali S. Ioannis ad Monasterium S. Michaelis.

» xii. A Monasterio ad *Sumptum perditum*, ubi, resumpto » primitivo nomine, mox videbis dici *Croneburgum*.

» Belli autem tempore, necesse erit muros Civitatis a » Civibus insideri et defendi; in foro manebit Consul extra- » neus, qui Scabinus non est, eique assistent Quaestores, » non Equites, qui Scabini non sunt, tum etiam Deputati » a Magistratu ex Portaria, et ex plebe Deputati a suis Decanis, » nec non omnes Virgae-brevioris Apparitores. »

XVIII. Hinc iam certo liquet, imprimis, Croneburgiam vel portam vel turrim, cum reparata esset, appellatam fuisse *Sumptum perditum;* et secundum Consulem Scabinis accensum ut plurimum fuisse, ut qui iudiciis civilibus praesidebat, inter iudices quoque suffragium haberet suum. Liquet deinde, quae pars murorum cuique vico custodienda erat, quando ad moenia tuenda convenire oportebat. In eadem etiam memoria notantur *Hospitalia* seu *Domus Dei* (GODSHUYZEN) sub mondiburdio, id est tutela Civitatis constitutae, quae deinceps sex tantum, hic vero septem nominantur : « i. S. Elisabethae, » ii. S. Iuliani, iii. S. Annae, iv. Caeruleorum Fratrum, v. Infir- » mariae, vi. Incurabilium, DE ZIEKELIEDEN, vii. Begginagii. Quorum omnium curam sic gerit Magistratus, ut per deputatos illuc quotannis Scabinos recognoscantur expensi acceptique rationes, et quidquid ad singulorum profectum defectumve attinet.

A. C. M.CCCC.LXXVII.

—

CONFUSIO MUTATI BIS MAGISTRATUS.

Fasti Mss. ut rem valde singularem hic notant, quod uno hoc anno fuerit bis mutatus Magistratus. Rem explicare conatur Exconsul della Faille, in sua Consulum Antverpiensium serie, quasi tergeminum Consulatum sub unius anni numero sic proponens :

M.CCCC.LXXVII. Henr. vander Moelen. — Nicolaus de Schermere.
M.CCCC.LXXVII. Ioan. van Halmale. — Ioannes Pels.
M.CCCC.LXXVII. Henr· vander Moelen. — Nic. de Schermere.

Sic ergo rem concipio, ut primi duo fuerint more consueto ordinati festo S. Andreae praecedente, et Consularem annum inchoante. His, mense Aprilis exauctoratis, successerint ex plebis designatione duo alii; compositis autem turbis, priores iterum fuerint in gradum suum restituti, in eo permansuri usque ad legitimam renovationem in festo S. Andreae. Sint igitur, pro prima renovatione, ii, quos Mss. Fasti designant, missi ab Aula :

Commissarii. — D. de Nassau. — D. Cancellarius. — D. Anton. Nothus Brabantiae.

Consules xxx novembris. — Henricus vander Moelen. — Mag. Nicolaus de Schermere II.

Scabini. — Nicolaus Boel. — Dominus Ioannes van Halmale.

— Dominus Ioannes van Bloys. — Wilhel. van Sompeke. — Waltherus Gys, d. vander Vorst. — Mag. Nicolaus de Schermere. — Ioannes Pels. — Iacobus Maniaert. — Iac. Coele. — Ioannes de Beuckeleer. — Ioannes vander Biest. — Ioannes Wouters.

SORTITIO HOSPITALIUM INTER SCABINOS.

Post sic descriptum huius anni Magistratum, invenio ex praecitata in libro Legis memoria Vicorum, iam supra definitorum, Hospitaliumque sortitionem inter Scabinos postridie renovationis factam, hoc modo :

« D. Ioanni van Bloys obtigit Infirmaria, cum muris a » Croneburgia usque ad portam Georgianam.

» Mag. Nicolao de Schermere, Caerulei Fratres, et muri a » fossa Burchti usque ad turrim Piscatorum.

» Ioanni Pels, Incurabiles, et muri a porta Lutosa usque » ad Turrim Novam.

» Walthero Ghys, Begginagium, et muri a Navali S. Ioannis » usque ad Monasterium S. Michaelis. . . . .
. . *reliqua desiderantur.*

A. C. M.D.XXXIV.

—

. . . .

Ferum animal URSUS, *animal et ferum* DRACO,
Virtutis urbanae optimam
Prae se ferunt imaginem. DRACO *quidem,*
Ut perspicaci est lumine,

Sic perspicacis et videntis longius
Est symbolum expressum viri.
Porro URSUS, *ut subinde rodit avidius*
Cum plurimo ungues murmure,
Linguaque lambens, fingit informem et rudem
Foetum, horridam carunculam;
Sic homo catus, rerumque multarum sciens,
Cuncta et facit maturius,
Et quos sibi concreditos habet, optimis
Eosdem adornat moribus.
Res mira! ut optimis quadrant rationibus
Persaepe rebus nomina!
Noster Senatus iste praeclarissimus
Duos habet primarios
Viros, Senatores Magistrosque populi
Reique publicae Duces.
Est nomen alteri fero ex urso URSULUS,
Atque alteri nomen DRACO.
DRACO *quidem absque ullo veneno; ac* URSULUS
Feritate nulla turbidus.
Duobus his nil sanctius, prudentius,
Populoque amanti optatius.
Quid ergo convenientius celebri huic
Urbi hoc DRACONE? *hoc* URSULO?
Salve, URSULE, *o salve* DRACO, *nostrae o decus*
Urbis, et honos et gloria.
Salvete, vos quoque sexdecim viri, sacer
Senatus, aethereum genus.
Faxit Deus, ter optimus, ter maximus,
Ut splendida haec Respublica,
Vestro sub hoc gubernio, perenniter
Magis magisque floreat.

Simul ergo illi Magistratum iniverant, sed non simul tenuerunt duo; verum, mortuo seniori suffectus est iunior, *Cornelius de Spangen*, Eques : et hic, licet nobilior Ursulo, non tamen debuit eum loco priori, quem tenebat, detrudere, sed exspectare, donec iterum cum eodem concurrens (ut factum anno posthac quarto), nobilitatis suae praerogativa frui absque alterius iniuria posset, quamvis alias quoque viderimus et visuri simus, Equitibus praelatos eos, qui vel omnino non, vel nondum tales erant.

Quod attinet illorum encomiasten *Graphea* (sic enim ipse se Graece dici maluit *Γραφεὺς*, quam latine *Scribam*, cum patria lingua SCHRIJVER vocaretur), usus invaluit, ut *Graphéus* pronuntietur scribaturque ratione accentus in penultima casuum obliquorum acuatus, *Γραφέος*, *έι*, *έα* : quod Bibliothecae Belgicae Collector, Valerius Andreas probavit, pag. 150, ubi librorum ac libellorum, ab illo editorum, amplum sane catalogum texit, docetque, patria Alostanum, Antverpiensi Civitate donatum fuisse, et hic anno M.D.LVIII obiisse; in eaque, quam ita exornavit, ecclesia sepultum, aetatis suae anno LXXVI, XIX Decembris. Ex elencho autem operum eius, et Exprobratione in Diocletianum pro Divo Pancratio, Lovanii pronuntiata atque excusa anno M.D.XV, apparet eum, annos XXXIII natum, coepisse scribendo inclarescere; sed maxime postquam migravit Antverpiam, ubi, anno M.D.XX, Caroli V reditum ex Hispaniis per Britanniam in Belgium celebravit oratione necdum mihi visa. Alia deinceps plurima praelo dedit Civitatis Secretarius; quo in munere et eloquentiae ac poeseos studio successorem imitatoremque habuit supra memoratum filium *Alexandrum*, a cuius stylo haberi geminam Civitatis nostrae descriptionem, sane elegantem, adiunctam duabus topographicis tabulis, inter alias aliarum urbium insertis Theatro Georgii Bruni, Coloniae sub annum M.D.LXXI edi duobus tomis coepto; geminam,

inquam, illam descriptionem ab Alexandro Gráphei stylo haberi, persuadet eiusdem carmen, cuius infra specimen dabimus, acturi de miserrima Civitatis, ab Hispanis anno M.D.LXXVI, direptae desolatione. Hic noto, ipsius nomen *Grapheeum* ibi cum duplici *e* scribi, et in secundo casu Gráphei, ut videatur accentum in penultima maluisse, versuique obsecutum patrem, cum in quarto casu *Gráphea* pro dactylo posuit.

III. Hoc nunc datum sit memoriae patris filiique, de patria optime meritorum scriptionibus suis, saepius posthac nominandis. Redeo ad anni, quem tractamus, Acta, ex Registris Rotulisque deducenda; ubi ante omnia notandum occurrit, quod, cum Anabaptistae, nuper exorti, Monasterium, Episcopalem Westphaliae civitatem, occupassent, expulsis ab ea Catholicis, *Ierusalem* ipsam appellantes, imaginarium regnum Israelis instituerunt, elegeruntque sibi regem sartorem quemdam, *Ioannem Bocholt a Leydis*, vulgo IAN VAN LEYDEN, qui, missis quaquaversum pseudo-apostolis suis, insaniae suae virus late et subito proseminavit. Tunc rei indignitas Cornelio nostro Grapheo bilem movit, fecitque ut, stylo arrepto, scriberet anno proxime secuto (carmine an prosa, nescio, quia videre non potui, nec indicat Bibliotheca praecitata; suspicor tamen quod carmine); fecit, inquam, rei indignitas, ut Grapheus scriberet *Monstrum Anabaptisticum, rei Christianae perniciem.* Tale profecto censuit Carolus Imperator : et quia mire contagiosum malum esse ipso effectu celerrimi progressus apparebat, ferro flammaque extirpandum celeriter iudicavit. Ergo, cum omnes sectarios mox toto Belgio conquiri et comprehendi mandasset, coepti sunt plurimi ubique sectae istius homines, pervicacesque inventi supplicio affecti capitali. Sic Antverpiae (ut alias civitates praetermittam), « Februarii die XXIII, Feria V,
» deprehensus quidam Coloniensis, qui se primus omnium
» rebaptizari fecerat, decollatus est, caput palo suffixum,

» corpus flammis traditum. Eadem ex causa, mulieres quatuor, » uxores opificum, fabri scilicet lignarii, nautae, galerificis » et bombardificis, mane hora sexta, singulae singulis saccis » ibidem inclusae, atque de Werva in Scaldim praecipitatae, » perierunt. » Ita Rotulus Snyderi. Idem indicat « vehe» mentem in Scaldi nostro tempestatem, qua simul perierint » quadraginta halecariae naves, cum omnibus qui intus erant; » et quod festo S. Bartholomaei, mense Augusto, ingenti » terraemotu Belgium concussum sit. »

IV. Obiit Romae noster olim Canonicus, et ibi ab anno M.D.XXIII Cardinalis, Guilielmus Enchenvoirt, Mierloensis, cuius hoc ibi epitaphium legitur, ex Oldoini nostri Ciacconio : « Wilhelmo » Enchenvoirtio Brabantino, S. R. E. Presb. Cardinali, qui » plurimis Romanae Reipublicae Magistratibus et Germaniae » procuratione integerrime functus, ab Hadriano VI, Pontif. » Max. cuius item res administraverat, ac libellis dandis et Ec» clesiae Derthusensi praefectus, et in Cardinalium Collegium, » claro benevolentiae indicio, translatis in eum pristinae suae » dignitatis insignibus, solus cooptatus, deinde etiam a Cle» mente VII Ecclesia Traiectensi honestatus est : Carolo V, » Imperatore libentissimo, quem ab illo Coronam Imperii » accipientem inunxit, quique beneficiorum memor, Hadriani » cadaver e Petri Basilica in hanc aedem, cuius construendae » et ornandae adiutor fuit, sepulcro posito, transferri curavit. » In egenos et in omnes homines beneficentissimo, Ioannes » Dominicus Tranensis, Antonius Sanseverinus, Cardinales, » P. Vorstius, Belga, Episcopus Aquensis, Andreas Castillo » scriptor Apostolicus, ex testamento posuerunt. Vixit annos » LXX, mortem obiit M.D.XXXIIII. »

V. Hoc etiam anno litigatum a Civitate est contra Procuratorem Generalem, causa Piscariorum seu Ichthyopolarum, in quorum scamna, quoties possessor mutandus erat, plus aliquid iuris

praetendebat ille, quam deberi contendebant isti. Finem ut liti faceret Gubernatrix MARIA, statuit, « ut quoties scamnum » aliquod, vel per resignationem, vel per mortem ipsum » possidentis, vacare contingeret, per Consules nominarentur » Caesari vel successoribus eius personae duae ad illud » tenendum idoneae; ita scilicet, ut si filii a defuncto relicti » sint, eorum uni locus vacans cedat; isque personaliter » vel alius quicumque succedens, teneatur ad suum scam- » num pisces vendere, sub poena amittendi iuris, nisi morbo » impediatur; solvat autem Principi, in primo accessu, octo » scuta aurea, et totidem Civitati, ac totidem in profectum » Collegii Ichthyopolarum, cui etiam praebebit epulum duode- » cim aureorum Carolinorum. Permittit deinde Gubernatrix, » ut numerus eorum, hactenus quinquagenarius, augeatur » ad septuaginta quinque, servata nihilominus Principi liber- » tate eum numerum minuendi vel augendi, cum omnibus » iuribus suis. Totum etiam Collegium tenebitur Principi » quotannis pendere duos florenos Philippaeos aureos. Ipsum » vero, quoad politiam, subiicitur Consulibus et Scabinis, » quorum ordinationes observare debet. Qui autem, ut supra » dictum, nominati ad scamnum aliquod obtinendum fue- » rint admissi, utrique Consuli dabunt sex aureos Carolinos, » Marcgravio vero eos in possessionem inducenti, similes » aureos duodecim. » Ita provisionaliter fuisse anno hoc » statutum, Pensionarius Nys scribit ex Minori Papyraceo, » fol. 244. »

Edelherius, ex eodem Minori Papyraceo, fol. 273, indicat concordata quaedam, die III Augusti confecta, inter hanc Civitatem et Anglicam nationem; *et sunt*, inquit, *Articuli sexaginta :* quod ego hic nolui tacitus praeterire, ne omnino ignoretur; satis interim habeo ea quae de Intercursu servando acta sub *Maximiliano* sunt, prolixius deduxisse; hic autem

cum eodem Edelherio addere ex Registro ordinationum, fol. 116, quod illa omnia CAROLUS Caesar, ad relationem Senatus Brabantiae, confirmaverit, anno M.D.XXXVII, die XX Decembris.

A. C. M.D.XXXV.

COMMISSARII AD RENOVATIONEM. — Princeps Auriacus, locumtenens Nassavii, Marchio de Sevette, Toparcha Vianensis. — Dominus de Hornes, locumtenens *Hoogstratani*. — Dom. Bergensis. — Dominus Cancellarius. — *Secretarius ut supra.*

CONSULES XXX NOVEMBRIS. — D. Wilhelmus van Lyere. — v. Gabriel Triapain.

SCABINI. — D. Corn. van Spangen. — D. Ioa. van Crombach. — D. Ioannes de Haro. — Arnoldus Schoyte. — Wilhel. Draeck. — Ioannes van Delft. — Nicol. vander Meere. — M. Nicolaus de Schermere. — Petrus van Halmale. — Io. Happaert. — Ioannes vande Werve. — Simon vande Werve. — Hieronymus Sandelyn. — M. Iacobus Hertsens. — Michael vander Heyden.

ARGUMENTUM.

I. Tholus Marianae Basilicae restauratus. II. Deiparae in caudice (OP 'T STOXKEN) novum altare consecratum. Ratio variorum sumptuum in praedicta factorum. III. Indulgentiae ea occasione propositae.

ACTA.

I. ROTULUS Petri Verulii indicat, die III Novembris praeteriti, perfectum stetisse, qui deflagraverat, tholum sive laternam impositam umbilico cruciformi in Basilica S. Mariae. De tecto

pronai praesumere licet multo citius absolutum fuisse, ac deinde constructum fornicem, qui hactenus defuerat, esse curatum properatim quam maxime. De tholo tamen singulariter probatur ex rationibus fabricae, ubi notatur quod eius Magistri « solverunt Gummaro van Neerbroeck, pictori, pro » duplici idea Salvatoris et Iesu (alterutrius scilicet ponendi » in summa tholi laternata) schellingos duos, stuferos VI; » Adriano Michiels, fusori aerario, pro Iesu fabricando, libras » XIV, schellingum I; Petro Beeckmans, eiusque adiutori socio, » pro illo collocando, florenum unum Carolinum, sive schel- » lingos V; Michaeli Wirox, pro eodem et globo, cui insistit, » deaurandis, schellingos XVII; pro XIII centenariis aurearum » bracteolarum operi impensis, ad valorem XXVIII stuferorum, » universim libras IIII, schellingos XI; et lignariis fabris, qui » tecto alae meridionalis in cruce coronidem imposuerunt, id » est virentem ramum, V schellingos; Petro campanario, pro » pulsanda die XIX Augusti campana maiori ad Indulgentias » a Pontifice concessas. . . . Nepoti Iacobi Bast, oenopolae in » Lilio, pro ama geltarum XXI, impensas ad opus Indulgentiae » libras II, schellingos XIX, stuferos VI; Episcopo Cameracensi, » ob consecratum altare B. Virginis, in Stipite nuncupatae, » schellingos XXXVI, stuferos VI. »

II. Est hoc altare tertium a choro ad mediam navim, ubi olim inventam Deiparae miraculosam icunculam, et primum altare anno M.C.XXIV ab Episcopo Burchardo fuisse consecratum, traditio est. Ob hoc autem placuit antiquos versus, iam olim ibi descriptos, rursumque aureis characteribus ad latus altaris depictos, legendos iterum hic dare : sunt autem hi :

Undecies centum ductis et sex quater annis
Virginis a partu conciliante reum;
Burchardus Praesul haec atria, nec minus aram
Sacravit, mediam quae tenet ecclesiam.

Episcopus, novi altaris consecrator, fuit Robertus Croyus, ab anno M.D.XIX ad M.D.LVI Cameracensi Ecclesiae praesidens.

III. Credibile est autem Indulgentiam praedictam a Pontifice Romano fuisse concessam, titulo consecrationis istius novae : confluentium vero ad eam lucrandam numerum aestimare licebit ex superius signata mensura vini, empti ad ablutionem communicantium ea die, quae fuit Dominica infra Octavam Assumptionis, tunc sub cursu litterae Dominicalis G celebratae, feria IV. Cur autem ex duabus propositis a pictore ideis statuae, tholo imponendae, magis placuerit IESUS, ut natus erat puer nudus, quam virili specie vestitus, non alia facile dabitur ratio, quam quod pueri nudi forma, eminus apparitura erat distinctius quam alia, et leviori opera inaurari poterat.

A. C. M.D.XXXVI.

COMMISSARII IIDEM. — sed *pro Hoogstratano* venit D. Philippus Nothus de Lalyn.

CONSULES XXVII DECEMBRIS. — Cornelius van Spangen II. — VIII. Nicolaus vander Meeren.

SCABINI. — D. Wilh. van Lyere. — D. Henr. vande Werve. — D. Franc. van Dilft. — Arnoldus Schoyte. — Gabriel Triapain. — Wilhelmus Draeck. — Ioannes van Delft. — M. Nicolaus de Schermere. — Cornelius van Berchem. — Simon vande Werve. — Wilh. vande Werve, f. Arnoldi. — Ioannes Draeck, f. Iudoci. — Cornelius Happaert. — Walterus van Immerseel. — Michael vander Heyden.

ARGUMENTUM.

I. Consulis van Spangen nobilitas. II-III. Illustrium Brigittinarum, ex Anglia

ob Religionem fugitivarum, accessus ad Falcontinas. IV. Harum Priorissa Sorori sibi molestae prophetat successionem in officio multasque aerumnas.

ACTA.

I. Fasti Consulares *D. Cornelio van Spangen*, praeter titulum Equitis, addunt hic plures alios, eosque iterant sequentibus eius quatuor Consulatibus, dicendo quod fuerit etiam *Dominus de Spangen, List etc. atque Consiliarius Imperatoris*, cum idem nomen ante biennium absque istis retulerint. Nodum hunc solvit Baro le Roy, pag. 85, ex libro feudali, fol. 16, filium distinguens a patre synonymo; qui pater anno M.D.XXXVI Toparchiam TER LIST recognoverit, emptam a Carolo van Immerseele, postquam eamdem anno M.D.LIX susceperit nepos suus PHILIPPUS, per mortem patris sui *Cornelii*, utique ab avo diversi.

II. Hoc etiam anno HENRICUS VIII, Rex Angliae, Annam Bolenam, cuius causa Catharinam, Caroli Imperatoris amitam, repudiaverat ante triennium, omnesque Catholicos sibi resistentes dirissime fuerat persecutus, et monasteriorum bona fisco suo addixerat; *Annam*, inquam, *Bolenam*, in adulteriis pluribus deprehensam, capite plecti iussit die XIX Maii, eius etiam consanguineos detestatus. Hinc factum, credo, ut Annae cognata, Brigittinarum Priorissa, cuius monasterio eatenus parcitum fuerat, nihil in Anglia amplius tutum sibi suisque existimans, refugium in Belgio quaereret, inveniretque Antverpiae apud Falcontinas, ita iubente Magistratu, uti in earumdem Registro narratur, tamquam actum circa tempora matris *Martinae Berthels*, monasterio praefectae anno M.D.LVI. Hanc immediate praecesserat *Margareta Roex;* sub qua Brigittinae illae omnino venisse videntur, et mansisse ibi usque ad mortem Henrici et Eduardi Regum, quando, id est anno M.D.LIII, defuncto Eduardo successit soror huius illiusque filia

legitima, MARIA; et nihil potius habuit, quam rem Catholicam restituere, exsulesque revocare, in quibus etiam fuerint Brigittinae iam dictae.

III. Interim de his ibi legitur, « quod omnes fuerint praeno-» biles, et inter ceteras etiam Ducissa una, et una Comitissa; » una quoque ibidem obierit sepulta in claustro. Habitabant » vero in ea monasterii parte, quae ergasterium minus dicebatur; » somnum capiebant super stramine in dormitorio Iuniorum; » quotidie duas missas canebant, et sub earum una commu-» nicabant quotidie; Chorum denique ad Horas Canonicas » persolvendas habebant in domo Capitulari, et ad obsequium » suum presbyteros tres, habitantes in atrio monasterii. » Quoniam autem vita et conversatio earum religiosissima, » ritusque a Falcontinarum Canonicarum ritibus diversi multis » inquilinarum placebant, inventae sunt non paucae, quas » cupido incesserat ad ipsarum Ordinem transeundi; ut » optabile fuerit citius eas discedere revertique in Angliam; » sicut factum est, revocante ipsas Maria Regina. »

IV. Ita quies Falcontinis parta est simul et Brigittinis, sed neutris diuturna; nam morienti ad annum M.D.LVIII Mariae ELIZABETHA spuria successit, nihilominus quam pater suus Catholicos, inprimisque Religiosos ac Religiosas persecutura; nec minus turbarum parturiebat haeresis, invalescens apud Belgas; quarum praesaga praenominata *Martina Berthels,* cuidam Sorori, valde sibi molestae, identidem praedixit, successuram sibi in Prioratu, sicuti *S. Martino* successerat S. Brictius, in cuius festo haec vota Religiosa Deo nuncupaverat; maximas gravissimasque, ut ille, perpessura calamitates; quod etiam rei comprobavit eventus, post obitum Martinae, qui contigit anno M.D.LVI, iconoclasmum praegresso. Vixit autem *Anna Buys* (hoc ei nomen erat) usque ad annum M.D.LXXXII; neque videre meruit patriam fidei Catholicae restitutam, quod nonnisi sub

Principe Parmensi contigit, triennio post Priorissae istius mortem.

A. C. M.D.XXXVII.

—

COMMISSARII AD RENOVATIONEM. — Comes Nassavius. — Marchio Bergensis. — D. de Hornes, *pro Arschotano*. — Dom. van Saerl, *pro Cancellario*. — Mag. Wilhelmus Pensaert, *Audientiarius*.

CONSULES XI IANUARII. — D. Franciscus van Dilft. — Nicolaus vander Meeren II.

SCABINI. — D. Wilhelmus van Lyere. † — *Subst.* Michael vander Heyden. — D. Henricus vande Werve. — D. Corn. van Spangen. — D. Ioannes de Crombach. — Arnoldus Schoyte. — Gabriel Triapain. — Wilhelmus Draeck. † — *Subst.* Wilhelmus vande Werve, f. Martini. — Simon vande Werve. — Walterus van Immerseel. — M. Alvarus Almaras. — M. Ioannes Hoen. — M. Wilhelmus Colibrant. — M. Petr. de Clerck. — M. Arnoldus Brant. — M. Ioannes van Nedervenne.

ARGUMENTUM.

I. Anabaptistae varii combusti. II. Composita inter Marcgravium eiusque Subscultetum controversia. III. Turris meridionalis S. Mariae tectum concinnius restauratur.

ACTA.

I. « DECIMA Maii, quatuor Anabaptistae damnati ad rogum

» sunt, sed eorum unus errores suos retractans, meruit » defungi supplicio capitis truncati. Hic erat Trudonopolitanus, » aliorum autem trium unus, fusor operculorum stanneorum, » habitabat in via a Sambucis dicta DE VLIERSTEGE. Huius » uxor, infantem enixa paulo ante Natalem Domini, noluerat » eum baptizari; itaque sine baptismo mortuum post sex » hebdomadas, pater in cavea domestica sepeliverat : quod » cum ante mortem fassus esset, missi a Magistratu ministri, » fodientesque ibidem invenerunt verum fuisse. Ita Caukerkius, » secundum quem, die XXVI eiusdem mensis, in foro maiori » duo alii Anabaptistae vivi combusti sunt, quia sese Episcopos » aliorum, quos rebaptizaverant, dixerunt; eorumque unus » fuerat Groeningae monachus; et venerant ex Hollandia » Antverpiam eo fine, ut cum suis gregalibus Civitatem incen- » derent, atque per talem occasionem spoliarent opulentiorum » civium domos; sed propositum eorum pessimum fuerat » impeditum.

II. » Decisa quoque invenitur lis, seu potius composita, » inter Marcgravium atque eius Vice-sculteturn (quem vulgus » etiam Scultetum simpliciter nominat) ita ut huic civiles » causae, isti criminales attribuerentur; alter autem alterius » absentis vicem supplere deberet.

III. » Die XIII Iulii, meridionalis turris tecto quod arserat, » in meliorem (ut nunc est) altioremque formam reparato, » Crux imposita est, teste Valkenisse. » Rotulus tamen Petri Verulii diem XXX notat.

A. C. M.D.XXXVIII.

COMMISSARII AD RENOVATIONEM. — D. Comes de Nassau, Marchio de Sevette, Toparcha Vianensis. — D. Marchio Bergensis. —

D. de Hornes, *loco Comitis Hoogstratani.* — D. van Saert, *loco Cancellarii.* — D. Wilhelmus Pensaert, *Audientiarius.*

Marcgravius. — D. Wilhelmus vande Werve, Radulphi filius, Toparcha de Schilde.

Consules xxx novembris. — D. Cornelius van Spangen III. — Lancelottus van Ursel IV.

Scabini. — D. Henr. vande Werve. — D. Franc. van Dilft. — Arnoldus Schoyte. — Gabriel Triapain. — Nicol. vander Meere. — Petrus van Halmale. — Io. vande Werve, f. Gerardi. — Simon vande Werve. — M. Iacobus Hertsens. — Alvarus Almaras. — Ioan. Hoen. — Arnoldus Brant. — Costinus van Halmale. — Petrus Vledincx. — Ioannes van Erssele, *alias* vanden Eynde.

Subscultetus. — Ioannes vande Werve.

ARGUMENTUM.

I. Obitus et epitaphium Abbatis Cornelii. II. Difficultas cum Hanseaticis composita. III. Principatus Arausionensis litulus ad Burggravios nostros Nassavienses transgressus. IV. Decretum contra quamcumque in Bursa insolentiam. VI. Anabaptistae unius capitale supplicium. VII-VIII. Basilica Mariana per triduum interdicta. IX. Carmelitis attributus Cappellanatus Curiae. X. Consulibus et Scabinis auctum stipendium.

ACTA.

I. Anni huius primum mensem, die eius xxvi, morte sua Michaelitis memorabilem fecit eorum Abbas xxxii, cui hoc epitaphium positum esse invenitur :

Cornelii *cineres, o mors! cognomine* mera,
Sub hoc teguntur marmore.
Necdum bis denos Phoebus quem viderat annos
Honorem adeptum Praesulis.

Liquit inexhaustae laudis monumenta, perenni
Gloria dignissimus.
Adversis rerum multum est exercitus undis :
Fortis at usque perstitit.
Est largitus opes miseris, dum vita manebat,
Nullus ut umquam largius.
Tantarum laudum nunc debita praemia, Olympo
Consors Beatis, accipit.

Mortuo intra quinque dies sublectus festinato est GREGORIUS DE HAGIS, non DE DAGHIS, haud parem a suis laudem meriturus; de quo infra.

II. Die XIV Maii, nonnihil difficultatis subortum cum Hanseaticis, super privilegiis eorumdem, compositum prudenter fuit, interpretatione congrua quorumdam punctorum, quae Edelherius indicat invenienda in I vol. Privil. fol. 234, Valkenisse rem expressius indicat, querentibusque de aucta cerevisiae Lubekanae accisia indultum ait, ut illi ab eiusmodi auctione immunes manerent.

III. Die VII Octobris obiit HENRICUS, Comes Nassavius, Burggravius noster, qui, ducta Claudia Cabillonensi, etiam Principatum Arausionensem tenebat, nequicquam contra nitentibus Francis, et suo ex illa filio Renato reliquit; moriens autem hic sine liberis heredem instituit patruelem suum WILHELMUM; atque hoc est initium quintae stirpis Nassaviorum Comitum, simul et Arausionensium Principum, alias Auriacorum et Burggraviorum Antverpiensium. *Wilhelmus* autem praedictus postremum hunc titulum, XXV Ianuarii sequentis anni, Bruxellis relevavit.

IV. Die XVII Octobris, provisum fuit quieti et securitati mercatoriae Bursae, per Senatusconsultum, in Ms. collectione talium actorum apud Advocatum Nys repertum, quod latine hic reddo :

« Cum in Bursa locisque vicinis, quo huius Civitatis mer-
» catores aliique ad contractandum solent convenire, saepius
» contingat a nonnullis excitari tumultum, mutuo sibi convi-
» ciantium, conveniatque in eiusmodi locis pacem quietemque
» servari, contra quam nuper factum est et fieri deinceps
» saepius possit; ut eiusmodi incommodis provideatur, ex
» parte Principis et Civitatis prohibetur, ne quis internus
» vel externus, eiusmodi loco aut in vicinia, praesumat
» verbis factisve insultare alicui mercatori vel alteri cuipiam,
» istic rem suam agenti; indiciturque poena ei qui cultrum
» ex iracundia stringeret, quamvis laederet neminem, amissio
» unius membri : qui autem sine cultro vel gladio perculeret
» alterum, sive is sanguinem fundat sive non, similiter mem-
» brum amittat.

V. » Alteri iniuriam verbis faciens aut etiam provocans
» extra Bursam, pendat xxv florenos Regios.

» Tale quid faciens sub larva, aut taliter tectus ut agnosci
» nequeat, Caesareo hic tribunali sistetur, de crimine capitali
» accusandus et corrigendus, prout ratio feret. Eo expressius
» salvo quod, si experientia probet eiusmodi mulctas satis
» graves non esse, Dominis Sculteto, Consulibus et Scabinis
» atque Consiliariis liceat, contra eiusmodi delinquentes pro-
» cedere ad poenas ulteriores, puta exilium, vel aliam cor-
» poralem poenam aut etiam mulctam pecuniariam; et hanc
» liceat Dominis augere, moderari, minuere, prout convenire
» iudicaverint. Praedicta autem omnia locum habeant in
» utraque laterali ad Bursam via, si culpa committatur in
» accessu vel recessu ad vel a Bursa : cuius rei interpretatio
» spectabit ad Dominos praedictos. »

Ubi nota veterem Bursam, unde adhuc nomen retinet via, secundum ipsam ab Ortu in Occasum tendens, stetisse inter plateolas duas, a praedicta via ad forum tendentes, quarum

una a Cambio nomen habet, DE WISSELSTRAET; altera porticu merciaria ex parte sic clauditur, ut iam non amplius illac pateat ad forum transitus; novum nomen ex ore sumpsit.

VI. Idem edictum renovatum postea fuit anno M.D.XLIII, simili die XVII Octobris, extensum ad quamcumque insolentiam, qualis pridie commissa dicitur in contemptum iustitiae; extenditurque etiam ad comminationem, et per tertium aliquem factas iniurias, sub poena amittendae manus, vel si quis pede percussus fuerit, vel gladius, sica, culter strictus, amittendi unius articuli.

VII. « Die IX Novembris anni in quo versamur, mane sub » horam sextam capite plexus est Dominicus Stock, ichthyopola, » quia concubinam suam (uti haec testabatur) recusantem » coegerat sequi quo volebat; credo, ad Anabaptisticum lava- » crum suscipiendum.

VIII. » Die autem XVII Novembris, in Dominica sub Vesperas, » venit Decanus ruralis Antverpiensis in ecclesiam Marianam, » eamque ac ceteras omnes supposuit interdicto, eo quod Scul- » tetus, violenter ingressus cuiusdam Canonici domum, in qua » degebat puella quaedam, contra suorum parentum volunta- » tem desponsa adolescenti uni ex consanguineis ipsius Canonici, » eamdem abduxerat: sublatum autem interdictum fuit proxima » Martis, inter horam nonam ac decimam, » antemeridianam verosimiliter, post puellam libertati suae et sponso redditam.

IX. Sanderus, in Chorographia Antverpiensis Carmeli: « Hoc » anno, inquit, invenio Carmelitas a Senatu adhibitos in » Capellanos Curiae suae, quo in munere Priores pro tempore » existentes, per Religiosos, quos illi ad hoc habent designare, » ad haec usque tempora deservierunt. » Quotidianum in Curia sacrum faciunt (addo) et mensae benedicunt in solennibus eiusdem Curiae epulis, simulque accumbunt. Anno vero M.DC.XVIII, cum leges municipales Urbis in unum corpus

redigerentur; et Serenissimorum Principum Alberti et Isabellae auctoritate confirmarentur, conventioni illi robur quoque est additum : sic enim in libro Ordinationis Albertinae, Cap. IX, de expensis, ad sanctum Missae officium statuitur : « I. Ut » Priori Fratrum B. Mariae, pro et causa Missae in Collegio » quotidie celebrari solitae, per aliquem ex eiusdem monasterii » Religiosis, continuetur solutio annua centum florenorum; » II. ut Religioso, missam facienti, dentur in pannum pro » cappa annue floreni viginti quatuor; III. ut ornamenta » custodienti et missae servienti dentur annue floreni decem; » IV. ut ad eiusdem missae officium in die Epiphaniae, conti- » nuetur oblatio annua viginti quatuor florenorum. »

X. Denique notat Valkenisse, quod « Scabini, quibus hacte- » nus dumtaxat stuferi duo dabantur diebus singulis, constituti » fuerint, III Decembris, stuferi decem, et triginta pro sua » (ut appellant) vacatione. Anno autem sequenti, definitum » fuit Consulibus stipendium annuum sexcentorum flore- » norum, ultra comparitionis quotidianae mercedem; et Sca- » binis, ultra decem stuferos iam dictos, toga quotannis ex » laneo panno. »

A. C. M.D.XXXIX.

CONTINUATIO MAGISTRATUS.

Fasti Mss. videntur rem sic explicatam voluisse : « Cum » mutatio Magistratus, huc usque solita fieri in vel circa » festum S. Andreae, transferenda esset ad mensem circiter » Maium et Dominicam III post Pascha, contigit ut hoc anno » nullus novus Magistratus haberetur; sed electi XXX Novem- » bris praecedentis, M.D.XXXVIII, pergerent sedere usque ad

» xxv Maii anni M.D.XL. » Hoc autem sic puto intelligi debere, ut, exeunte Novembri anni praenotati, nil fuerit innovatum; hoc autem anno, quando Pascha fuit celebratum die vi Aprilis, et Dominica post ipsum tertia cadebat in xxvii eiusdem mensis, solum fuerint mutati Consules; et, *Cornelio van Spangen* inter Scabinos relicto, primus locus *Ursulo* datus, eique additur Collega *Dilftius*, antea inter Scabinos secundus : sint ergo, et notentur huius anni :

CONSULES. — Dom. Lancelottus van Ursel V. — II. D. Franc. van Dilft II.

SCABINI *iidem qui supra.*

Hi autem perseveraverint in regimine usque ad xxv Maii, nec solum transiverint III Dominicam post Pascha, celebratum xxx Martii; sed etiam primam post Pentecosten, actam xvi Maii; adeo pronum est, translato semel, quem maiores statuerunt termino, eum ipsum tranferri qui posterius placuerit.

ARGUMENTUM.

I. Concertatio poetarum Gandavi. II. Aedificata Domus Aquisgranensis, nunc Professa Iesuitarum. III-IV. Isabellae Imperatricis obitus Toleti, exsequiae Granatae, ex diario Caroli V per Ioannem vanden Esse, eius domesticum. X-XII. In continuatione Magistratus Consulum unus cur mutatus. XIII-XVIII. Ordinatio Caesaris, Civitati applicantis emolumenta Officiorum vacantium et pro his Senatui salaria sua augentis. XIX. Sequente post decennium sumptuum publicorum reformatione. XX-XXI. Disceptatur de iurisdictione in Scaldim contra Toparcham in Borcht et Zwyndrecht. XXII. Pueri certant ad praemium. XXIII. Abrogatur cerevisiae tenuis accisia. XXIV. Probae XII ad S. Walburgis fundatae. XXV. Renovatum Tribunal. XXVI. Digestae leges carcerariae. XXVII. Novus ante turrim S. Mariae puteus foditur, Quinti Metsii ferreo coronamento ornandus. XXVIII-XXIX. S. Nicolai ornatissimum altare, pro eo quod arserat exhibetur.

ACTA.

I. « CAMERA Pictorum ac Poetarum Gandavum profecta ad

» certamen suae professionis, quatuor argentea pocula, novem » marcarum singula, obtinuit; praemium item speciosioris » ingressus, marcarum quatuor; et eorum morio, prae caeteris » aliorum morionibus laudatus (nam suum quaeque Camera » adduxerat ex more), argenteam simiam quatuor unciarum. » Meminit huius coniectationis Rotulus Petri Verulii, dicitque propositum fuisse praemium optime ex scripturis demonstraturo, quod maximum solatium esse possit homini morienti; ipsum autem obtigisse Violae Antverpiensi, Resurrectionem Carnis praeferenti; fuisse autem quatuor oenophoros argenteos novem marcarum.

II. Circa idem tempus aedificata fuit domus Aquisgranensis, dicta HET HUYS VAN AKEN, prout monstrat numerus M.D.XXXIX sub gradibus ibidem saxeis legendus; est autem ea quae deinde Schetziis, Comitum Grobbendonckanorum parentibus vendita, nunc inclusa est Professae Domui Societatis Iesu, una cum parte viae a strata Vinearum ad Novam ducentis, ad quam illa stabat.

III. « Die 1 Maii Toleti obiit Imperatrix ISABELLA, condito » prius testamento et sacramentis susceptis, postquam, octi» mestrem foetum brevis admodum vitae enixa, febrim con» traxisset mense Aprili. Obiit autem una post meridiem » hora coram sua Maiestate, quae mox in suam se cameram » recepit, oraturus pro defuncta. Corpus toto die discooper» tum mansit supra lectum, panno coccineo ornatum, cin» gentibus illud matronis pluribus lugubriter vestitis. Eodem » continuo accesserunt Religiosi atque presbyteri, psalterium » recitaturi, et quotquot volebant, spectatum admissi sunt. Ves» peri autem Marchionissa Lombayae *(Ducis Gandiae, Francisci » de Borgia, uxor)* et Mensilia de Salsedo, Imperatricis Ca» merariae, cum medico et chirurgo suae Maiestatis, congrue » vestitum corpus imposuerunt sandapilae plumbeae adhuc

» integrum; moriens enim maritum rogaverat, ne illud aperiri » et exenterari pateretur. Mansit autem in eodem, ubi obierat, » cubiculo nocte tota. Postridie mane deorsum allatum est » in unam aularum, nigris circumductam, in qua erat altare » aptum dicendis tota die missis pro eius anima. Praecipuam, » cum Officio reliquo, accinentibus suae Maiestatis musicis, » celebravit Episcopus Legionensis, spectante clam ex alto » per fenestram quamdam Imperatore.

V. » Totum defunctae gynaeceum erat in eadem aula : » quae quia capiendae multitudini impar erat, quadratum » ante eam atrium lugubri quoque panno circumduxerant, » ubi in scamnis utrimque dispertitis sedebant, hinc Car- » dinales, Archiepiscopi, Episcopi et Consiliarii, inde Duces, » Marchiones et Comites, omnes luctum induti. Interim » ad ecclesiam maiorem Toletanam venerunt successive » Religiosorum Ordines omnes, cum Clero seculari toto, ad » Commendationes animae recitandas. Post missam celebra- » tam, ad sua se quique receperunt, redieruntque post meri- » diem hora tertia ad idem palatium, totusque Clerus ad » proximam palatio ecclesiam, unde bini ac bini lento ordine » processerunt versus portam Granatensem. Procedebant au- » tem, post Confraternitates et Clerum, plurimi defunctae » Officiales et Nobiles, inter quos numerabantur quatuordecim » Duces, Marchiones et Comites longas chlamydes nigras » induti, et corpus impositum lecticae holoserico nigro coo- » pertae, ab aula praedicta humeris suis portarunt extra » civitatem. Funus sequebantur filius defunctae unicus, His- » paniarum Princeps, comitatus Cardinale Toletano, Nuntio » Pontificio, Legatis Franciae, Lusitaniae et Venetiarum, » peditibus omnibus; tantusque nobilium et populi numerus, » ut Princeps, intenso eius diei calore aestuans, et viae ab » aula ad portam ducentis longitudine fatigatus, coactus sit

» media via subsistere, seque ad ecclesiam quamdam reci-
» pere.

VI. » Hoc ordine delatum extra portam corpus, commissum » fuit Ducibus Ascalonis et Borgiae, ipsum Granatam dedu- » cturis, in comitatu quadraginta nobilium ex aula Imperatoris » et duodecim matronarum eiusdem conditionis, totoque » defunctae famulitio. Exceptum autem corpus Archiepiscopus » Granatensis sepelivit in capella Regia, iuxta Regem et » Reginam Catholicos, avum et aviam suam, socerumque » Philippum *(qua occasione peracta sunt quae fuse in ipsius » S. Francisci Borgiae vita narrantur)*. Imperator autem » recepit se in conventum Hieronymianorum S. Iusti extra » Toletum, ibique mansit usque ad xxvii Iunii. Exsequiae » celebratae sunt in ecclesia Franciscanorum, a *S. Ioanne » Regum* nuncupata, quae tota nigris induta erat, de- » currente desuper taenia sericea, distincta scutis gentilitiis » defunctae; et super hanc cereis longo ordine ardentibus. » In chori autem similiter circumvestiti medio, erectum erat » mausoleum capellae (ut vocant) ardentis, propter numerum » octingentorum cereorum, in forma duplicis coronae Impe- » rialis, ad cuius quatuor latera stabant totidem angeli . » insignium quarteria praetendentes : sub tali autem conopeo » iacebat figura Imperatricis, circumsistentibus fecialibus seu » regibus armorum.

VII. » Ad dextram posita erat Principi Regio sedes; paulo » inferius Legato Lusitanico, personam sui Regis, qui frater » defunctae erat, sustinenti; tum Ducibus, Principibus, Mar- » chionibus, Nobilibus et Officialibus Imperatoris, omnibus » caputio et longa chlamyde nigra tectis; ad sinistram sede- » bant Cardinalis Toletanus, Pontificius Nuntius, Legati » praedicti, Deputati Consilii et Financiorum; tum iuxta » maius altare Episcopi duodecim. Ab aula ad ecclesiam

» viae omnes Toletanae erant sepimento munitae; et circa
» horam secundam post meridiem, ad quarterium Principis
» convenerunt praedicti omnes, ac simul hoc ordine proces-
» serunt ab aula ad ecclesiam, regem armorum praecedentem
» sequebantur qui de equili, ephebio et officiis domesticis
» erant; tum horum capita, Pensionarii et Nobiles, a Domo,
» ab Ore, a Camera; Comites, Duces, Marchiones absque
» respectu praecedentiae; Magistris Hospitii ultro citroque
» discurrentibus ad ordinem servandum. Totum agmen clau-
» debat Princeps Hispaniarum, cuius solius caudam portabat
» maior Commendator Castellae, ipsius Camerarius; post
» eum Legatus Lusitanus, ac deinde alii. Ita ventum est ad
» ecclesiam, ubi, cunctis ordine residentibus, coeperunt cani
» Vigiliae; et, his finitis, quisque domum suam vel hospitium
» se recepit. Hinc postridie ad horam octavam simili ordine
» ventum est ad missam, sub qua ad Offertorium Princeps
» venit; et Episcopus unus, ex Ordine S. Hieronymi, sermonem
» habuit. »

VIII. Hactenus Ioannes vanden Esse, Caroli V domesticus; ut praefert manuscriptum Ducis de Croy, et Aubertus Miraeus noster, anno M.DC.XXXVI, die XXI Ianuarii, manu sua subscripsit in fronte ecgraphi, quod acceperat transcriptum sub nomine alterius cuiusdam *Ioannis*, cognomine solerter inducto, ut legi amplius nequeat, et cum hoc latino titulo : *Ephemerides sive Caroli V* XXXVIII *annorum res gestae.* Ecgraphum illud nactus Ioannes Gevartius, eo, credo, consilio ut imprimendum aliquando daret, titulum hunc manu sua scripsit : *Ephemerides sive Diarium de rebus gestis Imp. Caes. Caroli V Aug. per annos* XXXVIII *digestum;* simulque notavit scriptoris aetatem ad annum M.D.XXIII, ubi se praesentem Pampelonae fuisse testatur, cum ad Caesarem perferretur nuntius de obitu Adriani Papae, ac porro, identidem in prima persona loquens, scribit

venimus, ivimus, fuimus. Denique etiam hoc observat, quod Cornelius Agrippa, in tractatu de Coronatione Caroli V Imp. meminit *Guilielmi vanden Asse, Cauriensis in Lusitania Episcopi, Caesareae Maiestatis eleemosynarii.*

IX. Liber est gallice scriptus, et ex Musaeo Gevartii, eo defuncto, venit in potestatem Advocati Nys : quod hic volui tam accurate indicare, ne Belgas nostros lateat opus et auctor, aliunde ignotus; quem ex teutonico nomine coniectare quis possit Belgam fuisse; autographum (si autographum est) in familia Croyana esse asservatum, verosimile reddit, quod auctor eiusdem familiae cliens fuerit, et per Guilielmum, Ducem de Chievres seu Caprearum, Caesaris gratiae et ministerio insinuatus : qui postquam eumdem Ducem usque ad annum M.D.LI Augustam Vindelicorum deduxisset, adhaeserit Philippo, Duci Arschotano, Guilielmi ex fratre nepoti; eique moriens reliquerit *Diarium* a se conscriptum. In hoc autem cum perquam raro, et quasi per transennam fiat mentio rerum a Carolo gestarum in Belgio, Antverpia vero vix semel iterumque in transitu nominetur, cogor credere, potissimum interfuisse rebus per Imperium, Hispaniam, Italiam et Galliam gestis; certe non fuisse comitem accelerati per Franciam contra Gandavenses tumultuantes itineris, de quibus, postquam Parisiis Caesar transiit VIII Ianuarii M.D.XL, nihil pene dicit; quamvis illorum punitio res adeo memorabilis fuerit.

X. Interim CAROLUS octavum iam annum Belgio aberat, quando per eum, ex suggestione sororis, Belgium gubernantis, Magistratus, ut dixi, continuatus est : quae tamen continuatio non ita absoluta fuit, quin hoc saltem anno (incertum quando) mutatus sit Consulum alter. Hoc ut credam, facit gratulatio, anno M.D.XLII ex officina Ioannis Graphei edita, auctore Ioanne Servilio, et exhibita *D. Ladislao Ursulo, ab illustrissima Hungariae Regina totiusque Belgicae Praeside, atque eiusdem Senatu*

augustissimo, in Consulem Antverpiensem electo : qua gratulatione Patronum ille suum, pro *Lancelotto* nominans *Ladislaum*, tum ab aliis multis ornamentis praedicat, tum a singulari illa virtute, quae invidorum propulsare impetus, competitorum irritos reddere novit conatus, consuetudinem legis perrumpere potest et potuit. *Quoties*, inquit ille, *Antverpiae Consulatus alicui, ut Tibi, in tertium annum prorogatus est? Quando idem cuiquam alteri quam Tibi et Dilphio, ab ipso Imperatore Carolo V confirmatus est?* Igitur non *Ursulo et Spangeno*, anni praecedentis Consulibus, continuatus hoc anno Magistratus fuit, sed *Ursulo et Dilphio* usque ad proximum Maium, quo tempore *Cornelium Grapheum* nostrum, iam olim de religione suspectum et infamia publicae retractationis notatum, Secretariatus officio summa cum dignitate per iam dictos Consules restitutum, asserit Servilius in libello de Gallo-Geldrica coniuratione infra laudando.

XI. Quae autem mutandi Consulis unius occasio fuerit, haud obscure indicat Servilius, tum aliquid popularis factionis atque in Consule optando aemulationis intervenisse significans : « Non valuere, inquit, munera apud munificentissimum Imperatorem, non preces apud iustissimum, non fucus apud » sagacissimum. Virtus Tua ad honorem viam Tibi aperuit, » Consulatum extorsit, dignitatem stabilivit. Nihil valuere » tacita populi murmura, nil improborum stulta convicia, nil » temporum calamitas, in quae tuus Consulatus inciderat. In » his omnibus tali usus es moderatione, ut omnia prosperrime » cesserint, repressus sit improborum furor, conviciantium » licentia; Consulatus tibi sit a Caesare ipso confirmatus; » denique per labores, per aerumnas, per incommoda magis » in dies splenduerit. Homo *(ut alibi idem Servilius eum » describit)* proditionum consiliis investigandis discutiendis» que natus ; qui suis humeris sustinuerat Rempublicam

» Antverpiensem, Flandrico tumultu ad rebellionem, non » Imperii odio, sed maximae nationis exemplo, spectantem; » ideoque Aurati Equitis titulum a Carolo promeritus. »

XII. Nempe triennium intercesserat inter ter continuatam *Ursulo* dignitatem et quartum eiusdem Consulatum, rursus ter consequenter gerendum; in secundum vero inciderat Basilicae Marianae conflagratio, cui restaurandae dum omnes prudentiae et auctoritatis nervos intendit *Ursulus*, haud leviter pupugerit eos, qui si non fuerint auctores incendii, in sinu tamen gaudere poterant, quod apparebat quasi divinitus oblata necessitas novam a fundamentis Basilicam erigendi. Etenim auctor Civitati fuit *Ursulus*, ut, intermissa tantisper fabrica novi chori, quae, stante veteri, promoveri non poterat, aggrederetur restaurationem pronai, eo persuasibiliorem vulgo futuram, quo magis dubitabatur, an columnae flammis attenuatae debilitataeque (ut supra dictum est) satis confirmari possent ad sustinendam molem incumbentem, cum eo qui desiderabatur fornice. Quid quod apud Carolum, qui novae Basilicae ideam tam impense laudaverat, et chori lapidem primum posuerat, traduci ab aemulis potuerit *Ursulus*, quasi conservatae turris gloria tumidus, eam sibi imminui nollet, exstructa altera longe maiori ac splendidiori; ad quam ista prior comparata, turricula dumtaxat foret, in uno laterum tolerata magis quam probata?

XIII. Ut ut est, mansit *Ursulus* in Consulatu; *Spangenius* tantisper amotus est, eique suffectus *Delfius*, *Ursulo* coniunctissimus : et sub his, die XXIII Iunii, emanavit edictum, quo « CAROLUS, *D. G. Romanus Imperator etc. Dominator in Asia* » *atque Africa*, omnibus suas litteras visuris salutem impertiens : Cum dilecti Nobis, inquit, et fideles nostri Commissi » ad renovandum Magistratum, audiendasque rationes Civitatis Antverpiensis, ultimum praeterito festo S. Andreae, » ad maiorem iustitiae profectum et nostrorum subditorum

» incolumitatem, concepissent articulos aliquos, tam circa » salaria Consulum, Scabinorum et Decanorum Hallae Pan- » nariae dictae Civitatis, quam circa dispositionem variorum » officiorum, ministeriorum, ambactorum, negotiationum, » aliarum rerum, spectantium salutem et reditus dictae Civita- » tis, quibus praedicti Consules, Scabini atque Decani solebant » frui, qui articuli ipsis Consulibus, Scabinis et aliis per ipsos » deputatis communicati fuerunt, et super quibus iidem postea » dictis Commissariis sensum suum transmiserunt : re hic » Bruxellis communicata cum illis, et per ipsos expensa, atque » relata carissimae sorori nostrae Reginae viduae Hungariae » atque Bohemiae, nostra vice Belgium regenti, hominibusque » nostrorum Ordinum, Status atque Financiarum ipsi assi- » stentibus; notum facimus, ex praedictorum consilio quod » decrevimus statuere et ordinare, sicut per hasce statuimus » et ordinamus, ut praedicti Consules, Scabini et Decani » nullam posthac dispositionem habeant officiorum, amba- » ctorum, ministeriorum aut negotiationum dictae Civitatis; » neque usum-fructum quorumcumque locorum publicorum, » vel aedificiorum in ea, aut aliquod inde emolumentum per- » cipiant, quocumque modo id fieri posset : sed posthac fiat et » disponatur circa illa, ut sequitur.

XIV. » Primum, servantes Nostrae Celsitudinis potestatem » et auctoritatem circa renovationem Magistratus, audiendas- » que rationes, omniaque iuris nostri puncta inde pendentia; » deque officiis conferentibus administrationem et tractationem » pecuniae publicae, statuimus quod, quotiescumque illa » vacare contigerit, post mortem ea obtinentium, collegialiter » conveniant Consules et Scabini, aut eorum pars maior, locis » et horis consuetis, singuli sub fide iuramenti sui, et nominent » personam, quam iudicaverint maxime idoneam, et Civitati uti- » lissimam, ad eiusdem vacantis officii ministerium; iuratique

» declarent, talem se eligere, absque ulla fraude, munere,
» favore aut dissimulatione, pro nunc et in futurum : qui
» autem plura suffragia obtinuerit, citra contradictionem ullam
» recipietur ad praestandum iuramentum, quod officium, sibi
» pro tempore competenti creditum, gesturus sit cum debita
» instructione, mercede et salario pro illo aliisque similibus
» ordinando et definiendo; sic vero electus et admissus colle-
» gialiter, coram Consulibus et Scabinis iurabit, quod, pro tali
» officio obtinendo, nec ipse, nec alius pro ipso, aut ad ipsum
» pertinens, cuiquam mortalium dedit, promisit multum vel
» parum, palam vel clam, directe vel indirecte, bonum aliquod
» vel spem : cuius contrarium si forte postea comperiatur,
» privabitur ille et privatus manebit officio sic obtento, et ad
» aliud quodcumque impetrandum incapax; nec minus is, qui
» eiusmodi donum aut spem quomodocumque eum in finem
» acceperit. Per hoc tamen non abolemus, nec quidquam
» mutamus, in modo hactenus observato in officiis, tempore
» expleto vel per cessionem vacantibus, sicut solebat fieri
» conferendis, ad dispositionem Consulum, Scabinorum etc.
» idque aptiori semper modo et utiliori, ut supra. Porro,
» quilibet sic provisorum, priusquam ministerium sibi com-
» missum adeat, eam summam solvat Civitati, quam speciatim
» et per aliam nostram constitutionem * definiemus : provi-
» dentes interim, ut Nationibus omnibus et Mercatoribus salva
» maneant omnia privilegia, immunitates et libertates, quibus
» antea fruebantur : prohibentes etiam et interdicentes, ne
» quis, ratione officii collati aut conferendi, quidquam exigat
» vel accipiat ultra quam statutum est, quocumque praetextu
» sive colore; ante vel postea, per se vel alios, sub poena
» privationis, inhabilitatis et arbitrariae correctionis, citra
» ullam gratiam vel conniventiam. Quod attinet ad habitatio-
» nem vel usum portarum, turrium, domorum, locorum vel

» aedificiorum quorumlibet, pertinentium ad Civitatem; prius » illa quam aliquis inde excedat, per Quaestores elocabuntur » quam utilissime poterunt : qua de re quotannis debita » reddetur ratio, salva habitatione portariorum, quae ipsis » manebit prout solet, iuxta ordinationes desuper factas et » faciendas.

XV. » Ne autem praefati Consules, Scabini et Decani frustren» tur congrua laboris sui mercede, sed debite remunerentur, » ordinavimus, quod a festo S. Andreae, et ex quo d. Civitas » frui coepit emolumentis, muneribus fructibusque, ex officio» rum collatione provenientibus, ab eadem Civitate annue » recipiant praedicti omnes, de semestri in semestre: Consules » quidem singuli, tam Externus quam Internus, sexcentos » nostros florenos Carolinos; Externus vero, quoties necesse » erit vel rogabitur in Collegio comparere cum Scabinis, et non » aliter; Internus autem cum Scabinis, quando horis et diebus » consuetis, in Curia hi et iste se sistent ad iustitiam civibus » administrandam, eorumque causas discutiendas, ab initio » ad finem ibi manentes, iuxta ordinationes nostras, recipient » pro sua praesentia quotidie stuferos decem : scilicet ante » Meridiem quinque, et totidem post. Decani singuli, quoad » ratione officii vel ambacti sui per annum integrum ibi se » sistent, fruentur quinquaginta Carolinis : quod si in eo » notabiliter defecerint, non comparentes ad mediam horam » ante Congregationem indictam, aut inde iusto citius egre» dientes, privabuntur competenti alias temporis illius salario.

XVI. » Praedicti autem Consules, Scabini et Decani salariis » istis fruentur, quamdiu fruetur Civitas emolumentis prae» fatis, iuxta taxam a nobis constitutam; quae si in futurum » notabiliter minuatur, aut minui debeat, etiam salaria iam » nominatorum proportionabiliter minuentur, et manebunt » Civitati ad eam sublevandam. Porro, ratione iam dictae

» augmentationis salariorum, manebit Civitas libera a solvendo » alio quocumque praemio, stipendio vel emolumento, quo » isti antea fruebantur, titulo nundinarum, processionum, » correctionum, exiliorum, aliorumque similium casuum, » salvo dumtaxat veteri et consueto ipsorum iure pro novis » civibus adoptandis; quo iure frui pergent, sicut etiam » sex ulnis panni in togam, aut viginti Carolinis. De quibus » omnibus ut certius constet Civitati, mandamus Graphiario » vel Secretario, quos convenit singulis conventibus ministrare, » ut sub sui iuramenti obligatione fideliter referant in librum » seu registrum, eo fine tenendum, notentque eos qui iuxta » ordinata praesentis vacaverint officio suo. Qui vero defuerit » toties quoties, nullam praetendet ullius salarii solutionem, » sibi a Quaestore faciendam : quam etiam hic non faciet nisi » sub debita certificatione Secretarii, quam si ostendere » nequeat in reddenda ratione, tenebitur de suo praestare » quod male solverit, aut in rationes perperam retulerit, » vertendum in commodum Civitatis. Prohibemus etiam Con- » sulibus et Scabinis, ne quem patiantur ut praesentem scribi, » qui abfuerit. Licebit tamen Scabinis singulis vacare et abesse » diebus triginta per annum, propriisque negotiis suis inten- » dere, nihil propterea perdendo de salario suo : sed ita, ut » numquam eorum novem absint, citra expressam facultatem » Consulis interni, qui potestate ad id sibi data tam discrete » utetur, ut semper adsit competens numerus tractandis » negotiis nostris, et iustitiae subditis reddendae, ac publicae » utilitati curandae.

XVII. » Porro, intuitu salariorum iam auctorum, inhibemus » Consulibus, Scabinis et Decanis, ne quid ultra exigant vel » accipiant a nostra Civitate, quocumque colore sive praetextu. » Cumque continget ipsorum aliquem foras mitti ad Nos, vel » dilectam Sororem nostram Belgii Gubernatricem, propter

» causas et negotia ipsius Civitatis, sive citari pro nostris
» negotiis intra vel extra Provincias nostras : volumus ut
» ipsi et eorum singuli sint contenti, Consules quidem et
» Exconsules, atque Equites duobus Carolinis in diem, absque
» ulteriori onere Civitatis, et absque eo quod ratione decem
» stuferorum diurnorum quidquam possint praetendere. Non
» poterunt etiam simul omnes aut sigillatim quidquam perci-
» pere ex dispositione officiorum, ut supra vacantium, idque a
» festo S. Andreae, praeterito ac porro venturo, sub poena
» privationis et inhabilitatis perpetuae atque indispensabilis,
» correctionisque arbitrariae, a Cancellario Consilii nostri
» Brabantici definiendae. Prohibemus etiam, ne suprascripti
» Consules, Scabini et Decani praesumant aliqua nova officia
» vel ministeria instituere, aut etiam numerum Officialium
» Ministrorumque augere, ultra quam iam ordinatum est pro
» commodo subditorum et Civitatis : si qua autem nova insti-
» tuantur, volumus et mandamus taxari eorum emolumenta,
» mansura Civitati. Si quis autem in suo officio notabiliter
» deliquerit, is citra indulgentiam a Consulibus Scabinisque
» corrigetur, aut etiam officio privabitur, absque restitutione
» nummorum, eius causa expensorum, et alius in eius locum
» idoneus substituetur. Ordinamus etiam et statuimus, ne quis,
» in officio vel ministerio Civitatis constitutus, ipsum vendat,
» resignet aut commutet, quocumque titulo vel in favorem
» cuiuscumque; si autem aliquis nequeat personaliter fungi
» munere suo, Consulum, Scabinorum et Quaestorum erit
» discernere quam rationabilis erit excusatio, puta morbi vel
» similis causae, eaque probata, alium ordinare, ut supra.

XVIII. » Praescribimus denique et mandamus dilecto et
» fideli Cancellario nostro, hominibusque nostri in Braban-
» tia Consilii, Marcgravio, Consulibus, Scabinis et Consilia-
» riis nostrae Antverpiensis Civitatis, nostrisque Iudicibus,

» Iustitiariis, Officialibus atque subditis, ad quos pertinebunt;
» ut omnes et singuli eorum haec nostra statuta et ordinationes
» inviolabiliter observent, et faciant observari, secundum prae-
» sentium tenorem ac formam; nihil in contrarium facientes,
» aut fieri permittentes, nunc aut in perpetuum, absque impe-
» dimento vel intercessione, procedendo contra delinquentes,
» ad executionem poenarum hic decretarum. Sic enim nobis
» placet : atque in fidem sigillum nostrum hic fecimus appendi.
» Actum in nostra Civitate Bruxellensi, die XXIII Iunii, anno
» Domini M.D.XXXIX, Imperii nostri XX, Regnorum vero Hispa-
» niae et utriusque Siciliae aliorumque, XXIV. *Subtus vero ad*
» *plicam scriptum erat :* Per Imperatorem in eius Consilio : *et*
» *subsignatum* . . . . . VERREYKEN. »

Ita scriptum lingua teutonica nostra, in capite similium ordinationum Civitatem nostram attinentium, apud Advocatum Nys; in qua Collectione proxime sequitur praemissa superius ad signum * ordinatio stipendii, cuique subalterno Officio seu Ministerio competentis, duplo prolixior quam prima, et in LVII articulos distincta, atque signata *Bruxellis, die* IX *Iunii* M.D.XLIV, utique post longam super singulis punctis deliberationem. Tum alia gallice scripta ad instructionem Thesaurarii utriusque, et trium membrorum Civitatis, super administratione redituum publicorum, articulis XXIV, signata *Antverpiae, ex auctoritate Reginae,* XII Maii M.D.XLIX; una cum alia teutonica eiusdem datae, articulis XXXIII, ibidem scripta : supra quos articulos cum Civitas suas animadversiones gallice obtulisset Gubernatrici, in ordine ad sublevanda debita Civitatis, occasione novarum munitionum plurimum aggravatae, reposuit illa articulos XLI, die XXVIII Aprilis M.D.L.

XIX. Per hos articulos tum alia plura reformantur ad oeconomiam spectantia, tum circa honoraria quotannis dari solita quinque iuratis Medicis Civitatis, septem Chirurgis, quinque

obstetricibus, duobus Subaedilibus ecclesiarum SS. Georgii et Mariae, quatuor Apparitoribus Brevioris-Virgae, sex Tabellariis sive Nuntiis, Magistro fossorum, duobus Magistris Pestiferorum, Virgifero ecclesiae S. Mariae, lusus campanarii pulsatori, famulis Camerarum Pacificae et Pupillaris, colligendi fimi Praefecto, ac bibliopego Civitatis, Observatoribus vini, satellitibus et praeconibus cerevisiariis, Censoribus halecum, calcis laterumque et foeni, ac limitum dirimitoribus, aliisque pluribus, quos singulos enumerare longum sit, et quorum consueta hactenus honoraria vel abrogantur vel restringuntur. Statuitur etiam ne vina honoraria cuiquam offerantur, nisi ex mandato Senatus; et abrogantur epulae, ipsi Senatui publicitus praeberi solitae, in duplici publicatione liberarum Nundinarum, festis SS. Thomae et Innocentium, Kalendis Ianuarii et die Epiphaniae; feria item quinta antecinerali, et diebus Rogationum atque aliae quaevis noviter inductae; tum etiam ientacula ciborum siccorum, solita iisdem diebus praeberi Dominis Consiliariis, ministrisque Civitatis; dulciaria quoque tibicinibus, ad Nundinas bis quotidie canentibus festive praebenda; tria item prandia, titulo tribunalis inducta. Earum autem epularum, ientaculorum et propinationum, quae permittuntur ad processiones amburbales, id est Sacri Praeputii post Pentecosten, Venerabilis Sacramenti, et infra Octavam Assumptae Virginis; nec non prandii ad renovationem Magistratus instruendi Dominis Commissariis, Audientiario et Secretario; horum, inquam, omnium taxatur pretium, quod excedere non liceat; ac denique ipsorummet Consulum salarium, quod fuerat sexcentorum florenorum, reducitur ad quadringentos.

XX. Rediens ad annum xxxix seculi huius, disco ex Rotulo Petri Verulii, quod, die i ipsius anni, prohibita sit omnis pecunia quaecumque arrosa seu iusto levior, aurea vel argentea. Interim disceptabatur hoc tempore de iurisdictione in Scaldim,

occasione cuiusdam epibatae Lusitani, qui suae navis vectorem unum in campo Falcontino iugulaverat, ut supradictum est. Cum enim homicida fugitivus in Flandriam, ipso in flumine deprehensus ac captus esset, ac Burchtum adductus, eum ut suae iurisdictioni subiectum vindicabant heredes D. Josephi de Montmorency, tamquam Toparchae in Borcht et Zwyndrecht, cui supra Scaldim competere summam, mediam infimamque iustitiam usque ad portas Antverpienses praetendebant per feudum, a Comite Flandriae Toparchiae isti annexum, et pacifica semper possessione subnixum; itaque contra Marcgravium Antverpiensem concludebant, reum sibi relinqui debere. Marcgravius e contrario suam quoque in tali casu possessionem allegabat, et nitebatur probare, iam inde a ducentis annis repetito exemplo; atque eo titulo Borchtensem Ballivum, qui reum tenebat, Antverpiae habebat captivum. Controversia autem ad Gubernatricem delata, illa, ex iudicio Equitum Ordinis et Consiliariorum suorum, ne ex eo capite, in quo de iurisdictione agebatur (nam Borchtenses praetendebant ius in Scaldim usque ad ipsas Civitatis portas Domino suo competere), causam ad se in Supremo Consilio ventilandam retraxit, et captum Ballivum iussit provisionaliter dimitti; crimina autem supra Scaldim commissa ad se deferri, donec causa esset decisa, iuxta litteras gallice datas Silvaeducis, XVIII Julii, quarum ecgraphum authenticum, ex Maiori Papyraceo, fol. 147 v.°, vide in Collectione senioris Valkenisse, huius manu subscriptum et ab Edelherio paucis adnotatum; qui etiam notatu dignam censuit epistolam Drossardi Mechliniensis, relatam in librum Ordinationum, fol.149, qua scribens Marcgravio nostro, XXIII Aprilis, eius in se dominatum superiorem agnoscit: DAT HY ZYNEN OVERHEER IS.

XXI. Interim noto, quod Philippus Audax, occiso Duce Aurelianensi, Comitis Montmorency primogenitum, suae parti

adhaerentem, secum abduxerit in Flandriam, plus ei istic promittens quam dimitteret in Francia. Itaque, praeter alia contulit ei praedictas in Wasia Toparchias circa annum M.CCCC.VII. Cum autem Flandriae Comiti etiam accessisset Antverpiae dominium, confusa iurisdictione, Scaldim ut suum usurpare coeperunt Montmorency; et hinc nata ista contra ipsos contentio Civitatis, et Flandrorum subinde renascens praesumptio; qua memini aliquando, summo mane, priusquam portae aperirentur, ad Wervam devectum illuc a Gandensibus reum, et actum in patibulum eo fine allatum, moxque receptum cum mortuo in cymbam atque revectum, priusquam excurrere ad eos vigiles nostri possent, et usurpatae in Werva iurisdictionis audaciam ulcisci.

XXII. Die XXIV Augusti, in foro Lactis appensa sunt praemia, pro pueris ibi declamaturis : hi autem die XXXI se contulerunt ad pontem, a cespitibus DE TURFBRUG dictum; et pueri viae Cammeriae praemium retulerunt, tam declamationis quam speciosioris ingressus. Deinde iidem victores declarati vicissim suo in vico praemia exposuerunt, pro iis qui actione, rhythmo, cantu et igne festivo primas ferrent : et qui ex via Lombardica venerant, praemium meruerunt ingressus, alii alia cum proportione.

XXIII. Die IV Octobris, Accisia tenuissimae cerevisiae (KUYT) duorum et semis stuferorum in unum quodque medium vas, abrogata fuit; Braxatoribusque ipsis impositum onus quinque stuferorum. Tum coepit tenuis cerevisia coqui pretio trium cum dimidio stuferorum pro medio vase, solvendorum Braxatori absque Accisia. Hic fuit effectus magni illius tumultus in populo propter Accisias in principio anni excitati et prudenter ac cito sopiti, idque simili aliqua, credo, moderatione promissa a Magistratu.

XXIV. Die XIV eiusdem Novembris N. de Formenteel, in

ecclesia S. Walburgis fundavit duodecim Probas pauperibus erogandas in festo nominis Iesu, ut notavit ex Inventario Priv. Civit. Secretarius de Moye, in quo eleemosynae huius auctor secutus sit exemplum datum in D. Virginis, de quo supra.

Die II Novembris, Antverpiam appulit Ducis Cliviae filia, Henrico VIII, Angliae Regi, nuptura, atque a mercatoribus Anglis magnifice excepta, Caletumque deducta est.

XXV. « Hoc etiam anno, inquit Gramayus, pag. 35, reno- » vata est Domus, vulgo DE VIERSCHAER, triumviralibus, ut » sic dicam, iudiciis deputata. » Poterat *quatuorviralia* dicere, iuxta vim nominis, si explicata superius iudiciorum forma perstitisset. « Ibi, inquit idem Gramayus, intra veteris Burgi » ambitum res capitis, evictionesque, et similia regiae iuris- » dictionis et meri imperii aguntur; et notandum occurrit, » quod de Germanis narrat Tacitus, iudicia hic sub dio agi, » nisi quod ad avertendum coeli iniurias, tectum subselliis » circumsidentium iudicum impendeat, circa seculi XVI finem » inductum, » patente in medio area, ubi reus consistit : sicuti etiam ad angulum portae Burgensis ostenditur septum ferreum, in modum semicirculi, intra quod reus libero in aëre, ONDER DEN BLAUWEN HEMEL, exsolutus vinculis confiteatur crimina, quae in illis vel etiam inter tormenta fassus est, ut suo ipse se ore condemnet. Est autem inter Tribunal et Carcerem tantum spatium, quantum ecclesia S. Walburgis eiusque coemeterium cum via circumeunte occupant.

XXVI. Leges carceri eodem hoc anno, XV Novembris, scriptas et probatas a Senatu, continet liber Papyraceus Minor, a fol. 312 ad 318, haud indignas hic exponi, prout eas in epitomen Edelherius contraxit, praefatus, eas institutas occasione gravissimarum querelarum, ex parte captivorum et ad eos venientium, contra desmophylacem seu carceris custodem,

propter impendia in eodem carcere claudendo et reserando facienda. Ergo, iuxta Epitomen istam :

« I. Captivi omnes debent a satellitibus induci in carcerem; » et si quos ipsi domi suae velut captivos asservant, tales » custodi solvant conclusionis et reclusionis pretium, aeque » ac si fuissent in carcere.

» II. Ius conclusionis et reclusionis sunt stuferi septem » semel dandi, et quotidie, dum captivi tenentur, pro custodia » stuferus unus : ad duos autem grossos quotidie debent » pendere, qui in communi tenentur custodia; qui vero ex » parte Principis ibi collocantur, non solvunt nisi postquam » ipsis cum Officiali convenerit.

» III. A captivitate soluti, interno et externo portariis » solvunt unicuique stuferos duos.

» IV. Captivi, mensam suam apud cipparium ementes, sol- » vunt ad duos asses in diem : sed nemo potest ab illo, ut » id faciat, cogi.

» V. Cives captivi propter debita, permitti debent ascendere » ad Cameram civium.

» VI. Qui sua ipsi quadra victitant, externo et interno » ianitoribus quotidie pro inferendis cibis denarium unum » Brabantinum pendunt.

» VII. Cipparii autem mensa frui volentes, pro se fidei- » iussorem constituere debent, exceptis iis qui iussu Principis » istic positi sunt.

» VIII. Si nova contra captivum aliquem gravamina inferan- » tur, eorum accuratam notitiam servare custos debet.

» IX. Captivum, proprio lecto utens, pro loco solum solvit » unius stuferi quadrantem.

» X. Satellitibus, illuc quempiam adducentibus, stipendium » solvit ipse custos; sed isti tenentur intra tertium diem eidem » praestare cautionem pro captivo, quod recte captus sit.

» xi. Iidem satellites tenentur cippario declarare causas, » ob quas apprehenderint personas illuc a se adductas, neque » ab iis discedere, donec securi sint de eorum firma custodia.

» xii. Idque toties quoties eosdem captivos a Tribunali, » vel alio quocumque loco, reducunt ad carcerem.

» xiii. Eorum, quos in particularibus domibus captivos » detinent, notitiam distinctam cippario tradent, ut ipse ius » suum prosequi possit.

» xiv. Captivi, cum fuerint liberi declarati in Tribunali, de» bent iterum in carcere sisti, donec custodi satisfactum erit.

» xv. Qui ad captivos visitandos ingredientur armati, iuben» tur arma sua apud externum ianitorem deponere, sicut » et mulieres pepla sua.

» xvi. Captivi ob crimina duplici compede constringuntur; » qui autem ob civiles tantum causas, si forte cippario rebelles » fuerint, uno dumtaxat, nec possunt habere seras particulares.

» xvii. Omnes hora octava vesperi decumbunt, et octava » matutina surgunt.

» xviii. Ante horam nonam nemo intromittetur ad captivos » visitandum, neque vesperi post Laudes.

» xix. Qui in Camera civium sedent, absque licentia non » possunt inde descendere, alias mulctandi uno poculo vini.

» xx. Tenentur omnes missam concionemque audire, sub » poena ieiunii triduarii in pane et aqua.

» xxi. Descendentes ut se lavent, non possunt alios captivos » alloqui.

» xxii. Vinum nullum extrinsecus ad captivos inferatur.

» xxiii. Ostiarii homines valentes sint.

» xxiv. Post prandium possunt omnes cum amicis suis » vinum et cerevisiam bibere, citra ebrietatem tamen; neque » sinentur ad eos introire meretrices, vel alias suspectae » personae. »

Porro custodia carceris a Principe pretio locatur, et in libro praecitato, fol. 321, invenitur, quod anno M.D.L sexcentis florenis, annue solvendis, munus istud fuerit comparatum; unde intelligitur lucrosum satis illud fuisse.

XXVII. Rationes fabricae Marianae notant, « emptam perticam, apponendam puteo ante turrim maiorem stanti, » ad usum aquam haurientium, schellingis IV, et stuferis VI: » item stipitem unde penderet longurius, situlis in eumdem » puteum dimittendis sublevandisque serviturus, schellingis » XII, stuferis VI. » Res levis, inquies, nec memoria digna. Fatear, nisi hinc intelligeretur supra puteum istum tunc nondum stetisse illud coronamentum Quintini Metsii, qui anno M.D.XXIX obierat, ex ferro pulcherrime laboratum opus, quod nunc miramur, descriptum supra, anno M.D.XII, num. IV. Quandonam igitur vel unde illuc allatum? Memini quod, fodientes fabri ante curiam, parantesque loculum saxeum bene firmum, intra quem dimitteretur altissimus malus, identidem et toties erigenda, quoties publicae gratulationis festivitas exigeret ignes triumphales strui, et ex picatis vasis pyramidem erigi (quod antea non fiebat absque periculo ruinae, propter soli toties moti infirmitatem); memini, inquam, audivisse me, quod occasione ista inventus sit capacissimus profundissimusque puteus, quem medio in foro positum, nec valde ibi necessarium, placuerit tegere et solo aequatum abolere, quando totum forum aptatum fuit decursioni equestri, ad exceptionem Caesaris et filii eius Philippi.

XXVIII. Nihilo minoris artis minusque mirandae, licet in materia tractabiliori, fuit novum altare, quod, interim dum cetera flammis absumpta certatim instaurantur, vel fabricandum locaverunt vel fabricatum posuerunt in D. Virginis Merciarii, primi ex tribus capitalibus opificum Collegiis, quibus reliqua subalternantur. Aetatem id longiorem tulisse poterat, si eximiis

eius temporis operibus parcere sivisset rabies iconoclastica, anno M.DC.LXVI, per sacra omnia 'indiscriminatim effusa. In ipsorum tamen Merciariorum Camera superest tabula, pergameno obducta, alta pedes tres, ubi in breve compendium contracta est idea operis, usque ad fornicem navis lateralis elevandi. Argumentum est S. Nicolaus, Episcopus, Merciariae totius Patronus, superne quidem inter angelos gloriosus, inferne autem ab episcopis comprovincialibus ordinatus episcopus, sculptura interrasili. Huic actui figurae quaedam praelusisse indicantur, hinc Rex Salomon, III *Regum*, I, inunctus ad regnum a Sadoc sacerdote, coram arca Domini; inde Iesus, Sacerdos Magnus, coram angelo cidarim mundam vestesque festivas indutus, ex *Cap.* III *Zachariae*, cui ibidem, v. VII, dicitur : « Si » in viis meis ambulaveris et custodiam meam custodieris, tu » quoque iudicabis domum meam, et custodies atria mea; et » dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic assistunt. »

XXIX. Bipartitae valvae utrimque (quibus triplex illud anaglyphum, extra dies festos clausis, custodiatur a pulvere) episcopalis unctionis virtutes et effectus, pictura expressos, repraesentant, dum hinc quidem ex veteri testamento repraesentantur oblationes Principum duodecim tribuum Israel; in dedicatione tabernaculi et altaris, *ex Cap.* VII *Numerorum,* deinde vero *ex Levitici* VIII; Aaronis consecratio in Sacerdotem; ad latus autem Epistolae, primo ex Paulina ad *Hebraeos, Cap.* IX, effusio Spiritus in novae legis Sacerdotium, iuxta illud *Ieremiae* XXXI : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam;* denique apocalypticus Agnus *Ioannis* V, coram sedente in throno dignus inventus aperire librum, et solvere signacula eius. Omnia haec ut facile est breviter applicare Ordinationi S. Nicolai, sic longum foret percurrere eius actus et miracula, utroque in limbo superne inferneque sculpta. Hic solum placet animadvertere quam operosi simul et ingeniosi

fuerint maiores nostri in exornandis altaribus; qualia etiam nunc aliqua in nonnullis Belgii civitatibus supersunt. Antverpienses autem, post novissimam sacrorum cladem, desierunt ea ex ligno sic sculpere, postquam copiosius advehi coepta marmora magis placuerunt; et sic refectum altare suum habent iidem Merciarii anno M.D.LXXXVI, operis et formae nequaquam poenitendae vel nunc, dum ita Antverpiae sculptura viget, ut alibi nusquam.

A. C. M.D.XL.

ARGUMENTUM.

I. Laetus Caesaris per Franciam regressus in Belgium, in eoque finita Chronica Christiani Massaei, et Antverpiae excusa. II. Laboratum in causa cuiusdam exsulis. III. Senatus ab ipsomet Caesare renovatus.

ACTA PRIORA.

I. Festivissimum huic anno initium dedit Caesaris per Gallias regressus in Belgium, cuius occasione memorandum nobis hoc loco inveni *Christiani Massaei Cameracenalis* (ita ipsum se nominat a vita inter Canonicos S. Sepulcri acta Cameraci, licet natus Warnestuni seu Wastenae); Massaei, inquam, opus Chronicum libris viginti complexum multiplicem historiam utriusque Testamenti, typis Ioannis Criniti, Antverpiae, cum Privilegio Caesareo, editum. Ultimam eius periodum operae pretium duxi hic transcribere. Ita habet :

« Anno M.D.XL Indict. XIII, mensis Ianuarii principio, ingres-
» sus est Caesar urbem Parisiorum : ibique honorificentissime
» est occursum illi ab omnibus ordinibus, Rege semper prae-
» sente; qui opulentissime et sumptuosissime ipsum Caesarem

» tractavit. Summa autem rerum Caesaris cura fuit penes » illustrem Dominum de Granvella eiusque fratrem Abbatem » S. Vincentii Bisontini, oratorem ipsius Caesaris; a quibus » tam prudenter omnia sunt provisa, quod duae istae aulae » unum viderentur esse sodalitium et unum corpus. Ita » celebratum est festum trium Regum. Postea autem Rex, una » cum Caesare, ad oppidum S. Quintini pervenit, editis per » totum regnum maximis solennitatibus; ibique, dimisso Cae- » sare, multis cum osculis et lacrymis, ex laetitia fluentibus, » Rex substitit. Caesar autem, comitatus Delfino et Duce » Aurelianensi, liberis Regis, una cum Anna Montmorencico, » Franciae Conestabili, qui semper ad pacem hortatus est » Regem, et merito auctor illius habetur, aliaque infinita » nobilitate, Cameracum venit Caesar xx Ianuarii. Ibi a » Reverendissimo Episcopo et Duce Cameracensi, item ab » illustrissimo Duce de Aerschot et illustribus Dominis et » Comitibus compluribus istarum Patriarum, prout merebatur, » summa cum reverentia et honore exceptus est. Postridie » autem eo venit, ubi Regina Maria ipsum Regiosque filios » exspectaverat: quae, ut Martha, pro honoribus ipsi impen- » dendis tam sollicita fuit, ut multos dies et noctes duxerit » insomnes. Adepta tandem quod tamdiu desideraverat, facile » omnium laborum oblita est, et nullo non genere regalis » opulentiae hospites tractavit. Cum autem nonnullos dies ibi » permansissent, Caesar Principes humanissime dimisit, qui » in sua reversi sunt. Certissima exinde spes nobis est et » fiducia, pacem hanc et concordiam, divinitus datam, perpetuo » esse permansuram; quod faxit Christus Salvator, qui prae- » dictos Principes et populum ipsis commissum in sua sancta » fide conservet et protegat, animumque inspiret ut Ecclesiam » reforment, et errantes in gremium Matris reducant; cui sit » honor et gloria in secula seculorum. Amen. »

II. Huius quoque anni principio, ut est in Rotulo Petri Verulii, perfectum fuit horologium turris Marianae, cum duplici horarum indice et praeludio, coepitque audiri die VII Martii ad medium octavae. In Minori autem Privilegiorum Papyraceo libro refertur, fol. 233, casus, Edelherio nostro visus memoria dignus, eo quod ad ius Civitatis Antverpiensis spectet, et est eiusmodi : « Quidam ex Marchionatu Bergizomensi exsul venerat » in Merxem, territorii Antverpiensis pagum, sed Marchioni » Bergizomensi titulo proprietatis subiectum : qui eumdem ibi » captivum fecit, Bergizomiamque deduxit, tamquam indicti » sibi exilii contemptorem. In hoc cum suam iurisdictionem » laesam Antverpiensis Senatus sustineret, exsulemque repo- » sceret, tamquam in libero suaeque Marchiae loco captum, » vehementer laboratum fuit, ut causam contra Marchionem » Civitas obtineret, tandemque evicit, ut vinctus relaxaretur, » et Merxemium aut quo vellet, remitteretur, per sententiam » latam x Aprilis. »

III. Aliud nihil dignum notatu occurrit ante renovationem Magistratus, quam quod verosimile sit, in Dominicae Trinitatis, praesente cum Caesare aula universa, apparatius solito acta consueta amburbalia; deinde quod sequenti feria II (ut praefantur Mss. Fasti) : *Die* XXIV *Maii, Clementissimus Dominus noster, Carolus Imperator, in persona constituit et commutavit Scabinos et Magistratum; ad audiendas vero Civitatis rationes, nominati ab eo Commissarii :*

D. Marchio Bergarum ad Zomam.

D. Henricus van Wiltham, Consiliarius et Camerarius suae Maiestatis;

D. Rudolphus vander Noot, Cancellarius Brabantiae.

Mag. Wilhelmus Pensaert, Consiliarius et Secretarius Ordinarius Brabantiae.

SENATUS A CAESARE LECTUS.

D. Henricus vande Werve. † — D. Cornelius van Spangen. — D. Ioannes van Crombach. — D. Io. vande Werve, f. Gerardi. — D. Franc. vander Dilft. — Arnoldus Schoyte. — Gabriel Triapain. — Ioannes van Delft. — M. Nicolaus de Schermere. — Petrus van Halmale. — Cornelius van Berchem. — Iacobus Hertsens. — Walterus van Immerseel. — Mag. Petrus Clerck. — Ioannes vande Nederveune. — Ioannes van Eyssele.

AB HIS DELECTI MOX CONSULES. — D. Lancelottus van Ursel V, *externus*. — D. Franciscus vander Dilft III, *internus*.

Ex his, per anni decursum cum primus Scabinus obiisset, et quartus a fine migrasset alio, substituti inveniuntur, *Alvarus Dalmaras* et *Ioannes vander Heyden :* atque extunc fere perseveravit usus Magistratum post Pascha renovandi.

ARGUMENTUM.

I. Novum Tribunal initiatur ferendo ibi primam capitis sententiam. II. Item praeludium horarium turris Marianae, in quam etiam attolluntur orbes indicis praegrandes duo. III. Forum veteramentariorum, DE LUYSEMERT, semel iterumque transponitur. IV. Consecratur nova altiorque ecclesia Praedicatorum. V. In summa aquarum penuria, abundat vinum Rhenanum. VI. Kilae iurisdictio temporalis Civitati a Carthusianis venditur. VII. Magistris Mensae S. Spiritus leges praescribuntur.

ACTA POSTERIORA.

I. DIE XVIII Maii, tunc feria IV, primum coepit ius dici in novo Tribunali, sub consulibus praenominatis : primusque in eo sententiam tulit Livinus Teerlinx, et ante Curiam expositus fuit

sub medio patibulo, cum laqueo ad collum, et titulo causae supra scripto his versibus :

OM DAT ICK VEEL VALSCHEYT HEB BEDREVEN
DAEROM WORD ICK ALDUS VERHEVEN.

Imposturas plurimas operatus,
Digne fui sic elevatus.

II. Praeludium horarium, tandem perfectum, ex turri Mariana audiri coeperat VII Martii; et index horarum duplex, versus Orientem et Occidentem, eodem attractus fuit mense Augusto. Circumferentia eius est pedum XXII; litterae singulae inauratae ulnam et quadrantem longae, latae quadrantem unum. Fasti Mss. rem his versibus notant :

IN AUGUSTO, HOORT TOCH MYN VERMONDEN,
WIRT DEN WYSER OP DEN THOREN GEWONDEN.

In Augusto, res digna est quae audiatur,
Index in turrim Marianam levatur.

III. Interim prodiit edictum inter Analecta Secretarii Valkenisse relatum, restringens Bibliopolarum licentiam et multos perniciosos libros vetans; aliudque, quo praescribebatur veteramentariis, « solitis prostare per eam viam, quae a veteri » S. Georgii porta, nunc Gladiatorum domo, de post ecclesiam » et coemeterium eiusdem S. Georgii, recta tendit ad angulum » longioris in transversum viae; Veteramentariis, inquam, » praescribebatur ut transferrent se inde, suasque merces » collocarent intra terminos, die XXVIII Iulii definiendos, ab » angulo viae Boukstegauae, usque ad occurrentes transversim » vias S. Ioannis et Steenbergensem. »

Ita volumen mandatorum, signatum littera B, fol. 7. Non semper tamen istic perstetit forum istud; sed eodem tractu, una cum nomine suo, DE LUYSEMERT, a pediculis inter veteramenta

frequentibus sumpto, promotum est usque ad fossam lapicidarium; itaque proxime admotum est ei loco, ubi anno M.D.XLVIII positum est forum, quod, ab auctionibus feria quaque sexta institui solitis, DE VRYDAGS MERT dicitur, circum quod nunc auctionarii plerique habitant, simul et omnis generis supellectilem venalem habent.

IV. Circa hoc tempus Patres Praedicatores, experti incommoda humilioris situs, in quo ipsi ab annis fere trecentis consederant, Scaldi subinde nimium excrescente, declivioraque urbis loca sub aquis ponente, fundum suum aggesta humo paulatim attollere ad plures pedes coeperunt, eo praesertim loco ubi novum ambitum ac templum struere meditabantur. Considerantes etiam quod vetus sua ecclesia non satis ampla pro concurrentium multitudine esset, alterum templum ac dormitorium excelsae magnitudinis exstruendum sibi decreverunt, distractis in eam rem plerisque mobilibus immobilibusque coenobii sui bonis (ut habet loci Chorographia) et omnibus clenodiis; auspiciis atque opera *Cornelii ab Ertborne*, S. T. D. et Provincialis Belgii, qui tum quoque Prioratum hic gerebat. Aedificatum autem est hoc anno templum super fundamenta anno superiori iacta, die III Februarii; et mox ab Harlemensi Episcopo Godefrido a Mirlo, qui eamdem quoque Provinciam regebat, consecratum fuit.

V. « Hoc eodem anno summa aquarum penuria fuit, teste ex
» Mss. Caukerkio, ita ut fluvii multis locis pedibus transiren-
» tur, perque ipsum Rhenum rustici aratra sua traducerent.
» Interim Rhenani vini tanta erat copia, ut foderum Maselan-
» dicum, Antverpiae aestimatum septem et semis hamas conti-
» nere, in loco nativitatis suae emeretur uno floreno Germanico,
» valente nostrates XXVIII stuferos; sic tamen ut emptor obli-
» garetur proprium vas adducere, vineam putare uvasque secare,
» et vinum premere sumptu suo. » Neque hoc incredibile

videbitur recordantibus quod anno M.DC.LXXVIII, cum similis siccitas ferventissimae aestatis uvas praeter morem excoxisset, oenopolae istic varii viliora quae condiderant priorum annorum vina, dicerentur effundere in plateam, ut haberent vacua vasa novo praestantissimoque condendo.

VI. Patres Carthusiani commorantes in suburbio Kilano, cuius ipsi dominium habebant, iurisdictionem suam temporalem Civitati vendiderunt. Conventionis instrumentum, teutonice scriptum, compendio exhibet Baro le Roy, pag. 83. Malo ego contextum integrum latinum reddere, qui talis est : « Nos » Cornelius Spangen, Eques, et Walterus van Immerseele, » Scabini Civitatis Antverpiensis, notum facimus, quod coram » Nobis comparuerunt Fr. Henricus de Bruyne, Prior, et Frater » Simon vanden Roye, Procurator Conventus S. Catharinae » extra hanc Civitatem siti, Ordinis Carthusianorum, suo no- » mine, et tamquam plenam habentes potestatem a ceteris » Conventualibus eiusdem domus, ac nominatim a fratribus » Severino de Monterio, Vicario, Ioanne Verrydt, Infirmario, » Iacobo Arnulfi de Antverpia, Arnoldo van Aerschot, Henrico » Langenhove, Sacrista, Ioanne Nicolai de Lovanio, Aegidio » vander Elst, Diacono, Melchiore de Vilvordia, et Henrico » Meyno, de Lovanio; qui in consueto loco capitulariter congre- » gati, praevia communicatione praedd. Prioris et Procurato- » ris ipsius Domus Dei et Conventualium eius habita cum » Dominis huius Civitatis, circa Dominium mox exprimendum; » relatione et declaratione ipsis Conventualibus per eosdem » facta, nec non praecedente consensu Reverendi in Domino » Patris, D. Petri de Lugduno, Superioris sui et Generalis, » et praevia definitione atque consilio generalis Capituli, die » XXVII Aprilis praeteriti, in Sabaudia congregati, ipsi plenam » facientium potestatem, ac speciale mandatum dantium, » ad ampliorem certitudinem faciendam per procuratorium,

» scriptum in charta pergamena, et sigillatum sigillo ordinario
» praed. Conventus, et per praefatos Priorem, Procuratorem
» communesque Conventuales subscriptum, die I Octobris
» praeteriti; quod procuratorium instrumentum videbamus,
» legi audiebamus et recognoscebamus pro ipsis eorumque
» posteris.

VII. » Notum, inquam, facimus, quod, mediante summa
» mille florenorum Carolinorum, singulorum ad quadraginta
» grossos Flandricos aestimatorum, quos huius Civitatis Quae-
» stores, ac nominatim Michael vander Heyden, Arnoldus
» van Dale et Wilhelmus de Mol, semel ex parte d. Civitatis
» ipsis rite tradiderunt in pecunia, a primo nummo ad
» ultimum numerata, et qui per ipsos conversi atque impensi
» sunt in necessariam solutionem debitorum et onerum praed.
» Domus Dei : atque insuper mediante promissione et ratihabi-
» tione, ipsis a dicta Civitate ad infra dicenda facta, legitime
» vendiderunt, cesserunt, tradiderunt et transportarunt per
» praesentes (sicuti ex vi praenotatae procurationis, consensus
» definitivi et deliberationis poterant) praedictis Quaestoribus
» etiam ante Nos comparentibus, ex consilio et deliberatione
» Dominorum Consulum, Scabinorum et Consiliariorum huius
» Civitatis, praed. venditionem, traditionem et translationem
» in commodum ipsius Civitatis acceptantium, Dominium
» Kilae, situm intra pomoerium huius Civitatis, cum censi-
» bus indominicatis, annue reddentibus in pecunia (praeter
» gallinas et pullos) libras duas et schellingos XVI, monetae
» Brabanticae, et XXXVIII vel IX quartalia avenae, cum iurisdi-
» ctione etiam suprema, media et infima, cumque officio Maioris,
» Scabinorum et Villicorum, item cum omnibus libertatibus,
» exemptionibus, dependentiis et appendentiis, idem Dominium
» quomodocumque spectantibus, sicuti et quocumque modo
» ipsorum praedecessores eas obtinuerunt, et ab omni memoria

» possederunt; sed ita intelligentes, quod praedicti Frater » Henricus de Bruyne et Fr. Simon vanden Roye, in nomine et » cum consensu ut supra, potestatem habentes, praedictum » Dominium cum Dominicalibus censibus, iurisdictioneque » suprema, media et infima, cumque officio Maioratus, Scabi- » natus et Villicatus, libertatibus, exemptionibus, omnibusque » eo spectantibus appenditiis ac dependitiis, offerebant, cede- » bant, et clare in perpetuum abdicabant, ad usum praed. » Civitatis Antverpiensis; et declarabant quod d. Conventus » nihil iuris in ipso retinebat; pollicebanturque hoc verificare » contra quoscumque opponere quid in iudicio tentaturos, vel » quamcumque calumniam aut inquietudinem : additae condi- » tiones fuerunt hae :

VIII. » Primo quod qui de praed. Conventu sunt, non » tenebuntur solvere aliquem censum aut census pro eiusmodi » terris vel immobilibus bonis, quae in vel infra d. Dominium » possident ab antiquis temporibus, et priusquam ipsum Domi- » nium acquisierant.

» II. Quod ipsi Carthusiani in perpetuum possint uti ad » plantandum, prout volent et ipsis placuerit, ea via, quae a » Conventu descendit usque ad aliam, quae est post fundum » Mariae Moleberg, tenditque ad pratum Hobokanum, et arbo- » res ibi nunc stantes caedere, absque ulla contradictione » Civitatis : ita tamen ut ipsam viam relinquant tam largam et » latam atque nunc est. Item quod dd. Conventuales, praesen- » tes et futuri pro tempore, poterunt per vias eiusdem Dominii, » secus suum fundum et quam longe hic modo tenditur, non » ultra, plantare et tenere crescentes arbores, ad sesquipedem » a margine fundi sui, qualescumque volent; salvo tamen, » quod viae, in quibus id ipsis licebit, maneant satis latae et » amplae, et quod ibidem nunc stantes arbores caedere poterunt » absque contradictione Civitatis.

» III. Poterunt etiam Carthusiani semper in suo fundo » struere et structum conservare molendinum, vento circum- » agendum, absque eo quod pro vento quidquam solvere » Civitati teneantur.

» IV. Item, in perpetuum erunt liberi pro ea omni re, pro » qua Civitati solvitur aut posthac solvetur accisia, vel aliud » quodvis impendium pecuniarium; scilicet pro pane, frumento, » vino, cerevisia, aliisque similibus, quibus opus habebunt ad » suum suorumque familiarium et hospitum usum in ipso suo » Conventu, nec ultra.

» V. Paciscuntur etiam, quod Consules et Scabini huius » Civitatis habituri ipsos sint in perpetua sua protectione, et » manutenere in suis libertatibus ac privilegiis iam descriptis » vel describendis, quantum in ipsis erit.

» VI. Item quod poterunt ex hac Civitate annis singulis » efferre vinum ad coenam, et lagenas, pocula, cantharos » aut amphoras, usque ad duodecim amas, absque accisia » inde solvenda; ita tamen ut eiusmodi vinum in ipso eorum » Conventu absumatur; et de trimestri in trimestre, sive ab » una anni partitione ad alteram, vinum illud petatur ex una » eademque taberna, eam non mutando; et teneantur sic » vinum efferentes, de trimestri in trimestre vel aliter reddere » accisiariis rationem illius, simulque declarare ex qua taberna » illud petere intendant proximo trimestri, idque ad duodecim » usque amas, nec ultra.

» VII. Poterunt etiam, quotiescumque libuerit, constituere » et mutare hominem suum aliquem ad custodiam silvarum » suarum et ad omne damnum ab iis avertendum. Animalia » quoque ipsorum pascere poterunt in publicis viis d. Dominii, » nemine prohibere valente, sed sine alterius praeiudicio.

» VIII. Pacti sunt etiam, ut Civitas eiusque Rectores, » ipsis, in quantum poterunt, conservent eorum privilegia,

» defendantque et tueantur, ita ut monasterium maneat liberum » ab omni molestia vel onere, quod ipsis, ratione d. Dominii, » posset imponi, pro tenendis famulis, canibus, equis, etc.

» Licebit etiam dd. Carthusianis, intra muros sui Conventus, » citra contradictionem aut oppositionem Civitatis, recipere » et sustentare quoscumque reos aut malefactores, dignos » tamen asyli ecclesiastici beneficio; exceptis exsulibus et foro » cedentibus, qui huius Civitatis erunt.

» IX. Poterunt etiam ipsi Carthusiani, ad suum usum, » cuiuscumque opificii artifices intra muros Conventus sui » adhibere operi faciendo, liberos vel non liberos, familiares » suos vel externos conductitios.

» X. Pacti sunt insuper, quod Civitas non poterit, ab ultimo » Kilensi molendino usque ad Conventum aut prope ipsum, » figere patibulum, vel in eo quemquam reorum suspendere, » neque etiam intra eosdem terminos collocare metas sagitta- » riorum. Non poterit etiam eadem Civitas, intra idem spatium » iacere molem seu crepidinem, ad quam appellant naves, » vel reficiantur, vel aliquod opus exerceatur, quod quieti » Conventus officere possit; comprehendendo eam quoque » terram, quae ibidem fuerit alluvione adiecta, vulgo SCHORREN, » eodem spectantes.

» XI. Conventum etiam est, ut Rectores Civitatis auferant » sedem iudicialem ipsius Dominii, et ad alium transferant » locum, ubi iudicia commode exerceri possint; non autem » prope Conventum, ne hic ullum onus aut incommodum » sustineat ab Officialibus vel Ministris.

» XII. Denique inter pacta receptum est, quod Civitas indem- » nem habebit Conventum apud Clementissimum Dominum » nostrum, circa omne id quo gravari Conventus posset, » occasione translationis aut venditionis huius. Item, apud » Dominum Praelatum S. Michaelis, quoad cessionem et

» contractum cum ipso initum anno circiter vigesimo quinto » huius seculi, circa fundum quemdam vacuum, ubi solebat » stare pertica iaculatoria, et consensum eidem Praelato praestitum, ut ibi possit domos aliquas producere ad tres vel » quatuor pedes intra publicam viam. Item, quod Conventus » permiserit cuidam mercatori quondam, Ioanni Rustici, ut « possit abolere semitam, per suum fundum ab olim ductam; » ita tamen ut ipsi Civitati circa facultates, dictis Praelato et » mercatori illi concessas, maneat id omne ius, quod habue» runt ante hanc cessionem, absque dolo malo et salvo iure » supremi Domini.

» In quorum fidem publicam hasce dedimus, sigillatas nos» tro sigillo, anno Domini quo scribebatur mille quingenti » quadraginta, vigesima die Novembris. *Et subscriptum erat* » vander Ryt. *Et collatione cum originali facta, subscriptum erat* » P. Fabri. 1660. »

IX. Pensionarius Nys, ex II volum. Privil. fol. 189, refert leges quasdam, Magistris S. Spiritus latas, « quibus imprimis » statutum est, ut communem unam Bursam conficiant, atque » in matriculam referant omnes pauperes Civitatis, domuum» que ex mensa S. Spiritus sustentandarum; atque in has et » illos corrogata distribuant, et coram Senatu rationes accepti » expensique reddant, praesentibus duobus abeuntibus Elee» mosynariis, Bursamque tradentibus in festo S. Barbarae. » Iisdem quoque indultum est « ut minores quosque census » redimi patiantur, et pretium inde exsurgens impendant » emendis reditibus aliis, secundum decretum Civitatis, con» firmatum etiam anno M.D.LIII, auctoritate Iulii Papae III.

A. C. M.D.XLI.

Quamdiu Senatus renovatus est in die S. Andreae, vel etiam propius ad Kalendas Ianuarias, unde inchoabatur vulgo civilis annus, non fuit nobis opus cuiusque anni Actis praemittere Magistratum eo anno praefuturum : nunc retracto anni Consularis principio ad tempus Paschale, congruentius videtur, cum Acta plura occurrent renovationem praegressa, dividere ea bifariam.

ARGUMENTUM.

I. Mera, fornice perpetuo supra canalem ducto, complanatur. II. Cremato vino accisia imponitur. III. Bruxellenses canalem suum fodere incipiunt. IV. Sortitio hospitalium inter Scabinos.

ACTA PRIORA.

I. Hoc anno destructa fuit porta Merana, et pons ibidem supra canalem structus, ducto fornice, est continuatus usque ad pontem versus Clarissas ducentem; itaque formata amplissima platea, ubi olim lacus fuerat Merae nomine dictus : quod nomen ipsi plateae manet. Mox autem ibidem coepit forum frumentarium exerceri, exercebaturque adhuc anno XLIX, quando Philippus II excipiendus erat. Scribit autem apud Georgium Braunium, lib. II, pag. 17, qui Antverpiam ipsi composuit (Grapheus Iunior, uti existimo), « certo proborum » virorum testimonio, qui hoc se vidisse saepius affirmaverint, » sibi constare, quod cum canalis ille foderetur, inventa sit via » saxis strata, quae declivis ad putei aquas duceret; argumen- » tum evidens multo depressioris olim, quam nunc sit, soli,

» planeque paludosi. » Die autem XVIII Februarii permissum est, ut ibi diebus sabbatinis exerceretur forum equorum, a domo Arenbergica (quae in angulo exstante adhuc Nigrae Aquilae insigne praefert), secundum canalem usque ad pontem ipsi instratum, et dictum DE VAERTBRUG. Sed hoc diuturnum non fuit : nam anno XLVII translatum est forum istud ad aream Falcontinam, ac postea ad eum, ubi nunc est, locum in Klapdorpio, ante portam Rubram.

II. Instituta est etiam anno praetitulato accisia specialis in vinum crematum, de consensu Civitatis, cui denique eius accisiae proprietas concessa etiam fuit.

III. Hoc quoque anno coeperunt Bruxellenses canalem suum fodere usque in WILLEBROUCK, unde maiori navigio, ultro citroque bis inde commeaturo, vectoresque huc deportaturo per Scaldim, Antverpiensibus nec prohibere valentibus quod Princeps probabat, nec volentibus contribuere quidquam; Mechlinienses vero qui prospiciebant, exhinc minus necessariam fore suam civitatem volentibus Bruxellis Antverpiam proficisci, unde multum lucri ipsis proveniebat, nihil non agebant, ut, obiiciendo undecumque difficultates novas, consilium totum disturbarent. Persuaserunt ergo Vilvordiensibus, per quorum oppidum designata fossio facilior, rectior, breviorque fuisset, ne assentirentur; rati fortassis numquam Bruxellensibus tantum animorum fore, ut mallent oppidum illud declinare, et mediae leucae circumeundae dispendium facere, quam coepto desistere, aut consentire in conditiones duriores ab illis propositas, et lucrum a navigatione illa sperandum cum ipsis partiri. In quo sane pessimum consilium secutos Vilvordienses, eventus probavit. Etenim ipsorum oppidum, quod ex ultro citroque navigantibus quotidiana lucra percipiens, ditandum vehementer fuisset, nunc pene desolatum manet, rarescentibus iis qui per ipsum petebant Bruxellas curru vecti, et defluentibus ad novi canalis

ripam tabernariis; quorum pene iustus vicus, in confiniis Bruxellensis et Vilvordiensis territorii, ad fontem S. Michaelis coivit, nemine ex navibus Vilvordiam declinante, nisi cum opus est Mechliniam petere. Sed neque Antverpiensibus optime cessit tenacitas sua, coactis ante urbem suam tolerare naves Bruxellensium, cum suis officialibus naulum recipientibus, cum possent totum Scaldim sibi servare, suismet sumptibus instruendo naves, quibus vectores usque Willebroukam deportarentur; et partem aliquam conferendo in fossionem, sibi aeque ac Bruxellensibus servituram.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Die XIII *Maii, qua fuit feria* VI *ante Dominicam* IV *post Pascha, actum* XVII *Aprilis.*

COMMISSARII. — Dux Arschotanus. — D. Antonius, Marchio Bergensis. — *Cancellarius et Secretarius ut supra.*

CONSULES. — D. Cornelius van Spangen IV. — II. D. Ioannes van Crombach.

SCABINI. — D. Lancelottus van Ursel. — D. Franc. van Dilft, *eique, in Angliam Legato, suffectus* Alvarus Dalmaras. — Arnoldus Schoyte. — Gabriel Triapain. — D. Nicolaus de Schermere. — Petrus van Halmale. — Corn. van Berchem. — Ioannes Draeck. — Cornelius Happaert. — Costinus van Halmale. — Mag. Petrus Vledinx. — Ioannes vander Heyden. — Henricus van Berchem. — Cornelius de Vos. — Ioannes Rockox.

SORTITIO HOSPITALIUM INTER SCABINOS.

IV. Hoc anno adducta in sortitionem tantum sunt (inquiunt

in Analectis Secretarii) sola nomina Hospitalium et Vicorum. Postquam enim, iuxta Caesareae Maiestatis mandatum, anno M.D.XXXVIII emanatum, proventus ex mensura frumentaria provenientes, et inter duodecim seniores Scabinos per menses, qui cuique eorum sorte obtigerant, dividi soliti, ad Civitatis emolumentum sunt redacti, superfluum erat sortiri de mensibus; itaque hoc anno sortiti sunt :

Nosocomium maius. — D. Ioannes van Crombach. — Arnoldus Schoyte.

S. Iuliani Hospitale. — D. Franciscus van Dilft. — Costinus van Halmale.

Begginagium. — D. Lancelottus van Ursele. — Petrus van Halmale.

Incurabiles. — Cornelius Happaert. — Mag. Petrus Vledinx.

Infirmariam. — M. Nicolaus de Schermere. — Cornelius van Berchem.

Caeruleos Fratres. — Gabriel Triapain. — Ioannes Draecke, *loco* Ioannis Hoen.

ARGUMENTUM.

I. Via Malderaria tota deflagrat. II. Curiae pannariae assignatus suus in nova Curia locus. III. Incipit coqui cerevisia trium quadrantium. IV. Bibliopolarum licentia restringitur. Typographorum hac aetate praecipui, qui? V. Obitus et epitaphium Hieronymi, mercatoris ex Chio.

ACTA POSTERIORA.

I. « Die IV Octobris in via, quae a foro ad ecclesiam S. Ma-
» riae ducit, vulgo DE MAELDERY STRAET, arserunt plures quam
» XXII domus, una cum Curia pannorum, plurimisque omnis

» generis etiam sericis mercibus, nec non variis circa coeme-
» terium aedificiis. » Visa res digna est, quae Fastis inscriberetur hoc disticho.

DIJSENDAG VOOR DEN NOEN IN OCTOBRI VIER DAGHEN,
VEEL LIEDEN DE MAELDERYSTRAET VERBERNEN SAGEN.

Martis ante prandium, in Octobris quarta,
Visa Malderia est flammis cooperta.

II. Eodem quoque mense, permissum est Curiae pannariae Senatui, ut in nova Curia ius dicerent, in minori camera Pacificatorum, quoniam propter illius fabricam destructa erat illa, quam sibi in foro habuerant propriam.

III. Die XXVII eiusdem mensis, coepit braxari cerevisia trium quadrantium, quae quia generosior erat, et caput petebat, ab inebriando nuncupabatur DOLLE EN KNOL; unde intelligas, talem fuisse qualis, abundantiori nunc pecunia, et pretio ob accisias cerevisiarias enormiter aucto, vix quinque stuferis emeretur.

IV. Denique promulgatum est edictum, restringens libertatem Bibliopolarum, multosque perniciosos libros prohibens: quod edictum si exstaret, fortassis ad librorum tunc editorum notitiam conferret aliquid et plagas detegeret novatorum hodiernorum, obtritis veterum haereticorum armis iactantium sese, et sanam Ecclesiae doctrinam ac praxim oppugnantium. Doceret etiam nomina plurium eo tempore typographorum; inter quos haud infimum locum tenuisse crediderim, Graphei et Servilii opusculis praela sua mutuatos, *Ioannem Coccium*, ipsiusque Graphei fratrem *Ioannem; Antonium Dumium* et *Ioannem Loëum*, omnes eodem tempore Antverpiae florentes : quibus aliunde addiderim mox nominandum, *Martinum Nuyts*, cuius nepotem, latina phrasi *Nutium*, in eadem professione praestantem vidimus pueri, soliti apud eum emere Emmanuelis Alvari Latina, et Iacobi Gretzeri Graeca praecepta; post

Ioachimum Trognesium, ante usum eadem facultate ipsa imprimendi, sibi per nostram Societatem concessa, ad usum studiosae apud nos iuventutis.

V. XIII Decembris M.D.XLI (ut est in sequenti ad D. Virginis epitaphio) *crudelissima manu* invidae mortis occidit generosus et praeclarus vir DOMINUS HIERONYMUS IUSTINIANUS, urbis Chio in Phrygia, opportunissimi emporii, Praeses; qui tam facundia eloquii, quam singulari animi modestia celeber, pariter doctos et ingenuas artes omnes amabat, huius celeberrimi emporii Antverpiensis insignis mercator, viridis suae aetatis anno quinto et tricesimo. Precator ut hic Ianuensis intret ianuam pacis.

Est autem Chios sive Scios (Ionii maris insula) Asiae minori obiecta, qua hic PHRYGIAE venit nomine largius et usque ad mare extenso; habetque portum capacem et tutum cum arce munitissima, dominio Iustinianorum Genuensium iam inde ab anno M.CCC.XLVI subiecta, dono Andronici Palaeologi, Imperatoris Constantinopolitani (uti eam describit Thomas Porcaccius apud Baudrandum, in eius Geographia), a Turcis perfide occupata, anno M.D.LXV. *Crudelissimae* autem *mortis* appellatio quibusdam nonnisi perfunctorie legentibus suspicionem fecit, quod sub eo epitaphio sepultus iaceat alius *Hieronymus*, decimo post hunc anno per immanissimos cruciatus enecatus : sed huic cognomen *Deodati* fuit; et crudelitas in eum exercita, non metaphorica, sed omnino realis, ut plenius infra describetur.

A. C. M.D.XLII.

—

RENOVATIO MAGISTRATUS *facta per ipsammet Gubernatricem Reginam in persona, die* XIII *Maii huius, Sabbato ante Dominicam* V *post Pascha, actum* IX *Aprilis, nisi hic sit error zyfrae.*

CONSULES. — D. Lancelottus van Ursele V. — Mag. Nicolaus de Schermere.

SCABINI. — D. Cornelius van Spangen. — D. Ioannes van Crombach. — Arnoldus Schoyte. — Gabriel Triapain. — Mag. Nicolaus de Schermere. — Wilhelmus van Halmale. — Adrianus Vledinx. — Petrus van Halmale. — Cornelius van Berchem. — M. Iacobus Hertsens. — Walterus van Immerseel, *pro eoque facto Quaestore :* Michael vander Heyden. — Henricus van Berchem. — Ioannes Rockox. — M. Iacobus Houtappel. — M. Ioannes Scheyff.

ARGUMENTUM.

I. Causa appellationum in re Lanaria contra Lovanienses evicta pro Turnhoutanis, auxilio Antverpiensium. II-IX. Quintus Ursuli Consulatus fortiter gestus contra Roshemium ; X-XIII. a quo sibi metuens Civitas prudenter sibi contra proditores consulit, XIV-XXI. custodia moenium inter primates divisa. XXII. Notitia turrium domorumque tunc per moenia dispositorum. XXIII-XXV. Suburbana SS. Annae et Margaritae monasteria eversa, cum Carthusia S. Catharinae, et ecclesia S. Willebrordi; Monialibus in Urbem, XXVI. Carthusianis Lyram traductis. XXVII-XXVIII. Edictum Caesaris pro novis munitionibus, XXIX-XXXII. earumdem et Civitatis totius amplissima mappa ex Virgilii Bononiensis designatione, ligneis tabulis celata anno M.D.LXXV, simul et descriptio elegans. Mulcta novo operi impensa. XXXIII. Regina Hungariae transit et excipitur a Civitate. XXXIV. Sumptuum de publico regulatorum specimen. XXXV. Pulveri tormentario

conficiendo erecta domus, et grandis apparatus bellicus comparatus. XXXVI. Novae Curiae conficiendae emptus a Civitate locus. XXXVII. Emitur DEN LEGUIT ad constructionem Hallae coriariis Amstelodamensibus elocandae. XXXVIII. Inchoatur nova Civitas. XXXIX. Puteus ad trivium DEN DRYHOEK factus.

ACTA.

I. PRIUSQUAM ad huius Magistratus renovationem procederetur, Civitas, Turnhoutanis coniuncta, evicit litem, quam pro his sustinebat contra Meyerum Lovaniensem et Decanos rei ibidem pannariae, protractos in iudicium Senatus Brabantici, sustinentibus Turnhoutanis se in casu appellationis esse immediatos superiores suorum eiusdem professionis Decanorum. Definitumque est autem XVII Martii (ut est in Minori Papyraceo, fol. 333 v.°) quod tali in casu Lovanienses tenebantur eiusmodi lites proprio sumptu remittere Sculteto et Scabinis Turnhoutanis, tamquam immediatis rei pannariae intra municipium Turnhoutanum iudicibus, quoties appellabatur a sententia Decanorum et Aldermannorum Turnhoutanorum : et fuerunt Lovanienses etiam in expensas litis damnati. Quid autem interfuerit Antverpiensium Turnhoutanos obtinere causam istam, non additur.

II. Porro quintum URSULI Consulatum posteritati commendavit iam aliquoties laudatus Ioannes Servilius : sed patronum suum, patrio nomine et ex baptismo dictum *Lancelottum*, instituit Hungarico nomine appellandum *Laodislaum*, fortassis in eo ipso Graecismum affectans, quo *Λαός* intelligitur *Populus;* sed *Populus* in eodem nomine numquam bis positus invenitur. Sic habetur ab illo edita hoc anno Gratulatio *D. Laodislao Ursulo, ab illustrissima Hungariae Regina totiusque Belgii Gubernatrice, atque eiusdem Senatu augustissimo Praesidi in Consulem Antverpiensem electo, exhibita.* In huius Gratulationis fronte lectorem monet auctor, *Argumentum* esse *praesentibus*

moribus atque exulceratissimis his temporibus accommodatissimum. Prior orationis pars tota consumitur in extollenda praestantia muneris quod sustinent qui Rempublicam gerunt reguntque; altera tota impenditur laudibus Consulis Ursuli, ac bonis votis pro eo faciendis, absque ulla collegae mentione : in quo fortassis aliquid prudentiae desideres.

Cum autem Caesar mari se commisisset, Africam petens, pro felici talis expeditionis successu, dicta est XXVII Iunii generalis supplicatio, a Secretario Valkenisse annotata.

III. Claruit interim hic annus, in quo Consul *Ursulus* fortitudinem animi, dexteritatemque in rebus arduis probaret, obsessa a Martino Roshemio Antverpia; cuius obsidionis totam historiam accuratissime descripsit praelaudatus Servilius, edito mox apud Antonium Dumium libello, cui titulus *Geldro-Gallica coniuratio in totius Belgicae clarissimam Civitatem Antverpiam, Duce Martino Roshemio.* Inscribitur ea *Ornatissimis, prudentissimis Coss. Antverpiae Laodislao Ursulo et Nicolao Schermere, totique Senatorum Ordini amplissimo;* quorum laudi adscribit auctor, « quod hoc anno Respublica eorum tot clarissimis et » pacis et belli claruit operibus. . . . ut non temere alias et » numero plura, et admiratione maiora habuerit umquam. Tot » ab imis fundamentis, inquit, sunt erecta publica et privata » aedificia, ut urbs pene novam eamque splendidissimam videatur induisse faciem; tanta prudentia tumultuosae Geldro-» Gallorum obviam itum proditioni, ut qui hactenus pacis » artibus habebantur ab omnibus clarissimi, iidem et militaris » rei consiliis reperti sint eminentissimi. » Omnes illi in hoc opusculo, post quartam eius partem, sigillatim laudantur; et inter eos invenitur *Ammanus Godevardus* seu *Godefridus Sterkius,* post annum M.D.XI officium adeptus, et, hoc vel sequenti anno, officio ipso, aut etiam vita defunctus; sicut is, qui post annum M.D.LIII invenitur, eodem nomine ac cognomine, idem

munus gessisse, credi possit prioris filius vel ex fratre nepos; unde in Catalogo contigit priorem omitti, non satis a posteriori distinctum; licet inter utrumque fuerit *Guilielmus de Halmale*, annis XXIV post priorem mortuus, iuxta ipsum Catalogum.

Redeo ad praecitatum opusculum, cuius auctor Servilius, post accuratam descriptionem Brabantiae, et in ea Civitatis florentissimae Antverpiae, ingrediens in argumentum sibi propositum, ante omnia declarat occasionem fiduciae, a Rege Francisco assumptae contra ditiones Caroli, in Algeriensi expeditione (uti fama ferebat) exstincti : qui Rex Comiti Clivensi persuaserat, pro iure quod is in Geldriam habere praetendebat, occupare Ravestenium oppidum; et quasi provinciam sibi contra Brabantos vindicaturus, copias illuc miserat, eo pacto, ut, dum ipse improvisus invaderet Luxemburgum, Clivensis cum Geldris, perpetuis Brabantorum aemulis, Brabantiam tentaret sub Martino Roshemio. « Hic, in procinctu rei agendae, fuerat Ant-
» verpiae conspectus, in mercatu equorum, homo ad quidlibet
» audendum minime impiger, miles non minus strenuus quam
» belli imperator consultus, proditionibus struendis a natura
» fictus atque compositus; et tamen apparatus Geldrorum
» aliis fere civitatibus pro fabula habebatur : Antverpia sola
» aliquot cohortes tumultuario conscripsit, qui rusticis in
» Pelandia ad arcendum hostem congregatis, subsidio essent.

IV. » Ita fugatis Gallo-Geldris, inquit Servilius, vel ab
» aggressione deterritis, rursum solutae civitates Brabantiae
» metum curamque remiserant. Sed Antverpiensis Senatus
» nihil omittere, quod ad terrendum hostem procul, atque
» arcendum, si propius accessisset, spectare videbatur. Iam
» bombardas ex armariis ad quemvis tumultum convehi, et,
» si quae aut ruptae aut rumpendae erant, sarciri iusserat.
» Habebantur interdiu ad portas singulas duodecim armatorum
» excubiae, noctu in moenibus, portis et turribus contra

» extraneum hostem; in urbe ad pontes, ubi veteris urbis » portae steterant aliquando, et in Curia contra proditores » vigiliae. Qui interdiu portas servabant, sub quartam ad » Curiam deferebantur; quibus exquisite examinatis, sua » cuique instituebatur a Consule statio; non quam quique » optabant, sed quae casu obvenerat. Erat enim sua cuique » statio (ne quid proditionis strui posset, si suus cuique locus » cognitus fuisset) incerta. Noctu excubituri sub septimam » ad eumdem locum conveniebant, quibus casu quoque sua » statio statuebatur. Cuilibet contubernio proponebatur qui » maximae videbatur auctoritatis atque in rempublicam fidei » decurio. Hic continere in officio suos iubebatur; huic non » minus quam Senatui iubebantur obedire subditi. Expleto » vigiliarum excubiarumque tempore, cogebantur redire ad » Curiam omnes; si qui obstinati erant decurionis sui imperio, » horum nomina exhibebantur Senatui, ut de poena iis infe- » renda statuatur.

V. » Decreta erat, et publico edicto, cuilibet contubernio » sua aut vini, aut cerevisiae mensura, quo severior disciplina » conservaretur; ne potu sepulti, aut indulgentius loca, quae » obvenerant, observarent, aut magis rebelles decurionis sui » imperio redderentur. Portarum claves sub vesperam ad » Curiam deferebantur, ubi aut Consularis aut magnae aucto- » ritatis aliquis simul cum sagittariis vigilabat. Erant moenibus » adiunctae multae aediculae, dum nihil minus quam bellum » exspectamus : hae omnes publico decreto dirutae sunt; vel » quod moenia iis essent impedita, nec tormenta aenea ob loci » angustiam recipere possent; vel, quod periculosum putaba- » tur, homines ignotos, quorum quidam Civitate donati nondum » erant, desidere in iis locis, ex quibus cum hostibus facile » aut colloquia miscere, aut proditiones machinari possent. » Ferebantur leges multae, Reipublicae maxime salutares,

» ex intima rei militaris disciplina enatae; quibus, in ea » temporum rerumque ratione, a prudentissimo Senatu nihil » potius excogitari, et ad vitandam discordiam, et ad alendam » inter cives benevolentiam, magis salutare atque commodum » posset.

VI. » Erat ibi varia, ex Iulia, Clivia, Geldria, hominum » improborum colluvies, quae ad evitandam egestatem, qua in » patria premebatur, alius alio sedentariarum artium exercitio » inopiam levabat. Haec, audito belli rumore, incredibile dictu » quantopere coeperit cristas tollere etiam palam Brabantis » conviciari atque minari. . . .

» Erant multi qui dicerent. non defuturos hostes intra » moenia, si reperiatur hostis extraneus. Decretum est itaque » a Senatu, quem tam aperti conatus fallere non poterant, ut » eius nationis quicumque in ius Civitatis assumpti essent, » seque ei fideles fore sacramento obstrinxerant, iurarent » iterato in fide atque officio se perstituros. Cautum etiam, ne » mane ante sextam, vesperi post eamdem sextam horam, » domo egrederentur. Si quis auditus esset in urbe tumultus, » si quod enatum incendium, domi se continerent, nec in » publicum procederent, nec domi cum suis convivia agitarent, » aut colloquia miscerent. Inventos in publicum prodiisse post » tempus constitutum, aut incendio enato, proditorum loco » habendos; si qui iuramentum non iterarant, Civitatis iure et » privilegiis destituebantur. Qui urbe donati nondum erant, » aut iureiurando se in fide eius, dum in ea aetatem agant, » persstituros affirmare, aut exire eamque relinquere compel- » lebantur; et, ne ea gravior conditio hominibus, suarum » regionum studiosissimis, videretur, noluit Civitas eam iura- » menti religionem diutius servari illabefactatam, quam urbis » moenibus continerentur; quae ubi reliquissent, futuros ab ea » liberos atque immunes. »

» Mirandum auditu, repertos fuisse eo tempore plures mille, » qui Civitatem deserere, rationes suas imperfectas relinquere, » ad consuetam inopiam atque egestatem redire maluerint. . . » Deserebant ergo turmatim Civitatem, et in fronte et in oculis » minas servantes, dentibus frendentes, etiam apertis vocibus » pectoris sui virus evomentes. Excedere se, aiebant, Civitate » velut exsules et profugos, introituros fortassis non multo post » ut cives; futurum, ut, a quibus nunc pulsi viderentur, eosdem » cum summa turpitudine atque ignominia pellerent; mensuros » se aliquando pannum byssinum holosericumve, non ulnis, sed » hastis, et pecunias non lancibus aut numero, sed cassidibus » expensuros.

VII. » Hac pestifera hominum faece ut levata Respublica » est, ita hostium vires non mediocriter creverunt. . . . Nec » interim officio deerat Marchio Guilielmus Wervia, omnes » totius urbis angulos, popinas, lupanaria, maleficorum homi- » num receptacula atque latebras perscrutans; non satellitibus » publicis tantum, sed et sagittariis multis stipatus : cuius » cura effectum est, ut si qui portis recepti malevoli essent, » nusquam tutas latebras reperire potuerint. Adstringebantur » etiam edicto omnes tabernarii et popinarii, hospitum apud » se diversantium nomina ad Consulem referre, ita ut ne » cuiquam extero in tota Civitate potuerit esse locus inscio » Magistratu. His edictis urbe, velut vallo quodam altissimo, » contra proditionem munita, ad cetera, quae ad obsidionem » tolerandam hostesque propellendos spectare viderentur, cura » convertitur. Conflabantur immensae molis tormenta aenea; » pulveris bellici ingens parabatur copia; vacant per totam » Civitatem fabrorum cultrariorum officinae armorum aerugini » defricandae, acuendis hastarum, bipennium, gladiorum cu- » spidibus; cives tractare arma, tractare gladios, sclopetis » sese exercere, meditari praelia, poscere absentem hostem.

» Ne autem interim legum tractatio prorsus interrumperetur, » Senatus decreto bellicarum rerum cura Cornelio Spangio, » militaris rei non imperito, defertur. . . . Huic quo maior » esset auctoritas, et ne desint, qui eius imperatis satisfaciant, » duodecim ex publico aerario aluntur satellites. Ipsemet » circumire Civitatem, explorare portas, instaurare moenia, » aggeres iniquiores aequare, muros recipiendis tormentis » accommodare; eosdem diruere locis quibusdam, quod aut » minitari ruinam, aut tormentorum inde exonerandorum vim » toleraturi non viderentur; nihil omittere quod ad hostium » vim perferendam, ad muniendos oppidanos contra tormento- » rum ictus, hostesque arcendos spectaret.

VIII. » Erant multi qui hunc Senatus in hostes apparatum, » hanc Consulum diligentiam apertis conviciis verberarent; » indignum esse dictitantes urbis amplitudine, aliquam metus » significationem dare; nec deerant qui hostes fingi deierarent, » quo plebs commodius acquiesceret petitae paulo antea ab » augustissimo totius Belgicae Senatu exactioni. »

IX. Non ita censebat Imperator, cuius in favorem Cornelii Spangii supra laudati, inter Analecta Secretarii Valkenisse, hoc exstat decretum :

« Carolus, Dei gratia, Imperator Romanus etc. omnibus has » visuris salutem. Cum nuper ad notitiam nostram pervenerit, » quod varii malevoli nonnulla moliantur contra has citeriores » nostras ditiones, et nominatim Civitatem Antverpiensem, » eumque in finem diversis in locis equites ac pedites cogant : » Nos, licet, plurimum fisi divino auxilio et fideli adiutorio » nostrorum subditorum, speremus eis efficaciter occurrere » ad ipsarum ditionum tuitionem; considerantes nihilominus » quanti momenti sit sollicitius providere Civitati Antverpiensi, » propter multitudinem populi, ex diversis nationibus eo quo- » tidie affluentis; mandavimus nostris dilectis Marcgravio,

» Consulibus, Scabinis et Consiliariis dictae Civitatis, eius conservationi quam diligentissime advigilare; iudicavimusque eo necessarium esse virum bonum, fidelem et expertum, qui gerat Capitanei supremi officium. Et quoniam Marcgravius noster, propter proprias sui muneris occupationes, non ita commode poterit isti rei unice, ut opus erit, vacare; idcirco et ex notitia quam habemus de fidelitate et experientia dilecti nostri Equitis D. Cornelii van Spangen, quibus in re militari pollet; constituimus et ordinamus eum supremum Capitaneum d. Civitatis; dantes ei plenam auctoritatem et mandatum Capitaneatum talem exercendi, atque ad securitatem et custodiam Civitatis armandi diu noctuque vigiles, eosque visitandi, et generaliter faciendi quidquid ministerii talis erit, cum consilio Marcgravii, Consulum et Scabinorum : quem in finem adiungetur ei numerus duodecim hallebardariorum, impendio Civitatis alendorum : qui eum ubique sequentur et assistent in executione sui officii, super quo rite et fideliter gerendo ipse D. Cornelius van Spangen iuramentum dicet in manibus dilectae nostrae Sororis, Reginae viduae Hungariae atque Bohemiae, et Gubernatricis istarum ditionum a nobis institutae : quo accepto, eumdem Dominum illa constituet Capitaneum generalem d. Civitatis: mandando praedictis Marcgravio, Consulibus, Scabinis, Consiliariis, civibus, incolis, omnibusque ibidem degentibus, dictum Dominum Cornelium van Spangen agnoscere et habere ut Capitaneum generalem suum, eique praestare omne obsequium, auxilium et obedientiam, ubicumque opus erit et requiret. Sic enim Nobis placet : in quorum fidem.... Bruxellis 1 Iulii. *Subscriptum*

Per Caesarem — VERREYKEN.

» Hodie autem octava Iulii, D. Cornelius van Spangen congruum iuramentum, de quo supra, praestitit inter

» manus Reginae Gubernatricis, ad id commissae ibidem.
» Bruxellis. VERREYKEN. »

Sequitur eiusdem CAROLI Imperatoris mandatum, gallice scriptum Thesaurario generali et Commissis Financiarum, quo iubentur per suum Receptorem generalem, Robertum de Boulanne, solvere ipsi D. Cornelio quotannis, quoad vivet et Imperatori placebit, portione singulis semestribus dimidiata, pensionem centum librarum quadraginta grossorum monetae Flandricae.

X. Regredior ad historiam nostram, post quaedam interposita narrantem, quod « institutae erant et ab Hungariae Regina » Maria et a Senatu Antverpiensi legationes ad Clivensem, » exploraturae eius consilia. . . . qui respondit, nullas sibi » esse cum Brabantis belli causas; id postulare se tantum, ut » copiarum parti Mosam transire liceat, quo emacerati diutina » inedia milites refici possent.... Interim Geldri, non exspectato » responso, scaphis atque pontonibus copias transportavere, non » procul a Ravesteinensi ditione, qua parte Brabantiam prae- » sidio minime munitam esse cognoverant. . . Flumine traiecto » cum omnibus copiis (quae plus minus duodecim peditum » millia, equitum non plura duobus, levis armaturae non ultra » quingentos tenuisse dicuntur), primum sine maleficio aliquot » passuum millia emensi, versabantur, non ut hostes, sed ut » hospites. . . . Roshemius autem quibusdam militibus, quo » ipsos duceret interrogantibus, respondisse fertur: *nec palu-* » *damentum, quo amictus erat, passurum se comitari, si id* » *putaret consiliorum suorum esse conscium* . . . . Nihil ea » res Senatum, qui iamdudum hostium consilia animadver- » terat, movere, sed tanto magis hominibus vigilantissimis » suspecta esse coeperunt omnia, quo occultiora. Itaque custo- » dia urbis maiori, quam ante, excubitorum numero mandatur; » recognoscuntur oppidani, atque ad aciem instruendam, ad

» irruptiones in hostes, ad signa observanda exercentur; » videbat enim Senatus in consilio atque virtute sua Civitatis » salutem esse positam : quia exercitus in Brabantia nullus, » apparatus nullus belli, equites Lutselburgum profecti. Itaque » belli cura, nuper in solum Spangium reiecta, iam et Consuli- » bus et toti Senatui communis esse coepit : habebantur enim » et nocturna et diurna, non iam de litibus decidendis, » sed de bello administrando, deque civium salute tuenda, » consilia : quae non tam ad hostes e vallo atque muris » arcendos, quam intra urbem coniuratos quosdam compes- » cendos, referebantur. . . . . . .

XI. » Consules erant eo tempore Ladislaus Ursulus, ingenii » alacritate consiliique dexteritate, non minus quam dignitate » animi praestans, et Nicolaus Schermerus, ingenii agilitate, » consilii eminentia litterarumque felici tractatione non minus » summus quam corpore parvus. Senatum explebant Ioannes » Crombachius et Cornelius Spangius, Equites, ambo militaris » rei tractatione non minus quam Consulatus dignitate nobiles; » Arnoldus Scoytus, Gabriel Triapanus, quorum virtus etiam » aliquando in Consulatus officio spectata cum summa laude » fuit. . . . Succedebant iis Guilielmus et Petrus Halmali, ut » cognomine pares, ita nobilitate diutinaque Magistratus tra- » ctatione non multum inaequales; Ioannes Heydanus, Iacobi » illius Heydani, cuius memoria ob diutinam Quaesturae fun- » ctionem sacrosancta est, filius, Michaelis Heydani, aerario » publico praefecti, frater. Nec praetereundi sunt Iacobus » Hertius et eiusdem nominis a Ligneis pomis cognomen » Houtappelius; non etiam Ioannes Schyfius, litteris non minus » quam dignitatis splendore nobilis. Adiuncti his erant Adria- » nus Vledingus, Valderus Immerselius, Cornelius Berchemius, » et eiusdem cognominis Henricus; simul et Ioannes Roccoc- » cius, nobilitate atque virtute clari. Quare factum est, ut nihil

» quod ad salutem Reipublicae conservandam et proditionis
» consilia discutienda pertineret, potuerit desiderari.

XII. » Interim nuntiatur Roshemium, penitius in Brabantiam
» ingressum, non, ut ante, amicum se simulare, sed ferro atque
» incendiis hostiliter grassari. . . . Hochstratanamque arcem
» ei se tradidisse. . . . Hic autem dum aliquantisper morarentur
» hostes, viderenturque recta Antverpiam petituri, Renatus,
» Aurangiae Princeps et Comes Nassaviensis. . . . convocatis
» equitibus omnibus qui suo subditi erant imperio, quos, audio,
» plus minus quingentos fuisse; et cohortibus peditum octo....
» magnis itineribus eo contendit, praesidio obsidendae urbi
» futurus. Erat festus dies D. Iacobo sacer, cum Bredam,
» ditionis suae urbem praecipuam, dimisit. . . . concitatissimo
» cursu viam occupaturus. . . . Sed Roshemius eadem pene
» hora Hoogstratam reliquit et prior Braschatum venit. Ibi,
» dispositis insidiis, Principem fallit, atque in apertum prodiens
» fundit fugatque. . . . Ad huius rei nuntium Urbs tota, non
» in muliebrem luctum, sed in virilem audaciam ulciscendique
» cupiditatem solvitur. . . . Erant enim ante a Senatu singula
» ita provisa, ut non admodum metuendus hostis videretur.
» Ita constitutis superveniens Princeps, non fugienti sed
» triumphanti similis, confirmavit civium animos, atrocitate
» rumoris de clade sua perterritos, atque in melioris fortunae
» spem erexit. . . . . .

» Vix autem eo urbem ingresso, iam certissimis signis
» constabat, hostes advenisse in pagum, cui ab aggere qui
» olim eo loci obiectus mari fuit, Dammi nomen impositum....
» Audiebantur e moenibus. . . . in aedes vi irrumpentes. . . .
» cetera omnia omnibus agris et campis profundissime sile-
» bant. . . . Nec minus in urbe silentio pressa erant omnia;
» oppidani cum summo silentio stationes servabant; mulieres
» prae foribus quaeque suis, lychno superiori limini affixo,

» contra incendia, quae a proditoribus metuebantur, incredibili
» taciturnitate excubabant. . . . Nusquam tota urbe aut nolae
» aereae audiri, nec horae aequalibus intervallis loqui : quod eo
» rerum statu prudentissime provisum erat, ne certo tempore
» coniurati proditoresque aut convenire in eumdem locum,
» aut quidquam tentandi consilium capere possent; deinde,
» ne pulsus civitatis nolae aliarum voce obturbaretur.

XIII. » Erant praeterea profunda noctis silentia tanto terrori
» hostibus, ut ad cuiuslibet folii strepitum expavescerent;
» neque aut arma deponere ullo noctis tempore, aut libere ex-
» spatiari extra ordines auderent; adeo ut tota nocte explorato-
» res circum urbis moenia, consilia oppidanorum investigaturi,
» reptarent, metuentes aut de insidiis aut de eruptione haberi
» consilia. Nec minus momenti ad hostium adventum, et suf-
» fossiones animadvertendas id silentium erat habiturum, ita
» ut ne paucorum quidem adventus latere potuerit. Reptabat
» ad moenia, quae sunt inter Kipdorpiam et Rubram portas,
» ex vagis illis quidam, animadversusque est a moenium pro-
» pugnatoribus. Rogatus, quid hominis esset, cuius rei gratia
» ita furtim exspatiaretur? compendio ad utrumque respondit :
» Nihil ipsorum interesse. . . . Quidam ergo, destinatis ad
» hominis vocem sclopetis aliquot, qua humeris collum inniti-
» tur, glande feriunt : nec desinit ictus maledicere. Sed cum
» minis atque imprecationibus efflavit animam , auditaeque
» sunt eius voces dicentis adfuturos mox fratres suos, a quibus
» idem quod ipse, percussores sui paterentur. Circumibat
» tota nocte Marchio Civitatis, omnes ad secuturos obsidionis
» exspectatae labores animans. . . . Eadem fuit et Consulum
» diligentia. . . . Excubabant cum his aliquot alii : Praetor
» urbanus (Amptmannum vocant) Godevardus Sterkius, ad id
» officii evectus Imperatoris favore, cuius in aula cum summa
» laude aliquot annos versatus fuerat; et Ioannes Wervius,

» Urbis Praefectus (Scultetum vulgo nominant), cumque his » Civitatis Quaestores, Michael Heydanus et Guilielmus Kolb » sive Clava, atque Henricus Laurentius, vir et probitate et » pietate et consilio conspicuus. Eadem erat etiam his, qui a » Secretis erant, commissa statio; in quibus Cornelius Gra- » pheus, celeberrimi nominis maximique ingenii poeta; et » Petrus Wesembecius, vir exactissimi iudicii et promptissimae » facundiae. . . . Nec praetereundus Guilielmus Ritius, aut » Cornelius Dikius, ambo corporis firmitudine non minus quam » animi praestantia, valentes. Ceteri omnes aut Patres aut » Patricii Ordinis, qui vel dignitatis vel auctoritatis nomine » commendabantur, vallorum propugnatoribus praepositi. Sa- » gittariorum collegiis, quae ad forum stationes obtinebant, » praeesse iussus est Delfius, ante annos non multos cum » Ursulo Consul. . . . Opificum erant etiam multa collegia, » qui ad curias certas in quolibet tumultu confluere solebant, » mittendi deinde quo aut periculum aut rei bene gerendae » occasio vocarent. Huiusmodi institutum quia non admodum » praesenti negotio convenire iudicabat Senatus, decretum est » ut regionatim excubias in moenibus haberent, et attribue- » rentur cuique regioni ex Magistratu viri delecti.

XIV. » Dividitur autem tota urbs in regiones sive vicos » duodecim. Prima complectitur forum maximum atque huic » circumiacentes plateas, praecipue qua et occidentem et » meridiem spectat usque ad Croneburgicam portam, et eam » quae a Virginum sacrarum (Begginarum) loco extra illam non » longe posito, nomen ex hoc habet. Non procul ab eo loco muni- » tissimum erat Carthusiensium monasterium, contra Civitatem » a natura et collibus, dumis et arboribus ita obseptum, ut facilli- » mus illinc in subiectam Civitatem pateret prospectus, commo- » dissimumque locum bombardis in urbem dirigendis praebere » videbatur. Erat deinde superiore anno Croneburgicae portae

» vestibulum, dum nihil minus quam bellum exspectamus, ad
» nescio quem usum dirutum; ita ut negotio minimo porta illa
» accessum ad urbem datura putaretur. Hanc commoditatem
» quod hostes non neglecturi viderentur, factum est, ut primae
» regioni, quae et dignitate et numero civium ceteras vince-
» bat, hic locus tribueretur. Praeerant ei Adrianus et Petrus
» Vledingi, fratres, ut quos eatenus necessitudo copularat,
» periculum non disiungeret. Secundae regioni attributum est
» intervallum, quod est inter portam Begginarum et eam cui
» Divus Georgius praesidet: sequebatur haec imperium Arnoldi
» Scotti, hominis diutina Magistratus functione et senectutis
» reverentia venerandi, atque Ioannis Happardi qui ante annos
» non multos Quaesturam obtinuerat. . . . Sequebatur regio
» tertia, cuius fidei concreditum erat vallum usque ad Coria-
» riorum turrim, quae aequali propemodum intervallo et a
» D. Georgii et a Kipdorpiana portis distat. Illam autem in
» officio continebat Gabriel Triapanus, vir prudentia summa
» quam et multarum rerum usus et senectus illi addidit, suspi-
» ciendus; officiique collegam habuit Alvarum Almarassium,
» mira et oris et corporis dignitate reverendum. Sequebatur
» quarta regio, quae ad id loci quod inter turrim hanc
» et Kipdorpiam portam erat, praesidio tenebat, quaeque ad
» hanc in officio continendam pertinebant, administrabantur
» a Ioanne Crombachio, cuius fides animique magnitudo, dum
» in Pannonia sub Caroli V signis militaret contra Turcas, tot
» exemplis enituit, ut Equitaturae aureae ornamenta meruerit:
» huius autem praefecturae collegam is habuit Iacobum Hout-
» appelium, nuper ad Rempublicam admissum. Excubabat cum
» hac regione natio Hispanica, multis clarissimis fortissimis-
» que viris, nec non militibus pluribus quos proprio aere
» conduxerant, suffulta.

» Regioni quae ad forum Boarium conveniebat, adsignata

» erant moenia Kipdorpiam portam a Rubra separantia, sub duo-
» bus Corneliis Berchemio et Happardo. Ex horum moenium
» opposito, aliquot stadiis ultra templum D. Willebrordo
» sacrum, loco decliviori inter Dammum et Burgerhoutum,
» stationes suas hostis habebat; quod is locus natura contra
» bombardarum ictus videbatur munitus, nec ob angustias
» pauci a multis circumveniri possent. . . . a figulis, qui ibi
» ob materiam operi suo aptam olim habitasse creduntur,
» dictus DEN POTHOECK, ollarum angulus. Desidebat hic obser-
» vatrix copiarum pars; ceteri partim ad Brescatum tendebant,
» partim Merxhemium in loco aperto, qui via recta respi-
» ciebat ad iam dicta moenia; itaque haec servare iussi sunt
» negotiatorum Nationes quatuor. Collem, qui a Kipdorpia
» primus occurrit servabant Angli; secundum, Itali; inde qui
» Rubrae portae vicinus est, Lusitani; et his succedebant
» Germani.

XV. » Spectata sunt omnium eo tempore summa in hanc
» Rempublicam fides et studia, maxime Italorum, qui propriis
» pecuniis trecentis militibus stipendia solvebant; eaque in re
» primas obtinuit integritas Salviatorum, aulam Lyrensem
» habitantium, licet ante paucos menses urbis incolae esse
» coepissent. Aluit etiam milites aliquot Institor Lusitaniae
» Regis, et Germanicae Nationis Foccardi et Welseri. Deinde
» Erasmus Schetus, ut nomine et divitiis celeberrimus, ita
» virtute maxime conspicuus negotiator, pater Casparis Scheti,
» Homericae Iliados dedicatione non minus quam ingenio
» litterisque magni. Erant cuilibet Nationi sui duces, cen-
» turiones et decuriones; erant et sua signa et tympana;
» gliscebatque inter eas studium et aemulatio invicem apparatu
» bellico superandi. . . . Rubram portam excipit ea quae a
» Luto nomen habet. Moenia autem, quae inter eas sunt,
» praesidio servabat Guilielmus Halmalus, qui ut Amptmanni

» officium multo annorum multorum bono, ita cum paucorum » offensa administraverat. Adiungebatur huic eiusdem nominis » Ranstius, militaris rei longo usu callentissimus. Proxima » moenia, quae Pisternensem portam attingunt, habebant » Henricum Berchemium, antiquae nobilitatis hominem, et » Ioannem Roccoccium, optimorum parentum filium opti- » mum. . . . .

» Totus deinde is tractus qui ab ea porta ad Scaldim pertinet, » ubi pons est Hermanni Haxii dictus, Ioanni Heydano attri- » butus est. Fungebatur cum hoc eodem officio Cornelius » Vossius, senatoriae vir dignitatis. Excipiebant hos Ioannes » Nedervicanus et Guilielmus Immerselius, quorum ditio » ponte iam dicto et foro Piscario continebatur. Abhinc » usque ad portum qui a cerevisia nomen habet, HET » BIERHOOFT, Petrus Halmalus. . . . et Gelasius Asselerius, » ob virtutis admirationem superioribus annis ad Reipublicae » munia protractus. Regio undecima obtinebat loca proxima » usque ad portum D. Ioannis; praefectosque habebat Valderum » Immerselium. . . . et Ioannem Eyndensem, non minus » consilio quam aetate maturum. Restabat tantum id spatium » quod inter portum istum et portam Croneburgicam est, » commissumque est Ioanni Delphio et Cornelio Lyrano, » Marchionis Nicolai Lyrani, de Republica optime meriti, filio...

XVI. » Ad hunc modum constituta Civitas diem cupide » exspectabat, quo certi quid de hostium consilio e speculis » exploratoribusque cognoscere quiret. Et iam diem referebat » aurora, cum hostes, quos post templum D. Willebrordo » sacrum consedisse dictum est, subiectos campos occupabant. » Volitabant per omnes eius tractus semitas praedabundi, non » quidem turmatim, sed palantium more, ne bombardarum » ictibus feriri possent; eiaculabantur enim oppidani tam » continuam sphaerarum bellicarum vim, ut ictus vitare nullo

» modo potuerint gregatim incedentes. In campis templi, cuius
» paulo ante meminimus proximis, molendina erant non pau-
» ciora quindecim : haec certatim superant, convertunt eorum
» alas ad ventum, vela expandunt, confluunt undique ad tem-
» plum, in hoc rapinas dispositurì. . . . Haec cum e moenibus
» prospectarent oppidani. . . . nec templo parcendum esse
» duxerunt, ex quo non parum urbi incommodi inferri
» poterat : erat enim muro satis firmo undique munitum;
» deinde turrim habebat et firmitudine et altitudine mirandam,
» quam, tum ad cognoscenda sua consilia, tum ad prohibendos
» e moenibus propugnatores sphaerarum iactu, maximo usui
» hostibus esse posse animadvertebant. Excussus itaque est
» bombarda globus ferreus, aliquot librarum pondere, tanta
» vi, ut et murus qui templum ambiebat, perrumperetur, et
» dissiparentur valvae; deinde pila lapidea cui operis structura
» innitebatur, sic concussa est, ut videretur totum templum
» corruiturum. Sunt qui dicant, aliquot hostes, qui turmatim
» templum insederant, eiusdem globi impetu esse exstinctos;
» quod fugientium e templo pavor satis edocuit. Iam certo
» videbatur Consulibus atque Senatui urbis oppugnatio exspe-
» ctanda. Ei rei ut prospiceretur, iussae sunt omnes Civitatis
» matronae (nam viri moenia servabant) aut ancillas aut servos,
» sportis ligonibusque instructos, ad muros ablegare; quorum
» opera muri, terra altius egesta, contra tormentorum vim
» munirentur. Spectata fuit horum tanta alacritas, ut vallum
» quibusdam in locis ad murorum altitudinem consurgeret,
» quibusdam fornices totos paucis horis aequaret. Convehe-
» bantur undique vasa ingentia quibus merces asportandae
» includi solebant, convehebantur tota plaustra, sarcinis lana
» oppletis onerata : quae omnia humo iniecta adeo condensa-
» bantur, ut machinis bellicis non excipiendis tantum, sed
» et repellendis idonea putarentur. Incredibile dictu est,

» paucarum horarum spatio, iuventutis studio, moenia eam
» induisse firmitudinem per totum urbis circuitum, quae eo
» tempore, quo obsessa est ab hostibus Civitas, sufficere ad
» sphaerarum iactus excipiendos sit visa. Nec muri tantum
» terra aggesta exaequabantur, sed et vallum ipsum interiori
» instruitur ambitu, qui muris discretis tutas oppidanis statio-
» nes praeberet.

XVII. » Recipiebant eo tempore moenia a portis tantum
» propugnatorum accessum, ceteris partibus omnibus aut
» praecipitiis erant inaccessa, aut hortis amoenissimis impedita.
» Ea res cum non parum incommoditatis ad hostium sustinen-
» dos impetus opemque laborantibus ferendam esset habitura,
» praecipitia eodem iuventutis fervore ad molliorem accessum
» expanduntur, deiiciuntur hortorum impedimenta; et quae ad
» paucorum voluptatem olim comparata erant, ad communem
» referebantur defensionem. Locis plus minus quadraginta, ad
» viae compendium, perrumpebantur privata aedificia, per quae
» gradibus ex ligno factis in moenia ad quemvis casum ascen-
» deretur. Comportabant mulieres undique in moenia silices
» stratis viarum excussos, quin et vinculorum vasis detracto-
» rum, stupaque et pice obvolutorum tantam certatim vim, ut
» totae turres iis excipiendis impares sint repertae. Infigebantur
» itaque terrae altissimi pali, qui ad summum culmum ultra
» aliquot cubitos iis circumvinciebantur; eratque mulieribus
» tantus animorum fervor, ut ne in viris quidem maior ad
» repellendos hostes debuerit desiderari.

» Dum autem haec geruntur, admittitur per Kipdorpiam
» portam hostium caduceator, quod ceterae fere omnes terra
» aggesta inviae essent. Proponit missum se, et Holsatiae
» Ducis et Regis Galliae nomine, ut deditionem offerat. . . .
» Spectent praesens periculum, coniunctas esse duorum poten-
» tissimorum Regum Galliae et Daniae vires. . . . copiarum

» Ducem esse Martinum Roshemium. . . . victoriarum numero » nobilissimum: Imperatorem, aut undis Algeriensi expeditione » oppressum, aut in littus delatum, animi aegritudine supre- » mum clausisse diem. . . . Responsum est, ex communi » Senatus decreto atque plebis sententia: videri sibi mirum » quod tantae urbis auctoritas adeo ipsis contemptui esset, ut » non aut rege aliquo aut alioqui magnae potentiae Impera- » tore, sed latrone sceleratissimo duce eam tentare aggredian- » tur: externis auxiliis nihil sibi opus esse, quibus non tantum » copiae sint ad defendendam urbem, sed etiam ad acie » dimicandum in campo.

XVIII. » Nulla interim urbis pars, quae hostem spectabat, aut » eum contingere glandibus bellicis posse credebatur, vel mini- » mum tempus ab eiaculatione intermittebat... Senatus, interim, » ut Reipublicae rationes quam firmissime stabiliret, evocarat » e Flandria mille et ducentos milites, qui urbi praesidio et » civibus refocillationi in excubando essent. Erant agrestes, » corporibus prorsus giganteis, sed inermes. Apparuit eo tem- » pore mira Senatus nostri providentia, quae inermem istam » multitudinem armis, ad id repositis, ita instruxit, ut praeter » nomen militum nihil requirerent. Deerant hastae; allata sunt » mox aliquot plaustra in forum; proiectae in medium; cuique » quae sibi aptissima videretur arripere licuit. Data sclopeta ex » publico iis qui uti noverant; nec hi tantum, sed tenuiores » etiam cives armis idonei, iis instructi sunt. Nocte ea quae » Mercurii diem sequitur, multa et privata et publica, fana et » profana aedificia, in suburbio incensa sunt; ut et hostium » insidiae flammae luminibus proderentur, et obsidendae urbis » praecluderetur opportunitas. Fuit id durissimum Senatui, » suorum opes flammis cremari : sed quid non extorquere » potuit extrema totius Civitatis, atque adeo civium omnium » vitae necessitas. Inter D. Georgii portam et Kipdorpiam

» Collegium erat Virginum sacrarum (Nonnas vocant), non
» multis passibus ab urbis moenibus, e regione cataractae
» pensilis, cui firmissima arx, ante annos non multos erecta,
» innititur, quae eo consilio exstructa erat, ut si id Collegium
» ab hostibus occuparetur aliquando, ex hac in eos ardentes
» globi coniicerentur, quibus ab accessu prohiberi possent :
» totum autem hoc incendio aboletur. Prospectabant haec e
» moenibus oppidani, quorum nonnulli dolorem in lacrymas,
» plerique in iram atque ultionem hostium effundebant; efflagi-
» tabant etiam conviciis portas aperire : ferendum non esse,
» tantam Civitatem, non a militum, sed praedonum, proditorum
» atque sacrilegorum exercitu obsideri : posse vel sextam
» oppidanorum partem ei furori obviare. Consules vero atque
» Senatus, reputantes quantum momenti in urbis fideli atque
» diligenti custodia positum esset, maluerunt continendo cives
» suos intra moenia Civitatis saluti prospicere, quam eos portis
» emittendo et hosti obiicere, et publicam salutem in periculum
» vocare.... Discussis tandem tenebris, emittebantur portis (iis
» maxime quae hostes spectabant) cives aliquot, ut quid hostes in
» animo habeant, cognoscere queant : videbantur enim e moe-
» nibus totum illum campum, qui a D. Willebrordo nomen
» habet, pervagari, et nunc dumis arboribusque, quibus is
» locis munitissimus erat, se tegere; rursus ex latebris in
» apertum se dimittere : quae res aut suffossiones aut vallorum
» erectiones videbatur minitari, quae propter arbores obiectas,
» non e moenibus, sed per exploratores cognosci poterant.

XIX. » Toto hoc die eadem fuit oppidanorum disciplina,
» quae ab hostium adventu fuerat. Servabant regionum Prae-
» sides accurate loca sibi designata. In officio ad Forum
» persistebant Iaculatorum iuratorum Collegia; Marchio, Con-
» sules atque Praetor Urbanus clavum periclitantis urbis
» tenebant cum iis, quorum ante meminimus. Emittuntur

» undique ex moenibus, turribus atque portis in hostem globi:
» curatur ne quid urbi a proditoribus inferri discriminis possit:
» examinantur omnes tabernae popinariae, oenopolia atque
» diversoria publica. . . . Ab eo tempore animus oppidanis
» crescere, hostibus imminui alacritas coepit; siquidem, ut
» viderunt proditionis consilia discussa, coniectos eius auctores
» in vincula, nusquam tota urbe nasci incendium, eique in
» horas singulas venire auxilia, et tantam bellicarum machina-
» rum vim in muris ac turribus portisque dispositam, nec die
» nec nocte ab eiaculatione globorum tempus ullum intermitti;
» ad saniora solvendae obsidionis consilia animum adiicere
» coeperunt: quae ut occultiora essent, secundo die a S. Iacobi
» festo, non procul a porta Rubra, aliquot signa, praecedente
» terribili taratantarae cantu, cui concitatiores tympanorum
» bombi admiscebantur, velut mox urbem assulturi erexerunt.
» Contorta ergo eo est tanta bellicarum sphaerarum e moenibus
» multitudo, ut prae fumo conspici clarissimo die sol non
» posset.

XX. » Qui ad Croneburgicam portam stationes habebant
» oppidani, audito hoc assultus futuri apparatu, ad Senatum
» referunt de incendendo Carthusianorum Collegio, quod extra
» eam portam situm, oppugnandae eminus urbis, ob situm
» munitionesque firmissimas, facultatem praebere videretur....
» id ni fiat, minantur se moenia eo loco deserturos. . . .
» Iniectae sunt ergo in hoc faces, non paucorum odio, sed
» communis salutis studio. . . . .

» His studiis transacto die, nox supervenit; quae cum oppor-
» tuna videretur hostium tormentis urbi admovendis.... cavetur
» ne tota nocte ullae eiiciantur bombardis sphaerae, ne earum
» sono hostium coepta ullo modo obnubilarentur. Taciti iuben-
» tur omnes observare stationem suam auremque subinde
» ad hostes admovere, quo strepitus equorum bombardas

» advehentium exaudiri commodius posset. Silent in urbe omnia; » nusquam aut bombardarum tonitrua, aut tympanorum bombi, » aut alioqui paucorum strepitus audiebatur : quod silentium » eo fuit hostibus admirabilius, quo ante tumultuosiora fuerant » omnia. Aliis deinde affectibus ex aliis (ut fit) mentem tentan- » tibus, cum et suam paucitatem et Civitatis amplitudinem » reputarent; viderentque in proditione, qua maxime freti, » tentandae urbis audaciam conceperant, nihil subsidii esse.... » Dum machinas admovendas exspectamus, hostes de amoven- » dis iis cogitant; dum eos accessuros propius putamus, illi » de discedendo consilia capiunt.

» Erat noctis hora, quantum ex siderum motu videbatur » (nam horologia toto eo tempore muta fuerant), circiter » prima, cum subito flagellorum, quibus equi ad laborandum » incitantur, verbera audiri ex moenibus, excitari pedum » equorum laborantium plausus non procul Dammo. . . . . » Oppidani, qui inter Rubram et Kipdorpiam portas excu- » babant, haec e moenibus audientes, cum non multas ante » horas de oppugnatione futura rumor per totam Civitatem » sparsus esset, ad sustinendos hostium impetus sese accin- » gere, et monere eos qui bombardis praeerant, illuc, ubi » tumultus audiebatur, globos dirigerent : ceteris moenibus » omnibus, ad quae is strepitus non pervenerat, altissimum » erat silentium. Exonerata fuit igitur eum in locum bombarda, » cuius sonitu excitati omnes machinarum Praefecti, qui » non frustra exoneratam eam putabant, ab ea parte qua » hostes castra habebant, immisso igne, non in ventos; sed » in regionem eam quam hostes tenebant, tormenta direxerunt; » ita factum ut unico momento plura trecentis in hostes » sint exonerata.

XXI. » Vagabatur eo tempore per totam Civitatem fama, » hostes ea occupasse moenia quae sunt inter Pisternensem

» portam, et eam quae a Luto nomen habet : cuius famae » dubium non est quin auctores fuerint proditores. Itaque » nola maxima, cuius signum in rebus dubiis observabatur, » tristi atque lugubri sonitu Civitatem personabat. Regionum » earum Praesides, quas ad Scaldim excubasse dictum est, » agmina sibi concredita illuc versus agere. Audiebantur ci- » vium se mutuo cohortantium voces. Iaculatorum iuratorum » Collegia, acie instructa, Forum servabant, eo properatura » quo periculum vocasset. Ita de hostibus profligandis cogi- » tabamus, qui iamdudum fugam meditabantur : promoverant » enim machinas bellicas, non ad urbem, ut e moenibus » fieri putabant oppidani, sed ad fugam capessendam : quam » sub auroram non dissimulanter arripuerunt. Inceditur Merx- » hemium; inceditur Dammum, incenduntur aedes multae » extra Rubram et Kipdorpiam portas, omnes eae molae » quas in campo Willebrordi templum cingente fuisse demon- » stratum est, incenduntur. . . . . . . Profecti deinde per » Burgerhoutum, ad locum qui a figulis nominatur, omnia » incendiis atque rapinis miscuerunt. Hinc Ranstum, inde » Lyram praeterlegunt; a cuius oppugnatione multitudine » globorum ignitorum deterriti, Duffelam petunt : qua non » sine maximo detrimento depopulata, Lovanium tendunt; » sed et hinc telorum missu reiecti, Gallo-Brabantiam prae- » dabundi pervagabantur, et, non paucis acceptis undequaque » vulneribus, ingrediuntur Galliam, victorias suas Gallo » nuntiaturi : atque ita clarissima Civitas. . . . . . . servata » incolumis est. »

Hactenus Servilius, verbis propriis, sed istic ubi puncta notantur. . . . truncatis, absque historiae detrimento, et vel sic prolixis satis; non tamen plane omittendis, propter singulorum hominum locorumque notitiam, quam suggerunt. Quod addam aliunde, non reperio, nisi proditionis, toties a Servilio nominatae,

indicia satis manifesta fuisse. Nam ex Mss. narrat Caukerkius, quod, « ea nocte, qua Antverpiam accessit Roshemius, deprehensi sunt aliqui catenas sitularum, supra puteos ad aquam » hauriendam pendentium, lima atterere vel implicare, ne » servire possent ad restinguendum incendium urbi ex quatuor » partibus iniiciendum; prout illi fassi sunt. Variis etiam domi» bus inventus est suppositus pulvis tormentarius : cuius » facinoris auctores comprehensi nonnulli, plures conscios » nominarunt, qui tamen vel apprehendi vel convinci non » potuerunt. Interim, die xxvi Iulii, postridie S. Iacobi, erectum » in Foro patibulum est; in eoque, die xxix, suspensi ex illis » duo, quorum capita, corporibus in quatuor partes sectis, » infixa palis hostiumque conspectui exposita sunt. »

Petri Verulii Rotulus addit, quod ea in fuga, rupto circa Duffelam ponte, nonnulla tormenta in fluvio mersa sint, et Secretarius Valkenisse etiam notat, fuisse eadem xxix Iulii captum iuvenem, qui cum viginti sociis moliebatur carceri ignem iniicere : quos crediderim omnes ex iis fuisse qui carcere clausi tenebantur; et quoniam nullum legitur de his sumptum supplicium, haud temere coniectabis suspicionem inventam falsam, iuvenemque dimissum. Similem successum non habuit quod ex eodem Edictorum libro, ubi prius istud notatum invenerat, eiusdemque libri folio 26, idem Secretarius scribit, xxi Iulii fuisse ordinatum, ut, laxatis cataractis, totus suburbanus ager, ad unum in circuitu milliare, inundaretur; quod tamen factum non videtur, ideoque a Servilio praetermissum.

Quod ad Reipublicae Capita, ab eodem Servilio laudata ac nominata, attinet, in his ne confundatur lector ambiguitate titulorum, intelligat *Guilielmum Wervium* ab eo vocari *Marchionem* Civitatis, *Marcgravium* nos dicimus; ab eoque distingui eius, si non fratrem, saltem consanguineum Ioannem, urbis, ut ipse appellat, *Praefectum*, vulgo *Scultetum;* Amptmannum

vero *Godevardum Sterkium* nominari *Praetorem Urbanum;* et sic in epitaphio apud Swertium, pag. 170 (quod infra dabitur ad annum obitus M.D.LXXXVII), scribitur *dict. praet. (dictus Praetor)* XLIII *an.*, titulo scilicet usque ad mortem adhaerente, quamvis officium ab anno circiter X cessisse debuerit *Ioanni vander Linden,* et huic successisse *Ioannes de Straelen.*

XXII. Porro, ex rationibus huius ipsius anni M.D.XLII descripsit Caukerkius notitiam portarum, turrium atque domorum, tunc circumeuntium Civitatem, atque ad eius tunc ius pertinentium, ordine haud inutili ad distinctiorem cognitionem praeteriti temporis, propter mox inductam mutationem.

Turris Croneburgica, eo fere loco sita, ubi nunc est in moenibus molendinum, hodiernae portae Croneburgicae proximum, superiori sua parte manebat ad usum Civitatis; inferior autem habitabatur a portario, Nicolao de Bruyn.

Turri, ad navale S. Ioannis posita, utebantur frumenti Mensores, conducta sex libris totidemque schellingis Brabanticis, annue pendendis; quod deinceps subintellige.

Meatus supra portam, ab Alexandro, nescio quo, dictam SANDERSGAT, ad alterum angulum praedicti canalis, elocabatur Iacobo Houtman, pro duabus libris.

Domus, ad portam dictam HET BIERHOOFT, servit intendentibus cerevisiae accisiariae; et aedicula ad ripam posita, cerevisiae vectoribus.

Turris Pistorum, elocata viduae Ioannis Cordes, reddebat annue triginta schellingos.

Officina, imposita ponti DE LOOKBRUGGE, Adriano Paeschiers relinquebatur utenda, pro VII libris; et eidem coniuncta aedicula vigiliarum, Dominico Roest, pro II libris.

Habitatio supra *Turrim Piscariorum,* Aegidio, Civitatis coquo, pro libris II elocabatur; pars autem inferior permittebatur usui eius, qui pactione redemerat ius telonii quod INGELT

appellatur, et cui recipiendo destinata domus dicitur HET INGELT-HUYS.

Aedicularum Wervae impositarum una servit Proxenetis vinariis, ubi venum allata vina gustanda exhibeant; altera operariis Geranio ministrantibus, dictis DE KRAENKINDERS, ubi instrumenta sua et utensilia reponant.

Aediculam, impositam ripae, ab asseribus DE BERDERS WERF nominatae, habitabat Nicolaus Bertels, pro libris II.

Aliam, *iuxta portam Hermanni Haexii*, conductam habebat Nicolaus Ruels, pro IV schellingis.

Notat autem Caukerkius, pontem, ab olim stratum trans canalem S. Petri, nomen retinere eiusdem *Hermanni Haexii* : unde patet, ita dictam portam huic ponti fuisse propinquam, itaque hunc pro illa a Servilio nominari.

Porta Pisternensis, cum sua turri et adiuncto exiguo stabulo, relinquitur usui portarii (sita autem erat eo fere loco ubi nunc est aedicula sigillandis vasis cerevisiariis, vulgo HET SEGELHUYS, soluto vectigali, foras exportandis destinata); post eam autem portam erat ampla et speciosa Camera, serviens Guldae flavarum togarum, quam Sagittariorum fuisse credit Caukerkius, et iconismus ipsius portae, quem hic ex tabula Advocati Nys exceptum vides, habet prae foribus positum coloris istius sagittarium. Mirum est porro, quomodo hac aetate variaverint nostri, non solum in nomine huius portae (quam antiquiores appellaut *Pisternensem)* : nam tabula topographica addita Guicciardino, id nomen dat isti, quam vocamus *Rubram*, idemque facit mappa edita anno M.D.LVI : ubi etiam *Lutosa*, de qua mox, vocatur *Porta Bergensis*.

Turris inter Cisternensem et Lutosam portas vacua erat. *Lutosa* porta erat ad usum Wilhelmi, Nuntii Civitatis : ea autem tunc stabat ubi trans Hessorum domum nunc est braxatoria, Nolae nomen et signum, DE BELLE, praetendens.

In Turri, media inter Lutosam et posticum, DEN CRUYPHOL, sic dictum quia solis peditibus pervium (eo loco ubi nunc est cataracta retro Capucinos), cum turribus et caveis manet ad usum Civitatis.

Rubra porta relinquebatur portario.

Kipdorpia, nunc superne destructa, inferius elocabatur.

Coriariorum turris manebat ad usum Civitatis : quae postea iuxta illam Italis, follari pila cives recreantibus, locum aptavit, DE BALONPLAK dictum.

Praegrandem turrim, eo fere loco sitam, ubi nunc porta Caesarea est, ad exercendam anatomiam obtinuerant Chirurgi, quae postea speciosior elevata, vel a scandulis quibus tegitur, nomen accepit Caeruleae turris, DEN BLAUWEN-TOREN, vel a Braxatoribus, qui illam aquae dulcis cataractam ei imposuerint, DEN BROUWERS-TOREN.

Porta S. Georgii duobus civibus olim locata, nunc superne destructa, conversa est ad usum Guldae Gladiatorum.

Portae Begginarum nulla alia notitia antiquitus invenitur, nisi sub appellatione postici DEN BEGGYNENHOL; videturque stetisse ad angulum Carthusianorum, ubi hodiedum terminatur via a Begginis dicta.

Hae autem omnes portae ac turres eodem ordine spectantur in sciographica urbis tabula, quae nunc in Curia asservatur : cuius ectypon, in brevem formam contractum, proponit Apparatus topographicus, §. 2, multam lucem accepturum ex hac descriptione.

XXIII. Redeo ad historiam : et noto quod, digresso cum suis Roshemio, mox curaverunt Antverpienses destruendam funditus turrim et ecclesiam S. Willebrordi, ad supradictum locum DEN POTHOEK tunc sitam, propius Civitatem quam nunc; ac deinde ex ruderibus fundaverunt grande ad portam Rubram propugnaculum, primum lapidem ponente Consule Crombachio.

Deiecta est etiam Porta Kipdorpiana ex mandato Dominae Margaretae, quatenus officiebat fundandae novae; quod autem ex ea adhuc superest, et, qua patebat per eam ingressus egressusque, ita adhaeret novae, ut nunc serviat huius custodibus ad agendas vigilias nocturnas, et ad diurnas stationes, ipsique portario ad habitationem, manenti sub una earum turrium, quae veterem portam stipabant : quarum duae occidentaliores ad novae huius latus manent plus quam dimidiae, absque ullo impedimento, imo cum aliquo emolumento, sicut hodiedum spectantur. Destructa similiter eminentiore parte veteris portae Georgianae, mox coepta est, inter hanc et Caeruleam turrim, nova exstrui, ab ingressuro illac primum Caesare dicenda *Caesarea*, quamvis vulgus, veteri nomini assuetum, promiscue etiam illud usurpet. Nec male : nam uti vetus ecclesiam illam proximam sibi habebat, sic ab eadem itur ad novam; via similiter nova in Orientem, ducta per fundos maioris Hospitalis aut huic proximos, eaque larga et utrimque aedibus clausa, quarum unum latus proprium Hospitali manet, quomodo etiam per campos eiusdem Hospitalis ducta est pone illius hortos via alia, a nova tapetiorum Halla ducens ad novam hanc portam, altam pedes L, latam LXXX; possetque pro suggesto tormentario esse; a foris autem tam eleganter elaborata est, ut merito referatur inter magnificentiorum operum specimina.

XXIV. Supra veteris portae Georgianae limen a foris stabat, seque offerebat ingredientibus statua *S. Georgii*, quam inde sumptam Civitas donavit Guldae Balistariae, eum patronum habenti : in cuius horto supra metam erecta, supposito in marmore sic loquitur :

ALSSER DERTHIEN HONDERT VIERTHIEN VOOR DATUM STONT
WAS ICK IN S. IORIS POORT VERHEVEN,
EN DOEN MEN VIJFTHIEN HONDERT VIER EN VIERTIG VONT

BEN ICK DESE MYNE GULDE GEGEVEN :
NU ALS MEN SESTHIEN HONDERT VIERTHIEN HEEFT GESET,
IS MYNEN OUDERDOM DRY HONDERT JAREN NET.

quorum versuum haec est latina interpretatio :

Cum mille ter centum quatuordecim notabantur,
Supra Georgianam portam erectus spectabar.
Sed cum mille quingenti quater X *quater* I *notabantur,*
Huic meae Guldae congruenter donabar :
Nunc ergo, cum mille sexcenti quatuordecim scribuntur,
Anni mei praecise trecenti inveniuntur.

XXV. Ad suburbana monasteria quod attinet, ea non quidem Roshemianae irruptionis impetu eversa fuerunt, ut quidam credidere (haec enim fere substitit inter Kipdorpiam et Rubram portas); sed illius occasione incensa fuerunt ab ipsismet civibus nostris : quod mirum est tacuisse Servilium, solumque indicare voluisse metum a Carthusia Kilana. Ast Ludovicus Torrius, ipsius loci asceta, apud Baronem Le Roy, pag. 81 : « Populus, » inquit, metu saevus, cum desperata perditaque omnia » existimaret, a Consulibus Antverpiensibus impetrat, ut » Sermentitii aliquot homines emittantur, qui monasteria » subiecta moenibus incendant, ne edito, ob idque opportu- » niore tormentis, loco potiretur hostis, et audacius inde » praesidio destitutam urbem oppugnarent. Praetexuit prae- » terea populus, ad odiosi facti defensionem, illam quoque » vanitatem, quod omnis publicae cladis causa futura esset » Domus nostra : unde nec vanum est, quod quidam notarunt, » nimirum divino iudicio cives praeparasse locum pro arce, » quam oderunt in ultionem tam praecipitis consilii, quod nec » Consules approbarunt nisi coacti, nec Nobilitas gratum ac » ratum habuit. » Ita ille. Et Sanctimoniales quidem in urbem receptae, de novis ibi monasteriis condendis mox cogitare

coeperunt. Carthusiani vero Kilani etsi suum quoddam habebant in urbe hospitium, habeantque etiamnum Lyrani iuxta novum monasterium postea exstructum; quia tamen Imperator in mox proferendo edicto, die XVI Augusti, iussit monasterium suburbanum, iam flammis consumptum, funditus destrui: Kilani, desperata illius restauratione, alium locum novo conventui aedificando petierunt, obtinueruntque in oppido Lyrano, prout anno M.DC.LIV die III Septembris testatus est Magistratus loci, hoc tenore verborum :

XXVI. « Notum facimus, et ut certam veritatem testamus, » quod Patres Religiosi Carthusiani Antverpienses, post sui » istic monasterii ruinam, ex dispositione Superiorum suo» rum cumque nostrorum civium publico consensu, in no» stram Civitatem transierunt, circa annum M.D.XLIII, ubi » novum monasterium exstruxerunt : et exinde semper apud » nos resederunt, utentes et fruentes bonis quibus utebantur » et fruebantur Antverpiae manentes, absque ulla cuiusquam » oppositione; absque eo etiam quod RR. Patres, Silvamducis » translati, aliqua eorum parte utantur fruanturque. In quorum » fidem, absque fraude vel dolo malo hasce scribi et per » Secretarium nostrum subscribi, nostroque ad causas sigillo » muniri fecimus. *Stobbaert.* »

Testimonium hoc ideo Carthusianis, nunc nostris, necessarium fuit, ut Statibus foederatis, ipsorum bona apud Silvamducis et alibi sibi vindicantibus, demonstrarent falsum esse, quod illi volebant praesumi, bona veteris Antverpiensis, id est Kilanae Carthusiae, ipsis in compensationem istorum data fuisse. Hic addiderim, Carthusianorum monasterium Lyrae non ita novum esse, quin illi iam antea ibi habuerint conventiculum aliquem, ut anno M.D.XLVIII loquitur Cardinalis Caraffa, asserens quod, dispersi ex Kila, coacti fuerint eum restaurare; quem conventiculum suspicari possumus Kilanae Carthusiae

coloniam fuisse, cum titulo Rectoratus, a Priore S. Catherinae in Kila quadamtenus dependentis : sicuti vidimus domum S. Sophiae prope Buscoducum, deductis Ruremonda colonis, initio tantum fuisse Rectoratum, qualis etiam initio fuit Buscoduco adducta Antverpiensis hodierna.

XXVII. Nunc venio ad eam, quae hoc autumno maxime fervebat, novarum munitionum curam, sub architecto (ut ait Guicciardinus) Mag. Donato Boni, Pelizzuolis Bergomate, coeptarum quidem ante Roshemianam irruptionem, sed a Civitate, suo periculo cautiore magisque sollicita vehementer nunc promotarum, iuxta Caesareum Privilegium, ante acceptum, et hoc tenore renovatum :

» Marcgravio et Sculteto Civitatis nostrae Antverpiensis, » salutem. Quandoquidem Magistratus et Rectores Civitatis » nostrae Antverpiensis praefatae, Nobis ordinantibus et man- » dantibus, intendant iamque inceperint eamdem nostram Civi- » tatem munire; eoque necesse sit, varias domos et arbores, » tam intra quam extra ipsam, demoliri; idcirco, re considerata » et explorato iudicio variarum notabilium personarum, rei » militaris intelligentium, volentes eiusmodi munitionem ad » publicum commodum et securitatem praefatae nostrae Civi- » tatis promovere, cum consilio Dominae dilectae nostrae et » carissimae sororis, Regnorum Hungariae atque Bohemiae » Reginae viduae, nostrarumque in citimis hisce provinciis » ditionum pro Nobis Gubernatricis, Equitumque et Consilia- » riorum nostrorum, definivimus et ordinavimus, definimus et » ordinamus, sequentes articulos.

» I. Ut qui circa praedictam nostram Civitatem adhuc habent » domos vel arbores assurgentes, teneantur easdem domos, » aedificia et habitationes, arbores et crescentia ligna demoliri, » et exscindere circum praedictam nostram Civitatem, ad » spatium quingentorum passuum circumcirca aestimatione

» quinque pedum in singulos, ad summam bis mille quingen-
» torum pedum, incipiendo ab extima ripa fossarum Civitatis
» eiusdem ; idque intra spatium hebdomadarum trium a
» publicatione praesentium : si quis autem in mora fuerit,
» liceat Magistratui et Rectoribus Civitatis quae remanserint,
» demolienda et exscindenda curare, in eius commodum, qui
» id suo sumptu facere voluerit; sub hac nihilominus condi-
» tione, ut iis qui sic coacti fuerint domos suas et arbores
» solo aequare, teneantur praedicti Magistratus et Rectores
» praestare operarios ad id necessarios, salva mercede iusta
» in hoc laboraturis solvenda.

» II. Ut intra praescriptam lineam non liceat in perpetuum
» construere domos aliquas, vel arbores plantare, aut etiam
» sepes vel valla erigere quocumque modo, sed solum fossas
» simplices ducere, sub poena quod secus aedificata aut erecta
» destruenda sint, ipsius proprietarii sumptu, et sub mulcta
» centum Carolinorum florenorum in singula eiusmodi aedi-
» ficia, et decem in singulas arbores sive sepes. Item ut
» proprietarii omnes sic deiecta et humi iacentia teneantur
» auferenda curare intra praescriptas tres hebdomadas, et
» sub poena praescripta.

» III. Ut intra praedictos limites, ad passus ducentos, non
» liceat saxeas seu lateritias domos struere, sive arbores in
» altum surrecturas plantare, sed solum humilia tuguria ad
» usum et conservationem hortorum istic tolerandorum, cum
» frutetis et arbustis eodem pertinentibus.

» Item, ut intra Civitatem, incipiendo a muris iam stantibus,
» complanetur spatium septuaginta quinque pedum, deiectis
» domibus arboribusque ibi forsan existentibus, ad erigendos
» inibi aggeres qui superius lati sint pedes quadraginta, sic
» ut latitudo vallorum inferior sit pedum septuaginta quinque,
» atque ut intra centum pedes, ducendos ab infima parte

» vallorum, non liceat quidquam aedificare, sub mulcta prae-
» dicta.

» IV. Ut omnes fabri, tam murarii quam lignarii, teneantur » allaborare munitioni praedictae Civitatis, quoties ad id requi- » siti fuerint, sub congrua mercede a Rectoribus d. Civitatis » definienda.

» V. Ut, durante opere munitionis eiusmodi, nemini tota » Civitate liceat quidquam novi operis seu aedificii fabricandum » curare, absque consensu Magistratuum et Rectorum dictae » Civitatis.

» VI. Ut monasterium Carthusianorum, iam flammis con- » sumptum, funditus destruatur.

» VII. Ut munitionis istius novae opus celerius progrediatur, » ordinavimus, ut liceat ex proximis locis et hortis tantum » terrae sumere, quantum opus erit; ita tamen ut indemnitati » proprietarii, quoad fieri poterit, consulatur.

XXVIII. » Porro, ut nemo huius nostri edicti ignorantiam » praetexere valeat, Vobis mandamus et ordinamus, ut praesens » edictum curetis quam primum affigi et publicari, per omnia » vestrae iurisdictionis loca, procedendo ad executionem poe- » nae praemissae, citra ullam dissimulationem contra refracta- » rios, quacumque oppositione non obstante; ad eiusdem » edicti realem executionem concedendo Vobis, Magistratibus et » Rectoribus praedictae Civitatis nostrae, plenariam potestatem, » mandantesque omnibus et singulis officialibus, civibus et » inquilinis ipsius Civitatis, auxilium Vobis et manus porrigere » adiutrices, ubicumque fuerint requisiti et necessarium erit. » Nam ita Nobis placet. Datum Bruxellis, die XVI Augusti » M.D.XLII. PER CAESAREM. » id est Gubernatricem Mariam, omnia agentem fratris nomine, tunc quidem ab infelici in Africa expeditione regressi, sed procul absentis.

Tale autem Diploma (sicut mandabatur) impressum continuo

fuit apud Martinum Nuyt, sub insigni S. Iacobi in area ad Ferream Libram, DE YSERE WAEGE; unde vel ipse vel eius liberi, ad Cammeriam viam, Bibliopolis frequentem, migrarunt; ubi pueri vidimus florentissimum eius nepotem *Martinum Nutium*, studiosae iuventuti imprimentem Graeca Latinaque praecepta, et utriusque linguae auctores, in gymnasio Societatis Iesu explicari solitos.

XXIX. Auctorem ideae, secundum quam struendae munitiones novae erant, alicubi reperi nominatum *Donatum Boni, Pellizuoli Bergomatem*; quod unde confirmem vel infirmem, non habeo; sed invenio Civitatem delineatam a Virgilio Bononiensi, novis istis (ut conceptae primum vel ab hoc vel ab isto fuerunt) munitionibus circumdatam, et longa largaque in tabula, ex foliis. . . . compaginata, descriptam, figuris ligneis satis rudibus, quas nonnemo in minorem unius folii formam contraxit; sed unicum ego dumtaxat minoris formae exemplum vidi, maioris duo, apud Advocatum Nys et apud Caukerkium. Distinctiorem haec vicorum domorumque speciem offert oculis, multaque particularia illius temporis conspicienda et cognoscenda praeberet si aliquando renovaretur. Verum quis hoc exspectare audeat? quando ne modernae quidem Civitatis speciem hactenus aliquis expandere conatus fuit, praeeuntibus licet exemplo Bruxellensibus, qui anno M.DC.XXXIX civitatem suam ichnographice simul et sciographice spectandam dederunt in tabula quindecim foliorum. Volebat Virgilius praelaudatus, vel si quis alius primae munitionum novarum ideae auctor, veteres circum urbem muros portasque omnes sic abolitas, substitutis novis, ut nulla earum reliqua remaneret, sicuti ex tabula praedicta liquet; ubi neque veteres portae, Georgiana et Rubra et Kipdorpiana, hodiedum ex aliqua parte superstites ad alios licet usus, neque Coriariorum aut Caerulea vel Braxatoria turres adhuc integrae loco suo, neque Croneburgica, primum sub Duce

Albano destructa, apparent: apparet autem, quae in opus deducta non est, speciosa Caesareaeque nihil cessura porta Croneburgica; non ea quae nunc est, ad ripam Scaldis (quamquam et haec mansura erat), sed ex altero ipsius turris latere, terrestris versus meridiem porta, responsura viae Hobokanae altiori; apparet etiam loricae totius corona saxea, qualis est nunc in solis propugnaculis, cum alibi terrea sit, ambulationi quam defensioni aptior. Apparet similiter uniformis ad ripam Scaldis munitio, qualis nusquam in nova civitate est. Inutiles quoque iudicatae sunt quadratae moles seu castella, supra muros inter propugnacula sic dispositae, uti singulae aeque ac propugnacula ipsa onerari tormentis possent; unde factum, ut tanta propugnaculorum ab invicem distantia, deficientibus illis, fecerit deinde munitionem totam imperfectam videri. Eadem tabula, novis portis singulis molibusque per muros dispositis iungit minorem aliam ascensui subvehendisque tormentis servituram, qualis nec ad portas quidem deducta in opus est : adeo ut erraturus sit qui in ista Virgiliana tabula habere se credet formam perfectam eius quod denique constitit, operis, et cui et tunc et toto XVII seculo acquievimus. Propius ad veritatem accedit, nisi quod loricam, ex parte terrae perfectam, per murum ducat, minori in ligno forma, quam habes anno M.D.LXVI excusam in descriptione Belgii, italice galliceque editam a Ludovico Guicciardino, priusquam iconoclasmus Civitatem foedarat, et quae Virgilius destrui voluit, reliquit ut erant. Interim ex utraque tabula aliisque inde sumptis cognoscere licet formam lateris meridionalis, quod Dux Albanus solo aequavit, ut Civitas ea parte muris nudata, semper indefensa maneret contra arcem, quam ibidem construxit, et cum qua in praetensam aream, quartum Civitati incrementum, extenso latius pomoerio, accessit.

XXX. Quamquam autem, ut iam dixi, non omnia facta sint uti Virgiliana idea requirebat, iuvat tamen ex eius tabula

hic adiungere descriptionem Civitatis, anno M.D.LXXV his verbis conceptam :

« En vobis, Spectatores candidi, apud Belgas emporii » celeberrimi Antverpiae formam, a Virgilio Bononiensi ad » vivam similitudinem geometrica ratione in vestrum com- » modum delineatam, et Corn. Scribano Grapheo descriptam, » ac ab utroque, dum superstites essent, demensam : ut » qui eam ipsam urbem, longe lateque fama undique cognitam, » ob locorum distantiam spectare non potestis, hac inspectione » velut praesentem praesentes, coram intueamini. Sita est » haec urbs apud Belgas, in confinibus ditionis Brabantiae, » e regione Flandriae, cis amoenissimum Galliae flumen Scal- » dim, in ripa eiusdem. Habet vero Flandriam ac Scaldim » moenia praeterlabentem, ab occidente, agrum autem Bra- » banticum ab oriente. Porro Scaldis, ea parte qua urbem » alluit, etsi in hac pictura, ob rationis prospectivae de- » curtationem videatur exiguus, patet tamen in latitudinem » passus CC.XXIIII. Est autem eius urbis forma fere hemisphae- » rica. Habet in murorum ambitu, cum nova ad Boream Civi- » tate (quandoquidem iam tertium amplificata est), quinquies » mille ducentos ac XII passus, singulo passu quinque conti- » nente pedes, seu mavis, antiquos Romanos seu Antverpianos; » nam pares sunt. Distenditur sua diametros in longitudinem » ad passus DCCC.XLIIII. Habet aedium viarumque insulas CC, » pontes vero intra moenia, fossis et canalibus aquas fluminis » in urbem ducentibus, impositos LXII. Fora plus minus XX, » vicos seu regiones XII, aedes sacras cum monasteriis, aedi- » culis et xenodochiis plus minus XXXVI. Sinus, quibus naves » intra moenia recipiuntur, VIII. Ostentat Civitas longe pul- » cherrimos ex vivo idque candido lapide insuetae crassitudinis » muros, quibus extrorsum inferne adhaerent ingenti mole » dena ex eadem materia propugnatoria valla ; septenis superne

» incumbentibus non minori mole ex vivo saxo castellis, Itali » *Cavalleros*, Galli *Planas formas*, Hispani *Pastillos* vocant.

» Portae magnifico sumptu, opere Dorico ex durissimo » marmore constructae sunt quinque, praeter magnificam » molem ordine et altitudine castella aequantes. Fossae post » moenia, ut insueta latitudine multo amplissimae, ita et » aquis per occultos canales e flumine ductis profundissimae » urbem usque ad praeterlabentem Scaldim inaccessibili mu- » nimine cingunt. Pomoeria ab extremis fossarum oris in » quingentos protenduntur passus. »

Hactenus sculptor tabulae Virgilianae, vel alius pro eo, non oblitus ecclesiam et turrim Marianam laudare, verbis hic praetermissis, atque de suo addere novae Curiae, licet eo quo scribebat anno, primum condi coeptae, descriptionem aliquam.

XXXI. Quod autem operis novi factum initium sit, priusquam Martinus Roshemius terrorem suae irruptionis inferret, satis ex praemisso Caesaris diplomate liquet : liquet etiam in eodem lentius esse progressum, quam Virgilianae tabulae curatores persuasum voluerunt. Antiquiorem ego habeo sculptam in ligno, mox atque portam a se dictam ingressus is fuit, cuius in proximo eidem propugnaculo hic titulus a foris legebatur : DIVO CAROLO. V. CÆS. Ibi nihil perfectum videas praeter novam hanc portam, cum suo utrimque propugnaculo, et ponte atque Caerulea turri supra cataractam aquae dulcis; cetera versus Croneburgium atque Kipdorpiam informia omnia, semirutae maceriae speciem referunt; et prope turrim quidem hians murus per sublicium pontem patet ad transitum, eo loco ubi novam atque Caesareae similem portam ac pontem designavisse Virgilium dixi; versus Kipdorpiam videas Coriariorum turrim extra muros in fossam procedere, quae novis muris nunc includitur; tum sequuntur minores turriculae

duae, more veteri adhaerentes muro, ac denique Kipdorpiae portae, tota vetus, cum sublicio ponte, et aliquo propugnaculi novi initio; atque ita porro circumitur per Rubram antiquam versus Scaldim, intercurrentibus Cruypholdio, Cisterciensi, Lutosa et Haxia portis, citra ullam toto isto latere munitionem, nisi quod palustris ille fundus, quem nova nunc Civitas occupat, ad Scaldim quidem leviter muratus, leviori porro opere concludi videatur, in spem futurae loricae.

XXXII. Ast anno M.D.LVI et VII, duabus oblongis tabulis, trium foliorum singulis, *Ioannes Liefrinck* et *Franciscus Huys*, successive sculpi et excudi fecerunt prospectum Civitatis occidentalem a parte Scaldis, et orientalem a parte Brabantiae; ubi nominatur ANTVERPIA *Europae decus*, et adscribitur illud decantatissimum Scaligeri epigramma :

Oppida quot spectant oculo me cuncta sinistro,
Tot nos invidiae pallida tela petunt.
Lugdunum omnigenum est, operosa Lutetia, Roma
Ingens, res Venetum vasta. Tolosa potens :
Omnigenae merces. artes priscaeque novaeque,
Quorum insunt aliis singula, cuncta mihi.

Et in priori quidem tabula cernitur, hinc tota ad Croneburgicam turrim munitio, cum novo aggere Hobokam ducturo, per alterutram seu altiorem seu inferiorem viam; inde novae Civitatis multo perfectius rudimentum, novis braxatoriis instructum, et proprio navali; ultra quod per fundum, tunc adhuc vacuum, aliud navale ducitur, paulo post duplicatum, ut inter duo navalia collocaretur Osterlingorum augustissima domus, de qua infra. Cum vero Virgiliana mappa procuderetur, iam sublati erant qui veterem a nova Civitate dirimebant, muri ac portae, manente fossa; et ipsa nova Civitas pro quatuor supradictis portis lateris Borealis, coepit habere

unicam *Aggerariam*, DE DYKPOORT, vulgo DE SLYKPOORT, *Lutosam* : *Rubra* vero locum situmque mutaverat; et quae porta fuerat, conversa est in armamentarium seu pulverariam turrim.

Hae quas dixi tabulae, aeque ac vetustior praememorata, adeo evidenter ac saepe aberrant in sacrarum et profanarum aedium plurium forma ac situ, tum inter se, tum a Virgiliana accuratiori, ut frustra facturum credam, qui inde conaretur ideam aliquam veteris ante annos ducentos Antverpiae efformare; quare, ea cura dimissa, transeo ad quaedam privatim acta discenda ex Caukerkio, veteres Quaestorum rationes, pro ea, quam suum sibi munus dabat, libertate, curiosius scrutato.

XXXIII. Tale est quod « huius anni mense Augusto, Regina » venit Antverpiam, ad spectandam pompam amburbalem, » ducendam proxima Marianae Assumptioni Dominica, tunc » casura in vigesimam tertiam mensis istius. Huic spectaculo » commodissima censebatur domus Ioannis Noys. Itaque ad » hanc Consules et Scabini invitarunt Maiestatem suam, simul- » que ad prandium ibi sumendum cum suis : in quod prandium » reperiuntur expensae librae LI, schellingi XVIII, stuferi VI. Dici- » tur etiam opulentissimus quidam mercator Italus, Iulianus » Dozzi, Reginam, Bruxellas regredientem, sumptuosissimo » ientaculo excepisse in suo praedio Hobokano; cuius aulae » omnes speciosissime depictae, etiam nunc monstrant quanta » eius olim magnificentia fuerit. Patinarum quibus cibi in- » ferebantur, margines feruntur fuisse margaritis inspersae, » ostreorum conchae inauratae omnes; focus ex odoratis aro- » matis totus, cui accendendo admota est Caroli Caesaris » signata manu scheda obligatoria, de summa multorum » millium ipsi Iuliano debitorum. Superest autem in ecclesia » Mariana, post pulpitum concionatorium, fenestra Dozzii, » ipsius in ea genuflexi monumentum. »

XXXIV. Quoniam vero in oecumenicis Civitatis rationibus hic

versamur cum Caukerkio, placeat ex his ab eo discere, « quod » in iam dicta processione, ad ientaculum et coenam Magistratui praebitam, in cibum ac potum reperiantur impensae » librae XXIII, schellingi XV, stuferi X. Eadem occasione » praebitum est honorarium vinum, ut in iisdem rationibus » legitur, suffraganeo Episcopi Cameracensis, qui sacrum Praeputium gestaverat, ad mensuram XII cantharorum civitatis; » Diacono et Subdiacono canthari IV; Virgifero I; Praelato » S. Bernardi XXV; S. Michaelis XII geltae; Provinciali Carmelitarum XVIII geltae; deinde vero Provinciali Praedicatorum » eiusque capitulo hic celebrando canthari XLIII. Ad processiones quoque SS. Iacobi et Georgii praebitum Magistratui et » Bonis Viris hoc anno vinum post meridiem Civitati stetit » libris VII. Moris etiam erat ut Consules, Scabini et Consiliarii, » una cum Guldistis aliisque Bonis Viris, omni nocte excubias » in Curia servarent : itaque statutum est, ut sic excubantibus » praeberetur vinum, cerevisia, panis et caseus : solutaeque » eo titulo sunt caveae Curialis Praefecto, Francisco Hagens, » librae XXXVI, schellingi X; in ligna autem cespitesque ad » focum in hieme, stuferi IV.

Locus deinde pendendae accisiae vini ac cerevisiae, qui antea fuerat ad fossam saccarariam (cui tunc applicatae domus etiam nunc ibi noscuntur ad angulum borealem) alio translatus est. Equi etiam vertendo Geranio servire soliti, et stabularii ad pontem qui a Via Vinearia, DE WYNGAERT-STRAET, ducit ad Forum (ubi nunc turbae seu cespites ustiles colliguntur pauperibus distribuendi, HET TORFHUYS) longius ad Legutam migrare iussi sunt.

Mattheus Simons, accisiae iura fraudasse convictus, damnatus ad duas decempedas novorum moenium suo aere ducendas, solvit septem Brabanticas libras : Michael autem Diertins ad tres, quia excubitoribus nocturnis iniurius fuerat, solvit in

eumdem finem libras XII. Res ideo visae notatu dignae, quia inde apparet quam sedulo ageret Civitas, ut undecumque colligerentur sumptus ad tantam molitionem necessarii, et quo pretio aestimarentur decempedae singulae totius operis.

XXXV. « Opus erat Civitati, inquit Servilius, domo in qua » pulvis tormentarius conficeretur; quia molae eo servientes » extra Civitatem, omnes erant a Roshemio combustae : nec » inventus est locus eo aptior quam pratum siccandis linte» aminibus serviens, extra portam Pisternensem; qui locus » etiamnum invenitur post ergasterium male feriatorum, vulgo » TUCHTHUYS. Ergo ab eo qui ipso sibi locato utebatur, redem» ptum illud est, et eo translata pulveris istius molendi officina, » mox confecta ingens illius copia. Fusae quoque sunt maximo » numero aeneae ferreaeque bombardae omnis generis, non» nullae etiam longae pedes XXII; quarum septem, totidem » planetarum nominibus insignitae, simul pendebant libras » M.D.XXVIII. Nec minus curatum est, ut ferrearum pilarum, inde » emittendarum, competens numerus haberetur, curruum quo» que quibus imponerentur; denique arma quaecumque offen» siva ac defensiva, in casu necessitatis distribuenda civibus » propria non habentibus. »

XXXVI. Coeptum etiam est hoc anno cogitari de nova Curia construenda eo loco ubi tunc Halla lanaria erat; eumque in finem de Sacellanis Basilicae Marianae fuerunt omnes illae domus a Civitate redemptae, quae intra forum maius et frumentarium vetus viamque Maldericam et coemeterii saxis strati latus boreale continentur. Quas domos eadem Civitas paulo post revendidit, addita conditione, ne earum aliqua toto illo vico innovaretur, quo facilius Civitati esset, reddito pretio, eas complanare, vel alium publicum in usum vertere, quandocumque liberet. Itaque adhuc omnes manent in foro humiliores, maleque materiatae, dum nulla in iis, nisi summe

necessaria ne ruant, reparatio fit. Reperit autem in Libris Rationum Caukerkius, quod emptione ista gravaverit se Civitas censu annuo bis mille Carolinorum.

XXXVII. Curaverant etiam Consules et Scabini, iam inde ab anno superiori, emendum Civitatis usui locum dictum DEN LEGUYT, inter pontem S. Petri eumque qui Pons altus dicebatur, ad initium campi Falcontini, secundum fossam quae Civitati veteri iungit publicum olim pratum, DEN DRIES; quo in loco congestae erant multorum privatorum aedes; sed harum quarumdam venditoribus contractum rescindentibus, non poterat Civitas earum possessionem integram adire. Tandem vero, litibus decisis vel compositis, elocatus hoc anno locus est Coriariis Amstelodamensibus. Ab his crediderim aedificatum opus illud quadratum ac grande, quod nomen antiquum retinens, ad angulos duos lateris meridionalis adhuc monstrat duas fabricae alicuius vetustissimae turriculas, in iisque caelata capita prospicientium per fenestras, cum characteribus exesis et a nemine hactenus explicatis. Habent ea speciem mutuo se irridentium, ut videri possint vel loco nomen dedisse, vel nomen loci ipsis sic fingendis occasionem; nam *Irridere* dicitur UIJTLACHEN, unde verbale LACHUIJT, *Irrisio*. Totius fabricae interiorem conspectum videre in Curia licet, depictum cum hac subscriptione sub nota anni M.D.LXVII, et cum nomine LEGUIJT, ducto ab UIJTLEGGEN, exponere :

DIE GROOTE LEGUIJT TOEBEHOORENDE DESER STEDE
IS 'T LOGIES VOOR HUIJVETTERS VAN AMSTELDAM MEDE.

Leguta magna, pertinens ad hanc Civitatem,
Amsteldami Coriariis dat hospitii facultatem.

XXXVIII. Porro, cum per vastitatem, a Martino Roshemio eiusque causa illatam suburbiis Antverpiensibus, pleraeque ibidem domus profanae ac sacrae destructae iacerent, easque

reaedificari edictum Carolinum prohiberet, contigit plures quam ter mille novas intra urbem construi. Ita asserit Guicciardinus, allegans edictum Civitatis, Roshemiana irruptione atque adeo edicto Carolino posterius, quo cautum sit, ne quis intra spatium ter mille quingentorum pedum, id est passus M.C.XVII, domum ullam muratam vel coctis imbricibus tectam aedificaret. Idem Guicciardinus ultra ter mille novas domos alias mille numerat, plurimum auctas aut ab ipsis fundamentis renovatas, cum scribebat et opus suum anno M.D.LVII evulgabat. Istas autem omnes, tam veteres quam novas domos, in tabula Virgiliana spectari non ausim spondere, licet videam ibi domum Osterlinganam aliaque nonnulla novae Civitatis, tum solummodo designatae, et adhuc vacua aedificia addita a sculptore, annis XXV post delineatam ideam, tabulas suas perficiente.

Eodem tempore quo Civitati ad Orientem, sicut supra, muniendae intendebatur, aliqua etiam cura visum est egere latus boreale, quamvis illud utcumque tutum redderet palustris fundus ac plerumque stagnans. Etenim, si fundus iste includeretur muris, tutos semper poterat praestare linei ac lanei panni textores, fullonesque et tinctores, ipsum pannum istic ad solem expansuros aut siccandos aut dealbandos, dum quae huic rei servierant prata intra veteres muros, incipiebant fere omnia structis domibus occupari. Decretum est ergo ut, amotis qui a Rubra porta ad Hermanni Haexii seu portam seu pontem stabant, muris, novis aliis indidem usque ad S. Laurentii munimentum ducendis, Civitas extenderetur : et haec est quam novam Civitatem appellamus, circumeuntem per decempedas CCX a Rubra porta ad cornu boreale, dictum *S. Laurentii fortalitium*, Scaldi impositum, et secundum flumen usque ad Geranium saxeum. Hinc factum, ut Civitas, maxime postquam ei ad Meridiem accessit arx Hispanica, formam habeat extensi

arcus, cui pro nervo Scaldis sit, longus decempedas D.CLX, arcus vero circumductus M.L decempedas excedat. In istud autem incrementum totumque murorum, portarum, fossarum ac propugnaculorum novorum circuitum fuisse impensum ultra millionem unum aureorum coronatorum, ex Libris Rationum Caukerkius observavit.

XXXIX. Ad Trivium, sic dictum locum ubi concurrunt maior ac minor via Hospitalaria cum Coriaria, DEN DRYHOEK, vicinis expensas conferentibus, factus est grandis ille et formosus puteus qui etiamnum ornat locum. Hic puteus, seu arcus triplex ei impendens, nostra memoria sustentabat saxeum tabernaculum (nescio an etiam ante iconoclasmum) cum triplici Deiparae statua, quae undecumque venientibus salutandam se offerebat, accenso ad singula latera lumine honorata. Nunc ex reditu ad eam rem constituto, manent lumina, et unica elegantior statua cernitur sedentis cum filio ad gremium Deiparae, inter tres lucernas : puteus enim ex re triangularis est; et aliis fere solo aequatis, quia viarum decori officiebant, manet ille incommodus nemini, et pio spectaculo transeuntibus utilis, magis quam olim Trivia Diana Gentilibus.

A. C. M.D.XLIII.

—

COMMISSARII XVIII APRILIS. *Feria* IV, *hebdomade* IV *post Pascha, actum* XXV *Martii.* — D. Philippus de Lannoy, Toparcha de Molembais. — D. Engelbertus van Dale, *Cancellarius.* — D. Georgius Witham, Toparcha de Ysesse. — *Secretarius qui supra.*

CONSULES. — D. Wilhelmus van Halmale. — II. D. Lancelottus van Ursel.

SCABINI. — D. Ioan. van Crombach. — Arn. Schoyte. — Gabriel Triapain. — M. Nic. de Schermere. — Io. Draeck. — M. Iac. Hertsens. — Corn. Happaert. — Alvar. d'Almaras. — M. Pet. Vledinx. — Ioan. vander Heyden. — Henr. van Berchem. — Corn. de Vos. † — *Subst.* Nic. Rockox. — M. Ioan. Scheyff. — M. Didericus vande Werve. — Wilhel. van Immerseel.

ARGUMENTUM.

I-II. Gilleberti Schoonbekani studium et industria in novis operibus ad Civitatis commodum ornatumque moliendis. III. Nova accisia in favorem Caesaris concensa. Annuit Pontifex Caesari medietatem proventuum Ecclesiasticorum. IV. Correcti abusus quidam. V. Libertas civium contra Amstelodamenses asserta. VI. Obitus Bartholomaei Tucher, patris inclytae hic familiae Norimberga traductae. VII. Illata suburbiis nostris clades, Geldris et Cliviis repensa Marcoduro everso, ceterisque oppidis passim subactis. VIII. Obitus Gerardi van Deurne, Quaestoris, cuius caput integrum repertum post x annos. IX. Accisiae ad novas munitiones auctae. X. Vina Canariensia ad Wervam, navibus tempestate mersis, servata.

ACTA.

I. « FLORUIT hoc tempore usque ad annum LIV quidam » GILLEBERTUS VAN SCHOONBEECK, qui emendis iterumque revendendis agris ac fundis, intra extraque Civitatem, non solum » ipse factus est opulentus, sed etiam plurimum contulit ad » decorem patriae communis, aedificando plurimas domos » novas, viasque ducendo, et alios ad similia opera animando, » imo et iuvando, materia industrie et levi pretio comparata. » Ita emit magnum ac vacuum fundum, dictum DEN RAEMHOF; » per eumque duxit viam a Regibus nuncupatam DE CONINKSTRAET, nec non eam quae inde tendit trans domum Anglicanam usque ad forum Boarium. Emit etiam spatiosum » arvum et a plantando lupulo dictum HET HOPLANT, pluresque » largas ac rectas vias per illud duxit, ac domos in eo a se

» constructas mox revendidit. Item veterem Lombardam, per » quam traxit viam eiusdem nominis, nec non alteram viam ei » respondentem trans curiam S. Bernardi; unde viae isti » nomen S. BERNAERTS STRAET.

» Abbas etiam Baudeloensis, Gandavi, Gilleberto vendidit » curiam Baudeloi dictam, cum adiuncto et vacuo fundo, per » quem facta est via Iudaeorum, Carmelitis eum in finem » vendentibus fundi sui decempedas XIV, ad aestimationem » librarum L; aliis vero similis summa soluta fuit pro pedibus » DXXIII; estque ea via, a Coriariorum vico ad Wapperam ducta, » earum quae nullo tramite intersecantur, longissima; et alia, » a canali istac transeunte dicta DE VAERTSTRAET, et instruxit » eamdem aedificatis utrimque aedibus. Ipsam quoque domum » quae supra praedictum canalem consistit ad Meram, inter » iam nominatam viam et aliam huic in altera canalis ripa » respondentem, quae dicebatur HET HOEKHUYS, in altum eduxit, » eamque cum adiunctis hortis insulam fecit.

» Latifundium post S. Michaelis vacuum, apertis per ipsum » viis, distinxit et exornavit novo Querceto, ubi publica Civitatis » opera fabricarentur, DEN HOUTEN EEKHOF inde dicto: qui locus » perfectus est anno M.D.XLVIII cum novis braxatoriis. Denique » alia multa particularia opera et speciosa, hinc inde per » Civitatem empto fundo, ornavit, extulitque atque revendidit; » quae singula enarrare longum foret.

» Extra Civitatem vero comparavit sibi a Marcgravio curiam » eius ad Bekam cum vacua planitie, sedecim mille decempedis » patente, quam longis ac pulchris viis distinxit, quas *Leyas* » vocant, a Marcgravio, a Caesare, a Lucinia, atque aliter » nuncupatas; sic autem distinctos fundos, vendebat rursus ea » conditione, ut quisquis ab eo locum emeret, hortis vel » domibus deliciarum ornandum, ante suam ipsius domum » arborem unam plantaret.

II. » Ut autem animos omnibus faceret Civitatem simili » ratione decorandi, levigato pretio materiae eo necessariae, » emit a S. Bernardi Abbate octo iugera terrae, ad lateres » coquendos idoneae, iuxta Scaldim; ubi fornaces viginti qua» tuor vel triginta fecit exstrui, quarum etiam nunc quotidianus » est usus, cum maximo Civitatis commodo. Item ad Seven» bergem paludes habebat suas unde cespites effodiebantur, » quibus advectis ad praedictas fornaces, hae accenderentur. » Denique obtinuit a Sua Maiestate licentiam emendi ad Mosam » et construendi officinas calcis ustae atque non ustae, *tiraciam* » passim vocant. Impetravit etiam facultatem caedendi in silva » Buggenhoutana aliquot millia procerarum quercuum, unde » sectae trabes aliaque opportuna aedificantibus ligna pretio » viliori cunctis volentibus praepararet. Atque ita ille, nulla » cuiusquam privatim iniuria, magno in publicum beneficio, » grandes ipse sibi opes comparavit, et aliis monstravit ratio» nem qua fortunas suas quisque augeret. »

Atque haec de Gilberto isto plus satis; hic tamen coniunctim fuerunt dicenda, sicut ea in Ms. codice reperisse profitetur Caukerkius, quia non tam facile poterant ad suos quaeque annos referri, ut alia quae deinceps suo singula loco notabuntur.

III. Tantarum molitio rerum, ad quas successive contulisse Civitatem ultra millionem aureorum coronatorum iam supra diximus, praeter impendia privata Schoonbekii et aliorum ipsius exemplo hortatuque inductorum : « tantarum, inquam, » molitio rerum non impedivit quominus Antverpienses in » favorem Caesaris consentirent, ut caro quaecumque, bubula, » vitulina, porcina et vervecina, a foris in urbem illata, accisiae » subiaceret. Eidem, contra Infideles pugnaturo, iterum an» nuit Pontifex medietatem proventuum omnium Ecclesias» ticorum; nec tamen bona sic gravata fuerunt exempta ab » oneribus civilibus aliis; unde graviter afflictus Ordo sacer

» fuit, » uti testantur rotuli saepe citati. Valkenissii Chronica dicit, « etiam a Secularibus domos, fundos aut reditus possi» dentibus, exactum nummum decimum eius quod valebant » vel aestimabantur, pretii. Anno deinde sequenti, adiectum » est, ut proprietariis, decimam istam solventibus, locatarii » quoque vigesimum nummum penderent, prout fieri coeptum » post Pascha » tunc celebratum xiii Aprilis. Denique novo operi favens Gubernatrix mandavit venustissimas duas portas Kipdorpianam et Georgianam, Rubrae adhuc stanti similes, destrui, ne earum respectus consilia turbaret.

IV. « Interim de pauperibus quoque sollicita Civitas, mu» tulis, MOSSELEN, passim et familiarius vesci solitis, ne sua » illi mensura a vendentibus fraudarentur, iniunxit Arnoldo » Vesens, vietori, triginta duas mensuras conficere, cauterio » Civitatis inurendas, ad usum eorum qui ipsos mutulos » venales circumvehunt. Iustitiae quoque interesse videbant » aboleri inolescentem consuetudinem certandi, deposito pi» gnore, super mulieres praegnantes, masculumne an feminam » utero gererent; quoniam ea occasione multae, praesertim » pauperes feminae, partus vel alienos supponebant sibi, » vel proprios occultabant cum periculo moriendi sine ba» ptismo. Statutum est ergo, ne cui tali capite actio daretur » in iudicio, tamquam ex inhonesta pactione. Similiter et » iure merito displicuit consuetudo quorumdam, domi suae » porcos habentium in honorem SS. Antonii, Huberti, vel » Iacobi; qui, per diem emissi, vicatim pascebantur, sub » noctem revertentes : quod cum religioni ac venerationi San» ctorum officere potius quam proficere prudentiores censerent, » mandatum fuit, ut eiusmodi animalia omnino auferrentur » a plateis, infra Octavam proximi Paschatis et Pascha se» quentis anni, v Aprilis recursurum; neque deinceps liceret » eiusmodi porcos sic alere, sub poena ipsorum amittendorum.

» Ne tamen honori praefatorum Sanctorum quidquam dece-
» deret, statutum est, ut quotannis circuiret aliquis cum
» argentea patera et crumena, qui eodem nomine colligeret
» eleemosynam, in similes pios usus expendendam.

V. Sed et libertati civium apud exteros nihilo segnius consultum fuit. « Cum enim quidam Antverpiensis Amstelo-
» dami esset contra sua privilegia arrestatus, consensit Caesar,
» ut quaecumque Amstelodamensium bona intra Brabantiam
» reperirentur, aeque ac personae eorum, vicissim arrestaren-
» tur, » prout reperitur in I vol. Priv. fol. 238.

VI. Dum ista curantur, obiit in Civitate is qui forsitan primus huc Norimberga traduxit propaginem inclytae istic familiae TUCHERORUM, etiam istic honoratorum, neque a fide Catholica sic plane cum Republica ista alienatorum, quin anno M.DC.LIX, illac transiens, invenerim in aede principe S. Sebaldi sacellum, olim ab ea familia honori venerabilis Sacramenti exstructum, cum nuper insigniter renovato altari, ardenteque ante ipsum lampade; eo, qui id curaverat curabatque, Tuchero excusante rem, a more novi Evangelii alienam, fieri ex testamento maiorum, a quibus relictam sibi obligationem nec posset nec vellet irritare. Ut ut istic se Norimbergae Tucheri habeant, Antverpiae certe constanter Catholica ea familia mansit, manetque etiam nunc; cuius, ut arbitror, caput fuerit *Bartholomaeus*, in choro Mariano ecclesiae principis tumulatus, cum hoc epitaphio, inter Analecta Advocati Nys reperto, supra sepulcrum toti familiae serviturum ex mente conditoris, subintelligendo verba defuncto vel defunctae vel quid simile :

BARTHOLOMAEO TUCHER.

EX NORICA GENTE QUAE AB HENRICI IV AUGUSTI TEMPORIBUS CONTINUA MAIORUM SERIE REIPUBLICAE SUAE PRAEEST, ANNO M.D.XLIII, XXVI

DIE OCTOBRIS; ET HERBERTAE DENS, EIUS UXORI, ANNO M.D.LVII, DIE XXIX MARTII; POSTERIS OMNIBUS ET CONIUGIBUS EORUM, IN SPE RESURRECTIONIS HIC QUIESCENTIBUS.

Bartholomaei frater aut filius fuerit *Ambrosius Tucher*, *Mariae van Ursel* coniunctus, et anno M.D.LII defunctus, ut praelaudatus Nys mihi scriptum reliquit. Ex alterutro si processit *Robertus* (de quo ad annum M.D.LXIII defuncto pluribus infra) habebimus honoratissimam Tucherorum seriem huc usque deductam.

VII. Porro per aestatem huius anni Geldris reposuerunt Brabanti cladem, quam superiori anno fuerant ab illis passi. Itaque qui tunc ipsam ad Fastorum calcem his versibus consignarant :

ROSSEMS GEWELT HEEFT BRABANT GESTELT
IN BERNENDE KOLEN,
SCHOON DORPEN GEVELT, GODS VRINDEN GEQUELT :
WAT BAET HET VERHOLEN?

qui, inquam, superiori anno sic Fastos concluserant, hoc praesenti anno, simili per antiphrasim metro, rescripserunt :

BRABANTS GEWELT HEEFT DUREN GESTELT
IN ROODE KOLEN,
GELDERLANT GEQUELT, RUREMONDE GEVELT :
SY HEBBENT BEQUOLEN.

Ubi *Marcodurum* intelligitur, inexpugnabile (ut tunc videbatur) Iuliacensium Geldro, confoederatorum oppidum expugnatum, expilatum, incensum a Caesarianis XXIV Augusti, ut fuse Strada noster, breviter Loyens, ambo perquam eleganter describunt, et quomodo tali exemplo territa cetera Geldriae ac Iuliae oppida in Caesaris potestatem venerint; ducesque ipsi, pacem petere coacti, benigne in gratiam recepti sint, etiam Roshemius.

VIII. Die XII Iulii obiit, et apud Franciscanos ante chorum sepultus est GERARDUS VAN DEURNE, Quaestor huius Civitatis, cum annis LXXX vixisset; hic dignus commemorari, « quod » eius caput post annos decem (verba epitaphii sunt apud » Swertium, pag. 165), consepeliendae coniugis gratia, cum » reliquis ossibus effossum, integris adhuc canis, vivo prorsus » simillimum, prae eius memoriae causa spectandum locave- » runt superstites liberi istic ubi matrem Catharinam van » Veken patri contumularunt. » Nunc neque caput neque epitaphium superest, utroque per iconoclastas, ut verosimile est, dissipato.

IX. Ex libro Decretorum B, fol. 49, habetur, « quod die III » Octobris, ad opus novarum munitionum, ultra consuetam » accisiam indictus est assis unus in singulas cerevisiarias » tinnas, et sex in amas vinarias : die autem XXIX Novembris » statuti sunt in eumdem finem Commissarii *Nicolaus de* » *Schermere, Michael vander Heyden, Ioannes Boon et Petrus* » *Adriaensens.* »

X. Memorabile denique est, quod saeviente gelu et grandia glaciei frusta advolvente Scaldi, die XX Novembris naves duae, Canariensi vino onustae, collisae subsederint; vina tamen fere omnia salva educta inde sint, labore et industria epibatarum, atque inter *Virides cives* divendita, sicut in veteri manuali Ms. reperisse se Caukerkius scribit; *Virides* (ut arbitror) *cives* nominans Iudaeos, isto fortassis tunc colore distinctos, quorum multi fuerint Lusitanis permixti, sicut iidem nunc quoque sub isto nomine gaudent latere. Naves certe ipsas puto Lusitanicas fuisse, quae istius modi vina advehebant.

A. C. M.D.XLIV.

Praetor. — Dominus Ioannes de Immerseele, Toparcha de Baudrij.

Commissarii xiv maii. *Feria* iii *post Dominicam* iv *a Paschate, acto* xiii *Aprilis*. — D. Dux Arschotanus. — D. de Merode. — D. Engelbertus van Dale, Toparcha de Leefdael, *Cancellarius*. — M. Wilhelmus Pensaert, *Secretarius*.

Consules. — D. Ioannes van Crombach. — D. Lancelottus van Ursele.

Scabini. — Arnoldus Schoyte. — Gabriel Triapain. — M. Nic. de Schermere. — Wilhelmus van Halmale. — Adrianus Vledinx. — Cornelius van Berchem. — M. Iacobus Hertsens. — Ioannes van Heyssele, *alias* vanden Eynde. — Henricus van Berchem. — Ioannes Rockox. — M. Iacobus Houtappel. — M. Ioannes Schyff. — Didericus vande Werve. — Paulus van Dale.

ARGUMENTUM.

I. Processio venerabilis Sacramenti religiosius ordinata. II. Burggraviorum successio inter Nassavios, Aurantii Principes. III. Forum auctionarium ordinatum. IV. Publicatur pax Caesareo-Francica. V. Puniuntur haeretici, in quibus Eligius quidam, ipsimet Luthero exsecratus, diversus a Davide Georgii pseudo-propheta Zelando. VI. Naves hinc in Franciam destinatae, captae ab Anglis, repetitae ac redditae.

ACTA.

I. « Die xi Iunii constitutum est, ut in processione Venerabilis

» postridie ducenda, non ducerentur currus et equi cum pueris » personatis, neque alia spectacula per viam collocarentur; » sed soli devotioni servirent omnia, » ut ex libro edictorum Valkenisse notavit : id quod hactenus observatur, solumque concurritur cum taedis honoris causa praeferendis, multitudine quam maxima.

II. Die xv Iulii, dum Carolus V Imperator S. Desiderii Fanum ad Matronam obsideret, pila ictus occubuit Burggravius noster RENATUS CABILLONENSIS, Aurantii Princeps, Caesari carissimus, instituto haerede (nam liberis carebat) WILHELMO, PRINCIPE AURIACO, patrui sui Wilhelmi Nassavii filio, tantam in his Annalibus partem habituro, ut opere pretium sit strictim hic indicare, quod Burggraviatum relevavit xxiii Ianuarii sequentis : « Natus » Tileburgi, xiv Aprilis M.D.XXXIII, uxorem duxit viii Iunii M.D.L, » Annam Egmondanam, Comitissam Buranam et Leerdamen- » sem; » unde ei natus, in Burggraviatu successor, *Philippus Wilhelmus*. Obiit illa Bredae, xx Februarii M.D.LVIII, ibidemque sepulta fuit. Secunda Guilielmi uxor, Anna Saxonica, filia Ducis Mauritii et Agnetis Hessae, peperit illi *Principem Mauritium*, infra etiam saepe nominandum, duasque filias. Ista etiam mortua, accepit tertiam Carolottam Bourboniam, filiam Ducis Montispellerii et Iacquelinae, nuptiis celebratis Brilae anno M.D.LXXV, xii Iunii. Haec illi genuit filias quinque, et obiit Antverpiae, v Maii M.D.LXXXI; sed memoriam turpissimae apostatricis (monialis enim fuerat) et haereticae abominati Catholici, eius in sacello Equitum seu Circumcisionis sepultae, si non exhumarunt ossa, monumentum certe cum epitaphio aboleverunt, quando expiata Basilica fuit Catholico ritu. Quartam denique sibi copulavit Ludovicam, filiam Gasparis de Coligni, Franciae Admirantii, quae peperit *Fredericum Henricum*, duobus suis praenominatis fratribus successurum; ipse vero Delphis fuit occisus x Iulii M.D.LXXXIV, in eo ipso monasterio, unde

Sanctimoniales expulerat; et dignus haereticis visus est, qui sepeliretur in ecclesia maiori sub magnifico mausoleo, ibi erecto ubi steterat altare maius, ingemiscentibus Catholicis videre abominationem desolationis stantem in loco sancto. Sub hoc Burggravio Vicarium egit *Domicellus Wilhelmus ab Amours*; atque huic mortuo sub anno M.D.LXI successit in officio *Domicellus Adamus de Berchem*; et huic quoque mortuo in Germania substitutus fuit *Antonius van Ghele*: circa quos notandum, quod eorum primus renovaverat Registrum feudale Burggraviatus Antverpiensis anno M.D.L. Videtur autem hic fuisse filius Adami illius, quem infra videbimus anno M.D.LVI, prope Brechtam trucidatum propter iustitiam in ea quam gerebat Antverpiensi Praetura, exercitam.

III. « Die XIX Iulii, in sumptus belli contra Francos, Turcis » confoederatos, indictus est nummus decimus in bona immo- » bilia, et vigesimus solvendus a locatariis domorum; ex » stipendio autem famulorum ac famularum etiam decimus. » In eumdem finem decreta est processio generalis, ducenda » XXVII Iulii, Dominica VIII post Pentecosten. » Interim, die XVI Augusti, ordinatum fuit ut forum Auctionarium esset iuxta portam Lutosam; sed neque hoc diuturnum fuit, eodem ad eum locum ubi nunc est, translato, videlicet ad interiorem vicum qui ab auctionibus die Veneris instituendis nomen habet, DE VRYDAGMERT, coeptus ad id praeparari tertio post haec anno, in fundo Domini van Spangen, ut infra dicetur.

IV. XVIII Septembris coaluit pax inter CAROLUM, Imperatorem, et Regem Galliae, FRANCISCUM, multarum urbium amissione fractum: cuius pacis conditiones summatim Secretarius Loyens, pag. 304, refert; ut scilicet « subditi utrimque, solutis portoriis » et vectigalibus consuetis, commeent et mercaturam faciant. » Quidquid Carolo, Sabaudiae Duci, vel in Allobrogibus, vel » in Subalpinis ademptum fuit, optima fide restituatur;

» quemadmodum et Marchioni Monferratensi, Mantuanoque » et Lotharingiae Ducibus. Rex in Turcas suo aere sexcentos » hastatos equites et decem millia peditum scribat. Insuper » quidquid iuris in Ducatum Mediolanensem, Comitatum » Astensem, Flandriam, Artesiam, Insulas, Duacum, Orchia- » cum, Tornacum ac Fanum D. Amandi vindicare sibi potest, » Caesari totum cedat eiusque heredibus, iuxta tabulas foederis » Madritensis, easque ratas ac firmas habeat. Ut vero hoc pacis » foedus arctiori affinitatis vinculo stringeretur, promittebat » Caesar aut filiam suam Mariam Carolo Aurelianensi nuptui » dare, cui dotis titulo provinciae Belgicae cum Comitatibus » Burgundiae ac Carolesii obvenirent; aut, si quid hanc affinita- » tem impediret, loco filiae, neptem ex Ferdinando fratre eidem » Aurelianensi Principi in matrimonium collocare, quae dotali » iure Mediolanensem Principatum secum afferret. Hac in re » cum filio Philippo et fratre Ferdinando deliberanda, octime- » stre spatium deposcebat Caesar, ut inde intra quatuor demum » menses nuptiae cum alterutra virgine celebrarentur. Ceterae » conditiones eo pertinebant ut omnia utrimque restituerentur, » quae mutuis armis ex usu belli occupata fuissent, post » inducias ad Nicaeam pactas.

V. » Die IX Octobris comprehensi Antverpiae plurimi fuerunt » accusati haereseos, quorum multi elapsi e manibus fugerunt » in Angliam; duo autem capite plexi sunt, scrutarius unus » Ioannes Dorhout, gemmarius alter, nomine Christophorus, » Parisiis propter Lutheranismum exsulans. Hi supplicium » commeritum tulerunt feria quinta, adeoque XVI vel XXIII » eiusdem mensis, sub cursu litterae Dominicalis E, et corpora » foris fuerunt rotis imposita. Die autem XXV eiusdem mensis » in Sabbato, vivus extra Civitatem combustus est, erroris » istius Magister, scandularius, nomine LOY, id est *Eligius*, » saepius simili de causa punitus: de quo ipse Lutherus

» Antverpiensibus scripsit, ut ab eo sibi quisque caveret. Est » enim, inquiebat, tamquam anguis inter anguillas : ipse » vero, tum duos istos, tum alios mox dicendos tres, ac » ceteros qui aufugerant, seduxit, habitans in via DE BEUKE- » LER-STRAET, unde ex domo sua abductus erat.

» Ultimo deinde Februarii sequentis, in die Sabbati, sub » cursu litterae Dominicalis D, tres alii cives, eiusdem sectae » causa, decollati sunt, et corpora foris imposita rotis, capita » vero desuper pinnis suffixa. Sic Rotulus Snyderi, cum » antea egisset de novo pseudo-propheta, qui in Zelandia » exorsus, hoc anno, nomine DAVID IORISSEN, id est *Georgii,* » simplici popello persuadebat, esse se nepotem Dei, aviumque » omnium linguis loqui, ab iisque pasci. Comminiscebatur » etiam, coelum totum esse vacuum, seque missum ad discer- » nendos ab aliis Dei filios et heredes : qua vesania correpti » multi, conscendebant arbores, ibique perseverabant impasti, » escam coelitus praestolantes, donec fame morerentur. »

Hunc aliquid commune cum *Eligio* praenominato habuisse non credo; quia Emmanuel de Metere, apud Caukerkium, ea historia eius (ut ait) Antverpiae correcta per Ordinarium, alia plane referens de *Eligio* ad annum praecedentem asserit, « quod » resurrectura corpora nostra negaret, et diceret carnem humi » computrescere, et hoc esse quod infernum dicimus; animas » vero, utpote impeccabiles, ad Deum, unde profectae sint, » reverti. Hic comprehensus et interrogatus, cum vacillaret » in suis erroribus, tandemque eosdem supplicii metu retra- » ctaret, dimissus est cum tabella ad collum unde haereticus » cognosceretur. Verum, ut erat versipellis hypocrita, talem » conversionem simulavit, qua mereri videbatur absolvi a nota » ea circumferenda, atque ad Lutherum et Melanchthonem in » Germaniam confugit; a quibus nihilominus detectus supra- » dictam haeresim spargere, et a Luthero per convicium

» dictus daemonem circumferre; eorumdem litteris, apud » Antverpienses, ad quos redierat, ipsum denuntiantibus, denuo » apprehensus, et (sicut iam dictum) ad rogum est condem- » natus.

VI. » Anni sequentis Ianuario, multae naves hinc solverant, » ex Francia vinum allaturae : has cum Angli, tunc cum » Francis belligerantes, captivas abduxissent, missus a Caesare » legatus Dominus de Molembais easdem repetiit, et relaxa- » tionem earum impetravit: » an autem ut prosequi iter possent et vina referre, non indicat qui ex Reygersbergio detentionem illarum et relaxationem descripsisse profitetur, Valkenisse.

A. C. M.D.XLV.

ARGUMENTUM.

I. Effractus carcer. II. Fundatum novum Begginagium. III. Denarii, ex fundorum venditionibus procedentes, applicantur novis munitionibus. Geranium erigitur. IV. Vetus Infirmaria ex Klapdorpio transfertur ad sacellum S. Blasii.

ACTA PRIORA.

I. « In Cathedra S. Petri, xxii Februarii, post meridiem, » hora iv, eruperunt ex carcere qui ibi tenebantur captivi xxxii. » Rem exorsus est quidam dictus Ioannes inden Helm *(in* » *galea)*, Antverpiensis, qui, cum cerevisiam postulasset, et » cantharus quo eam ferebat custos, maior esset quam ut » posset transmitti per crates, aperuit ille ostium ipsum : cui » sic aperto interposuit confestim Ioannes scamnum proxime » positum, et claves custodi extorsit, liberosque exire omnes » fecit una cum quodam Capitaneo Hispano, proditionis in

» Pedemontio tentatae reo. Et ceteri quidem paulatim recepti,
» supplicium cui destinati fuerant, successive subierunt; Capita-
» neus autem quo evaserit, numquam resciri potuit. »

II. Hoc etiam anno, dimenso novi Begginagii spatio ad plateam, Rubram dictam a porta quo ducit, iacta sunt fundamenta ecclesiae, et ponendae iuxta eam Infirmariae cum proprio sacello. Operis feliciter inchoati atque intra annum ferme absoluti laudem Gramayus adscribit Catharinae van Winckel, Begginarum tunc supra centum Rectrici. Rotulus autem Petri Verulii primas quae eo venerunt, solum LXVI fuisse ait, eisque, sequenti anno, novam ecclesiam suam cum maiori altari consecratam fuisse die VIII Iulii. Eodem quoque anno, in vicinia ecclesiae S. Georgii, *Elizabetha Goutvliden*, mortuo marito, *Io. Gottensiis*, sex pauperculis feminis locum attribuit. Denique nova S. Willebrordi ecclesia, pro ea quam Roshemius incenderat in loco DEN POTHOEK dicto, extra portam Rubram restaurata et consecrata hoc anno fuit.

III. « Interim, mense Martio (ut est in Rotulo Petri Verulii),
» pleno in Consilio probavit Civitas, ut in emptionibus do-
» morum atque fundorum, ex singulis libris *(florenos nunc*
» *vulgo dicimus)*, Duci cederet stuferus unus (PONTPENNINGEN
» vulgo nominant), indulsitque Imperator ut pecunia inde
» colligenda impenderetur novae munitioni perficiendae. Per-
» fectum quoque supra Wervam novum Geranium est, DE
» NIEUWE KRAEN : quod licet non sit versatile (quale ibi antea
» steterat, et translatum est ad Croneburgum), tantum tamen
» se extendit supra ripam, ut commodissime per ipsum attolli
» et in applicatas ripae naves collocari, aut inde in eam attrahi
» possint quantumcumque magna pondera, agente intus prae-
» grandi rota quam tres quatuorve viri, intra eam ambulantes,
» suo pondere verti faciunt, rudentemque ex quo pondera
» ipsa pendent, cylindro involvi vel revolvi. »

IV. Huc referri etiam potest, utpote non sine communi consilio facta translatio Infirmariae, veteris dictae; quam Scribanius, pag. 110, indicat alere, in hortis domibusque eo legatis, feminas sedecim, olim autem stetisse in vico KLAPDORP : fortassis non animadvertens quod ea appellatio a ponte Vaccino extendebatur tam longe quam nunc forum equorum versus Rubram portam extenditur. Habet autem Infirmaria illa sacellum S. Blasii celebre ipsius Divi reliquiis et cultu, e regione novi (de quo dixi) Begginagii, fortassis hac occasione primum illuc allatis. Nec enim vetus Infirmaria, cuius initium ignoratur, aeque ac eius usus, videtur sacellum habuisse illi Sancto, sed SS. Aegidio et Mariae Magdalenae dicatum. Verosimile hoc fit ex quadam Indulgentiarum Bulla, quam istic sibi visam allegat Bollandus, tom. I Februarii, pag. 333, datam Romae anno M.CCCC.XLV; qua Cardinales novem certis diebus largiuntur Indulgentias centum dierum visitantibus altare istorum Sanctorum in capella Infirmariae oppidi *Klapdorp* : ita illi *oppidum* appellant quod suburbium oppidi Antverpiensis vocari poterat, ut et Kipdorpium. Quae quidem nomina, nunc ad vias duas usu restricta, secundum earumdem latera utrimque porrigebantur, sicuti iam supra monui; et quoniam constat totum fundum Falcontinum *Klapdorpii* nomine censitum fuisse, priusquam per illum duceretur fossa Falcontinarum dicta; has vero Religiosas initium hic habuisse ab hospitali istic fundato circa annum M.CCC.XLV, haud inverosimili coniectura opinabimur; ipsum hospitale alio atque alio translatum fuisse, semper tamen intra Klapdorpium, cuius etiam pars erat ea quam nunc viam Rubram appellamus, quando Sanctimoniales ipsae, paucis annis apud dictum hospitale moratae, sub annum M.CCCC.XX regressae sunt ad eum ubi primitus consederant locum, atque ad institutum Canonicarum Regularium transgressae, quae fuerant antea Tertiariae Franciscanae, nullis votis obstrictae.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Per Caesaream suae Maiestatis personam (ut manu sua scripsit mox electus Consul Dominus van Ursele) XXII *Aprilis, Feria* VI *ante Dominicam* III *post Pascha* V *die dicti mensis celebratum, fueruntque :*

CONSULES. — D. Lancelottus van Ursele IV. — XIV. M. Ioannes Schyff, Legum Doctor.

SCABINI. — Dom. Cornelius van Spangen. — Dom. Ioannes Crombach. — Dom. Wilhelmus van Halmale. — Dom. Henricus van Berchem. — Arnoldus Schoyte. — Gabriel Triapain. — M. Nicolaus de Schermere. — Petrus van Halmale. — Ioannes Happaert. — M. Iacobus Hertsens. — Alvarus d'Almaras. — M. Petrus Vledinx. — Cornelius de Vos. — M. Ioannes Schyff. — Wilhelmus van Immerseel. — Nicolaus Rockocx.

ARGUMENTUM.

I-III. Civitati nostrae, et aliis quinque postulantibus, facit potestatem Caesar, pro maiore per Scaldim navigantium commoditate, construendi cataractam Antonianam Tornaci. IV. Aperitur nova in vico Georgii porta, et a Carolo V, istac primum ingresso, vocatur Caesarea. V. Designatur etiam nova Lutosa. VI. Quaeruntur novis muris promovendis media. VII. Erigitur ad condenda ligna et usum Civitatis novum Quercetum.

ACTA POSTERIORA.

I. « DIE V Septembris, decisa Bruxellis est controversia » mota, coram privato Imperatoris Consilio, inter Commissarios » civitatum Antverpiae, Mechliniae, Gandavi, Aldenardae, » Teneramundae, Duaci, Valencinarum, Montium-Hannoniae,

» Rupelmundae et aliarum, remonstrantes ex una parte; et » Praepositorum iuratorum, Maioris atque Scabinorum civitatis » Tornacensis, nomine totius Communitatis et populi sui, » nec non Magistrorum iuratorum opificii Molitorum eiusdem » civitatis, ex altera parte, opponentes : contendentibus prae- » fatis remonstrantibus, quod propter incommoda quotidie » supervenientia in fluvio Scaldis ad d. civitatem, quia maiores » naves illac transire nequeant, coganturque merces suas » transferre in alia minora navigia, non sine magno praeiudicio » tam mercatorum quam ipsarum mercium et Reipublicae » totius; contendentibus, inquam, remonstrantibus, quod, » propter dicta, expediat ibidem construi stagna seu retinacula » aquarum duo, quae aquam defluentem retineant eleventque, » ut illac transire naves grandiores valeant, nec opus habeant » exonerari. Opponentibus in contrarium asserentibus et con- » testantibus, id fieri non posse, quia eiusmodi aquarum reti- » nacula grande damnum afferent, tam ipsi civitati et populo » eius, quam molendinis compluribus supra Scaldim constru- » ctis; dum ea, impeditis in suo fluxu aquis, molere nequirent, » magno cum incommodo, non solum inquilinorum ipsius » civitatis, sed plurium pagorum atque agrorum, quos inflatae » nimium aquae inundarent, prataque et pascua Antoniam » versus cum herbis corrumperent.

II. » His porro utrimque auditis ac visis, Imperator statuit » ordinatque ut Praepositi, Iurati, Maior et Scabini civitatis » praedictae primum faciant repurgari et cavari ipsius fluminis » alveum, intra civitatem et alibi, iis omnibus in locis, quae » invenientur saxis sordibusque oppleta; idque intra quatuor » proxime venturos menses. Quod si, fluvio sic purgato factoque » profundiore, appareat maiores naves nec sic quidem posse » transire, nisi exonerentur in minora navigia, tum secundum » petitionem et oblationem Commissorum praefatorum, causa

» experimenti dumtaxat, eiusmodi stagna seu retinacula fiant
» iis in locis quae magis opportuna censebuntur, idque ipso-
» rum remonstrantium expensis; ut ipsamet experientia probet,
» utrum aqua possit sic attolli supra dicta molendina, prata,
» pascua et cataractas iam constitutas, ut absque cuiusquam
» incommodo naves grandiores valeant transmittere uno (ut
» dicitur) fundo, ipsique Commissarii sufficientem praestent
» cautionem pro damnis, quae ab eiusmodi operibus obvenirent
» dictae civitati, castro, molendinis et Piremannis. Quod si
» eventus doceat ipsa opera non esse convenientia, sed nota-
» biliter damnosa, obligentur impetrantes eadem suo sumptu
» demoliri, omniaque in pristinum statum, quo antea fuerunt,
» reponere. Actum Bruxellis, die v Septembris M.D.XLV. *Signa-*
» *tum* Zoere; *et infra :* Collatione facta cum originali, quod est
» in manibus meis, Amati Wyon, Procuratoris Generalis civitatis
» Duacenae, inventum est concordare, ut testor hac die v
» Februarii, coram testibus etc. A. Wyon : *ac rursum inferius :*
» Haec copia, alias collata cum originali, integro ac salvo, per
» me quoque Notarium publicum reperta est ipsi conformis.
» *Subsignatum* de la Samme. »

III. Ex Actis circa praedicta aquarum receptacula, annis M.DC.VIII aliisque, et DC.XVII, quibus plenum volumen integrum possidet Advocatus Nys et mihi utendum commodavit, apparet Civitatem nostram primo ubique loco nominatam, desiderii sui factam esse compotem, unaque cum aliis quinque Gandavensi, Aldenardensi, Insulensi, Duacena atque Montensi concordi studio semper egisse, evictis quibuscumque obstaculis, ut opera illa conservarentur, ad commune omnium commodum; eumque in finem transvehendis illac mercibus impositas gabellas, quibus recipiendis constitutus Quaestor obnoxius esset reddendae rationi ipsarum civitatum Commissariis, Tornaci, Insulis aut Gandavi congregandis; qui exinde partem suam

Regi darent, alteram impenderent civitates solvendis quos super eas formarant, reditibus, aliisque opportunis expensis et Officialium salariis.

IV. Quod ad novarum fortificationum opus attinet, illud, ut grande erat, lente procedebat, atque per partes : omnium autem prima perfecta stetit, cortinis adhuc utrimque inermibus, porta quae apud multos etiamnum dicitur *Porta S. Georgii*, quamvis ab huius ecclesia iam remota longius, cuique hunc titulum positum asserit Swertius, pag. 38 :

CAROLUS CAESAR

HANC PORTAM PRIMUS MORTALIUM INGRESSUS, CAESAREAM NUNCUPAVIT, DIE XXV NOVEMBRIS, ANNO M.CCCCC.XLV.

Huius portae exteriorem formam habet lector inter specimina magnificentiae Antverpiensis : hic noto, quod ad eam formam, et cum similibus pontibus, inter propugnacula duo sic flectendis, ut ipsae a foris directe impeti tormentis nequeant, inchoatae fuerunt aliae portae tres : *S. Iacobi* sive *Kipdorpia*, *Rubea nova* et *nova Pisternensis* sive *Lutosa*, quia duabus olim sic dictis una illa successit, opus faciendum redimente *Gilleberto Schoonbekio*, praefectoque novarum fortificationum per Senatum constituto *Petro Halmalio*. Non fuerunt tamen omnes simul perfectae totae : *Kipdorpia* enim, superposita pyramide ornata, ultimam dumtaxat manum sculptoris exspectat, in fronte rudi hactenus, ita tamen excisis petris, ut appareat inchoata similis omnino Georgianae Portae caelatura, sed Regii, non Caesarei scuti, inter Leones duos, totidemque columnas, alia scuta duo designata solummodo. *Rubea nova*, simili usque ad primum limbum architectura, similem quoque videtur promittere reliqui operis structuram, uti etiam *Lutosa*.

V. Hanc, sub titulo portae *Pisternensis*, totam pictam Caukerkius reperit, cum nota huius ipsius anni, zyfris expressa, duobusque scutulis (Magistrorum fabricae, si non fallor). Eodem videntur spectare scuta tria, quorum medium pictor in aere supra portam expressit, alia duo ad utrumque latus; quae quorumnam sint, examinandum relinquo talium peritiori.

Ne autem dubitare possimus cuius honori destinata ea porta sit, faciunt verba scuto Regio subscripta, DIVO PHILIPPO : fascia autem utramque columnam complectens, pro Carolina tessera, PLUS ULTRA, habet hanc : DOMINUS MIHI ADIUTOR, quam PHILIPPI tunc fuisse hinc disco; licet postea assumpta sit haec, sub eius effigie, apud Loyens legenda, NEC SPE, NEC METU : in qua mutatione secutus ille fuerit exemplum patris, sub cuius insignibus in vitrea ecclesiae Marianae, inter utramque turrim, adhuc legitur, NE QUID NIMIS; prius scilicet quam PLUS ULTRA assumeretur.

VI. Ad novarum fortificationum opus spectat, quod sequentis anni Februario, die ultima, a pleno Communitatis Consilio decretum invenitur in libro B. fol. 72, « ut ex pretio omnium » qui venderentur, fundorum aut domorum, daretur nummus » vigesimus, ab emptore et venditore partitim solvendus : » atque etiam erigeretur specialis Camera, opus promovendum » curatura, cuius Praeses esset *D. Lancelottus van Ursel;* » sed haec citius dissoluta fuit, tamquam minus necessaria. » Ita Valkenisse, addens, anno XLIX institutum sortilegium, cuius fructus eodem converterentur.

VII. Denique hoc anno adiectum, in vico Croneburgico, *novum* (ut appellant) *Quercetum*, DEN NIEUWEN EEKHOF, ad usum fabrilium pro Civitate operum lignorumque ustilium condendorum, eo quod vetus Quercetum ad canalem Ioanniticum occupabatur asservandis machinis amburbalibus. Testem istius erectionis habes Rotulum Verulii, qui addit, undique clausum

muris et anno M.D.XLVIII perfectum fuisse. Nunc locus ille a praesenti usu dicitur *Quercetum ligneum*, DEN HOUTEN EEKHOF.

A. C. M.D.XLVI.

—

COMMISSARII XVI MAII. — *Dominica* III *post Pascha actum* XXV *Aprilis.* — D. de Merode. — D. de Borssel. — *Cancellarius et Secretarius qui supra.*

CONSULES. — D. Michael vander Heyden. — II. D. Henricus van Berchem.

SCABINI. — D. Ioannes van Crombach. — Arnoldus Schoyte. — Gabriel Triapain. — Nicolaus de Schermere. — Wilhelmus van Immerseel. — Ioannes Draeck. — Cornelius Happaert. — Alvarus d'Almaras. — Ioannes vander Heyden. — Iacob. Houtappel. — Ioannes Schyff, *in Angliam a Caesare missus legatus.* — Didericus vande Werve. — Corn. van Halmale. — Ambrosius Tucher.

ARGUMENTUM.

I. Effractor carceris, nova caede tentata, plectitur capite. II. Bursa ex quatuor partibus aperitur. Vetantur frontispicia domorum lignea. III. Super odeum Marianum locatur aeneus crucifixus. IV. Frumenti pretium mire variatur. Cellitae novum monasterium condunt eo quem nunc habent loco. Grande ad Bursam incendium.

ACTA.

I. « IN festo SS. Petri et Pauli, comprehensus est Ioannes » ille, anno superiori auctor carceris violandi. Fuerat hic in

» obsequio Regis Angliae, ad eumque profugerat; deinde pactus
» cum Marcgravio, et rediturus Antverpiam, incidit in manus
» quaesitorum; qui scrutati num aliquid pecuniae efferret ex
» Regno, omnem ei abstulerunt, praeter quinque vel sex scuta
» ad iter necessaria. Tunc iuravit Ioannes, id sibi luiturum
» primum quem esset inventurus Anglum; ac domum rediens
» et in via portae Vaccinae videns eius nationis hominem,
» mensae accumbentem, arreptum ex domo patris sui veru
» eidem infixit, non tamen lethaliter. Ad tumultum accurrerunt
» apparitores; multumque reluctatum Ioannem non facile com-
» prehendissent, nisi fuisset ebrius. Comprehensus autem, in
» Foro maiori ante Curiam capite plexus est, et apud Praedi-
» catores sepultus iuxta matrem. »

Die VIII Iulii, D. Martinus Cuperus, Chalcedonensis Episcopus, Episcopi Cameracensis suffraganeus, Begginis, ab exusto extra portam Georgianam bis loco urbem ingressis, et ad novum in obversa urbis parte transgressis, ecclesiam de qua supra, et Infirmariam consecravit.

II. Eodem anno perfractus est paries qui novam Bursam ad Orientem claudebat, patefactaque etiam est via usque ad monasterium Clarissarum; et similiter ad latus occidentale, unde ducta erat via, Israelis dicta, per quam usque ad vetera moenia S. Catharinae procederetur; atque ita aditus ad eamdem Bursam ex quatuor partibus liber patuit. Postea etiam protracta est via occidentalis praedicta per medium monasterium Bogardorum, et ab hoc ita separavit hortum, ut non nisi per subtus factam viam transire ad illum Fratres possint, nisi palam prodire malint. Hinc autem rursus trans viam Sudermannicam penetratum fuit per fundum cuiusdam Flandri usque ad forum lactis : unde viae istae, per quas ad Bursam ea parte itur, nomina *Bogardorum* atque *Flandri* servant : DE BOGARD- EN VLEMINX-STRATEN.

Porro, occasione incendii circa Bursam exorti, de quo infra, publico decreto cautum est, ne qua deinceps domorum frontispicia ex ligno fabricarentur, neve sic iam fabricata repararentur : quod etiam nunç observatur; et sic quotannis eiusmodi frontispiciorum numerus, olim maximus, imminutus est, ante finem seculi XVIII nullus, ut spes est, futurus.

III. Denique hoc etiam anno testantur Rotuli nostri, super doxale Basilicae Marianae collocatum speciosissimum crucifixum aeneum, iuxta quem eadem in trabe vel tunc vel post (sicut a parente memini me puerum audivisse) collocatae fuerunt ex eodem metallo effigies, non solum Deiparae atque Ioannis, sed etiam utriusque latronis ex cruce sua sic pendentis, ut ad aures latronis improbi penderet ex summo fornice daemunculus, item aeneus : qui a Calvinistis, sacra omnia demolientibus ibi relictus, occasionem dederit huic sarcasmo :

T'ANTWERPEN OP HET DOXAEL
HEBBEN DE GEUZEN HUNNEN PATROON LAETEN STAEN.

Antverpiae Geusii supra doxale
Dimiserunt patronum suum stare.

IV. Denique notat Caukerkius ex Ms., adeo varium mense Maio frumenti pretium fuisse, ut secalis quartale florenis XXIV vix comparabile, die VIII emeretur schellingis VI. Rotulus autem Petri Verulii addit, die XV eiusdem Maii, ascendisse pretium ad XXVIII stuferos in quartalia singula; ac denique die XXII emptum fuisse quadrantal stuferis XLII. Idem Rotulus huic anno adscribit novum Cellitarum monasterium, eo quem nunc egregie instructum habent loco, in via Iesu dicta, ab eius nominis sacello, nonnis Victorinis concesso, inter viam Longiorem novam et Meram; eoque dicit ingressos Fratres circa festum S. Bavonis M.D.XLVIII, et consecratam ecclesiam

viii Iulii; die autem xi Septembris apertam fuisse Bursam ex parte orientali, itaque viam patuisse a Clarissis ad viam Catharinariam : ac denique die xvii Novembris, sub horam tertiam matutinam ad eiusdem Bursae latus boreale ortum incendium, quo brevi tempore plures quam xxii domus arserint, cum grandi mercium cunctarum incendio; quo utrumque viae latus occupante, impossibile erat quidquam flammis subducere.

A. C. M.D.XLVII.

—

Commissarii ix maii *Feria* ii *post Dominicam* v *a Paschate acto* x *Aprilis.* — Dux Arschotanus. — D. Praeses Consilii privati, Ludovicus van Schoore, Eques. — Dom. Engelbertus van Dale, *Cancellarius.* — Dom. de Merode. — *Secretarius ut supra.*

Consules. — Dom. Cornelius van Spangen V. — i. Dom. Lancelottus van Ursel XI.

Scabini. — Dom. Ioannes Happaert. — Dom. Henricus van Berchem. — Arnoldus Schoyte. — M. Nicol. de Schermere. — Ioannes Draeck †. — *Suff.* Didericus vande Werve. — Mag. Iacobus Hertssens. — Alvarus Almaras. — Costinus van Halmale. — Mag. Petrus Vledinx. — Mag. Iacobus Houtappel. — Wilhelmus van Immerseel. — Nicolaus Rockox. — Wilhelmus de Vos. — Gislenus Asseliers.

ARGUMENTUM.

I. Erectio novae Librae, cum aula conviviali ad nuptias, aliaque Gilleberti Schoonbekani opera circa viam, non a Venere, sed a Vennis, id est pratis nominatam. II. Forum Auctionarium, de vrydagsmert, ordinatum.

III. Ludimagister haereticus capite plexus. Rixa inter huiates et Amstelodamenses nautas composita. IV. Refugium Episcoporum Cameracensium in foro Linteario a fundamentis renovatum cum domestico oratorio.

ACTA.

I. Prima Maii, GILLEBERTUS VAN SCHOONBEECK suscepit aedificandam novam (ut appellant) Libram, DE NIEUWE WAEGE; eoque emit latifundium vacuum inter monasterium Franciscanorum et confinia Klapdorpii atque fori equini, impetrato etiam ad suos usus veteri foro porcario, ubi circum praedictam Libram, opere quadrato, et per quatuor portas adeundam insigniterque elevatam, duxit viam amplam; aliasque vias novas ab Oriente, Septentrione et Occidente, illuc usque aperuit, quarum una Conspiciliorum dicta, DE BRILSTRATE, tendit ad plateam, vulgo DE VENUSSTRAET, potius DE VENNESTRATE dicenda, a suburbanis quo ducebat pratis : neque enim *Veneris* nomen, quasi a gentilibus Romanis acceptum, huc trahi potest, cum nostri sub gentilismo maiores et numen et planetam, cui feria sexta hebdomadae dicabatur, proprio sibi et teutonico vocabulo appellarent *Freydam,* a libertate; unde et FREYDEN seu VRYDEN, procari, et dies ipsa FRYDACH seu VRYDAG. Hanc autem viam, quae una ex pulchrioribus est post ibi excitatum Montem pietatis, de quo infra, idem Gillebertus novis multis et amplis domibus ornavit, ex eo praesertim latere quod fundo et muro Minorum obvertitur.

Usum porro nova ista Libra habere coepit sequenti anno, die XII Martii, non tantum inferne pro libripendio, sed etiam superne pro conviviis nuptialibus; ad quae cum invitatorum numerus, eo tempore solitus esse magnus, privatis in domibus excipi non posset, loco non uno excitabantur in superiori talium aedium parte capacissimae aulae; quarum ad eiusmodi usus elocatio frequens in populosissima Civitate, magnum

reddebat dominis suis fructum; qui nunc cum usu cessat, ipsosque relinquit gravatos foenore pecuniae in fabricam assumptae, et onere grandis reparationis; uti de suo macello saepe audivi querentes laniones. De praedicta vero Libra indicat Valkenisse, quod prima merx istic appensa fuerit linum, ab Osterlingis advectum. Caukerkius vero scribit notatum se reperisse, quod publicus usus esse coepit sequenti anno duodecima Martii, quod praedicto Gilleberto, opus istud facturo, necessaria esset domus cuiusdam Coignet, neque hic ipsam vellet pretio rationabili vendere, quamvis demonstraretur quod via, per illam ducenda, magnam in publico habitura esset commoditatem; stante tamen inviolato eatenus usu Civitatis invitum neminem exturbandi ex fundo suo.

Placuerit Senatui causam arbitrio boni viri utrimque probandi committi, quo mediante conventum fuisse inter partes ex sententia Gilleberti, res ipsa loquitur.

II. Idem Gillebertus a Domino van Spangen emit Curiam dictam Hispanicam, cum adiuncto vacuo fundo; locumque aptavit in usum fori, quod dicitur VRYDAGSMERT, ab auctionibus veterum tam vestium quam supellectilium ibidem quavis feria sexta exercendis auctionibus; ad ipsumque plures aditus aperuit et locum insigniter ornavit, structis undequaque domibus; inter quas deinde numerata fuit toto orbe celeberrima Typographia Plantiniana : quibus sic comparatis, edictum est, ut, ante XVII Ianuarii sequentis, omnes eiusmodi auctiones ibidem instituerentur, et locus a consueto illarum die *Veneris* DE VRYDAEGSE MERT nominaretur, manente tamen veteri usu privatarum ante aedes mortuarias auctionum.

III. « Inter haec, die x Maii, capitali supplicio affectus ante » Curiam est Mag. Petrus Schumdermatte, Ludimagister et » excellens versu rhythmico vulgari poeta, de haeresi accu- » satus, » ut habet Snyderi Rotulus; nec dubito quin convictus

etiam in commissam sibi iuventutem transfundere suae impietatis virus fuerit.

Die xxv Iulii composita fuit controversia gliscens inter huiates atque Amstelodamenses nautas coram Scabinis et Consulibus nostris, ex una, et Pensionario Amstelodamensi ex altera partibus, prout in libro Ordinationum, fol. 151, legi posse docet Edelherius.

IV. Ad hunc circiter annum referri potest grandis illa ac pulchra Canonicalis domus a foro linteario, e regione chori Circumcisionis, a fundamentis aedificata eo fine, ut ipsam sortitus Canonicus in eadem exciperet Antistitem, Cameracensem scilicet Episcopum, cui (ut saepe dixi) Antverpiensis Civitas in spiritualibus suberat. Suadet hoc absidula insigni opere sculpta ad primam aedificii consignationem, et ex angulo euroboreali foras propendens, usumque oratorii domestici habitura ad privatam Missae celebrationem, ut fere habere domi suae episcopi solent. Absidulae istius tres sunt fenestrae, quarum media habet assumptam in coelum virginem Deiparam, inferne ad funebrem lectum circumpositis hinc Apostolis, inde genuflexis cum suo Decano Canonicis duodecim (unde intelligitur communibus Capituli sumptibus opus factum); utrimque autem in lateralibus vitris, sub mysteriis Annuntiationis et Visitationis, cernuntur et cognoscuntur ex habitu Episcopali cum mitra ac pedo, nec non ex insignibus suis atque post eos stantibus cuiusque Patronis, S. Carolo Magno, Imperatore et S. Roberto, Abbate Ordinis Cluniacensis, Molismae, et subinde Cistercii fundatore, sed denique ad suos Molismenses mandante Pontifice regresso, et inter eos mortuo, ideoque in habitu Benedictino hic picto; cognoscuntur, inquam, hinc *Robertus de Croij*, Cameracensis Episcopus, institutus anno M.D.XXXIX, mortuus M.D.LXIV; et frater eius senior *Carolus de Croij*, Episcopus Tornacensis, ordinatus anno M.D.XXVI,

vita functus D.LVI : quos ambos crediderim Antverpiam convenisse ad consecrationem altaris, eoque hospitio, cum res ferebat, communiter usos. Quamvis autem nusquam exprimatur annus, apparet inveniendum eum esse inter initium *Roberti* et obitum Caroli, circa praenotatum annum M.D.XLVII, quo tempore aedificandi studium, suscitante Gilleberto, tantopere hic fervebat. Interim nihil prohibet iam inde a seculo XII, ac forte a tempore Episcopi *Burchardi* (qui primam Beatae Mariae ecclesiam claustrumque Canonicale consecravit), eodem loco stetisse refugium (ut vocant) Episcoporum Cameracensium.

A. C. M.D.XLVIII.

ARGUMENTUM.

I. Nova Gilleberti ad publicum commodum molimina : perfecta porta Croneburgica. II. Decreta politica circa currus, ante S. Georgii aream onerandos, popinas merciarias et tabernas. III. Consentit Civitas in accisias vini et cerevisiae externae ad usum Principis exigendas.

ACTA PRIORA.

I. « PRAELAUDATUS GILLEBERTUS rursum varia opera in publicum » commodum suscepit, ac primum pontem Croneburgicum, » non eum qui nunc extra moenia spectatur, sed qui solebat » percurrere locum planitiei castri postea attributum paludo- » sum, ipsamque portam Croneburgicam, positam e regione » viae Monasteriensis DE CLOOSTERSTRAET cum firmo muro » usque ad kayam Michaeliticam. Item extra Croneburgicam » portam fundavit firmissimum murum cum suo antepectorali; » qui pons, porta et murus, aeque ac cetera versus Meridiem » Civitatis munimenta, a Duce Albano, arcem moliente, de- » structa fuerunt.

Eiusdem Gilleberti opera sunt Kayae, Osterlingana et Anglicana, ad novam Civitatem; et a porta Lutosa muri bene firmi usque ad Cattenberg, in eiusdem Civitatis novae latere boreali, cum ceteris ibidem Kayis, cataractis et pontibus; telonium quoque cerevisiarium, HET ACCYS-HUYS, cum domibus ei coniunctis; insuper veteris « Civitatis fossam, trans quam » eundum erat a foro maiori ad Basilicam Marianam, largissimo ponte instravit, et domibus utrimque inaedificatis » ornavit, ac reliquam inde fossam fornice obtexit, locumque » fecit viae quae nomen a Viris accepit, DE MANSTRAET, et hanc » ad forum vetus frumentarium super ipsam fossam duxit. » Vix etiam explicari possunt beneficia, quae idem Gillebertus » a Caesarea Maiestate Civitati impetravit in territoriis Amersfordiensi et Reinensi, pro quibus donatus fuit ducentis » mergis, id est iugeribus fundi palustris. » Ita Caukerkius.

II. « In die Parasceves ante Pascha, tunc prima Aprilis » celebrandum, edictum est, ut currus qui solebant in via » Cammeria onerari, in posterum onerarentur in area quae » inter viam Hospitalariam et coemeterium Georgianum panditur, ad id aptissima; quod etiam nunc servatur a curribus, » Lyram Mechliniamque destinandis, et porta Caesarea exituris. » Mandatum deinde pro tabernariis a Magistratu exiit, ne » quis eorum plus quam praecones duos tempore Nundinarum » haberet, quorum unus solummodo ante fores domus suae » praeconium exerceret, alter procederet de domo ad domum, » quocumque libuisset eius hero : pluribus qui uteretur, » aureum equestrem solveret.

» Hoc quoque anno consensit Civitas in Accisias vini et » cuiuscumque externae cerevisiae, commodo Principis Brabantiae colligendas (qui nunc est CAROLUS IMPERATOR); id » quod numquam fuerat antea exactum. » Ita verbotenus Rotulus Petri Verulii, hoc ipso indicans scripsisse se eo in quo

versamur anno : quia sequenti Imperator Belgii principatum transtulit in filium suum Philippum. Accisia autem cerevisiae nostratis elocata in biennium fuit pro pretio bis centum et viginti octo millium florenorum.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII XXIX APRILIS. — *Dominica* IV *post Pascha* I *Aprilis actum.* — D. Marchio Bergensis. — D. de Merode. — D. Beersel, locumtenens Lovaniensis. — *Cancellarius et Secretarius ut supra.*

CONSULES. — Dom. Lancelottus van Ursel XII. — v. Dom. Henricus van Berchem.

SCABINI. — Dom. Cornelius van Spangen. — Dom. Ioannes Happaert. — Dom. Ioannes vande Werve. — Dom. Michael vander Heyden. — Dom. Godefridus van Inckvoort. — Wilhelmus van Immerseel. — Ioannes van Delft. — Nicolaus de Schermere. — Ioannes van Eyssel *alias* vanden Eynde. — Cornelius de Vos. — Iacobus Houtappel. — Nicolaus Rockox. — Cornelius van Halmale. — Gislenus Asseliers.

ARGUMENTUM.

I. Inchoatur liber Actuum Praetorialium in Tribunali. Indicitur mulcta peregrinationis Mediolanensis aliaeque similes. II. Novum cum Anglis concordatum et quaedam decreta politica. Puella septempedalis hic visa. III. Renovatur porta Croneburgica. IV. Obitus et monumentum Arnoldi Schoyte in coemeterio S. Georgii. V. Accisiae elocatae.

ACTA POSTERIORA.

I. Hic, a die III Augusti inchoatur liber Actuum Praetorianorum

in Tribunali usque ad XXV Maii anni M.D.LIV, ex Camera Secretariae mihi commodatus anno M.DCC.VII a Secretario Goos, haud parvo deinceps usui futurus. Nam in huius anni Magistratu suggeruntur duo Scabini, in serie praenotata praeteriti : videlicet primus post Equites, *Arnoldus Schoyte,* et ultimo loco *Martinus van Ranst :* quibus scriptor subiunxit hanc notabilem ex Cap. I Sapientiae sententiam : *Diligite iustitiam qui iudicatis terram.* Invenitur etiam quidam Henricus Masson damnatus in decennale exilium et peregrinationem interea obeundam ad D. Virginem Mediolanensem : quod iuverit hic notasse, ut intelligatur ea tunc Antverpiae nota ac celebris fuisse per mercatores Insubres hic negotiantes; et sic annis sequentibus, alii quidam, IX Augusti et XXIV Ianuarii, ad simile exilium damnati, iubentur interim peregrinari Nicosiam in Cyprum, et anno M.D.L, XVIII Novembris, reus alius ad Dominam nostram Caesar-Augustanam in Hispania. Notandum est denique huius anni Acta omnia sub eodem numero produci usque ad sequentis anni Pascha, et hunc stylum toto illo libro teneri : sic acta anno M.D.L nostro, *ultima Ianuarii* et VII *Februarii,* utroque die *Veneris,* dicuntur acta anno XLIX, et additur utrobique *stylo Brabantico;* ac deinde *Veneris die* IV *Aprilis* M.D.XLIX, *ipso die Parasceves ante meridiem;* tum immediate post *Veneris* XVIII *Aprilis, anno* M.D.L, atque ita de ceteris. Saepissime etiam in dicto libro notantur iudicia procrastinata, propter infirmum numerum Scabinorum requisitorum ad definitivam sententiam.

II. Die XX Augusti, intercedente Domina Margareta, Gubernatrice, signatum est concordatum nationis Anglicanae circa nova dubia ab ea mota in commercio, per Intercursum et tractatus priores stabilito; cuius concordati tenorem requirendum in II vol. Privil. fol. 164 v.°, monet Edelherius. Eodemque mense coeptas in nova Libra merces appendi asserit

Rotulus Pet. Verulii; item quod hoc mense Antverpiam adducta sit annorum viginti puella septem pedes alta, et a parentibus exiguae staturae exposita spectaculo pro exiguo nummo.

« Die IV Septembris coram Margareta, in Maiori aula S. Mi-
» chaelis, consultatum est de sublevandis debitis Civitatis.
» Decretum quoque fuit, ne cuiquam liceret merciarias taber-
» nas, ad tempus quantumlibet breve, constituere in coeme-
» teriis ecclesiarum terraque benedicta, licet cum utilitate
» aliqua ipsis ecclesiis inde proveniente : in cuius decreti
» confirmationem a Caesare impetratae sunt litterae, signatae
» XX Augusti sequentis anni. »

III. Eiusdem Civitatis Aediles etiam curaverunt, ut porta Croneburgica (quae quam nullius speciositatis antea fuerit, scitur ex iconismo eius, cui adhaerebat et unde nomen accipiebat turris), ab ipsa turri passibus aliquot remotius per novum ad Kayam murum, congrua satis specie structa completaque sit, advecto illuc ornatu saxeo qui Rubram antea portam venustabat; tunc autem inutilis ibi fuisset, clauso per adiectum terreum vallum transitu. Translationis memoriam retinent vernaculi versus, ipsius portae superliminari tympano sic inscripti :

ALSMEN XIII^cXV HEEFT GETELT,
WIRD IK INDE ROODE POORT GESTELT :
MAER ALSMEN XV^cXLVIII SCHREEF,
DE NIEUWE FORTIFICATIE MY HIER DREEF.

Quos versus latino rhythmo sic posses vertere :

Cum scribebantur decies et ter centeni
Et deni ac quini, tunc ego erecta
Ante Rubram portam conspiciebar :
Sed cum quingenti currebant ac milleni

Quadrageni et octo, tunc inde eiecta
A nova fortificatione, huc propellebar.

Circa eamdem portam aliquid innovatum esse post superiorem partem, iussu Albani simul cum turri deiectam, indicat annus M.DC.XXII, inscriptus caeruleo ibidem saxo : neque enim credibile est, eam esse notam Scaldis ad tantam usque altitudinem tunc elati, quomodo similes notantur ad Gerânium in Werva. In eodem muro a dicta porta versus Michaeliticum nunc propugnaculum, tunc navale tectum, eamdem ipsam portam, multo altius eductam perfectamque repraesentat tabula anni M.D.LVI, et novas circa ipsam braxatorias, similiter ut alia, ibi ab Albano deiectas. Repraesentat etiam ipsum murum praedictum usque ad curvaturam arcuum portalium erectum, sed tribus locis hiantem, quasi pro totidem portis ibidem designatis: quarum trium media dumtaxat una cum muro assurrexit; non tamen nunc patet, sed obstructa manet; aliquando tamen debet patuisse : ad eam enim hodiedum recta tenditur via inter Abbatiae Michaeliticae hortos et reliquum Croneburgii vicum, DE KAYSTRAETE dicta. Ipsam autem Kayam ab asseribus ibi exponendis appellant : et huc respicere videtur Rotulus Petri Verulii, dum ait hoc anno apertam ibi portam pro exonerandis commodius navibus.

IV. Hoc denique anno obiit *Arnoldus Schoyte,* Civitatis huius Consul anno M.D.XXX, qui ante portam borealem ecclesiae S. Georgii construi fecit sacellum istud, quod ibi etiamnum spectatur, cum devota effigie Christi flagellati ac spinis coronati, itaque sedentis qualem pro ludrico rege adorarunt milites impii. Iacent autem ante illius pedes ipse et coniux eius, sub grandi caeruleo marmore, Schoytanae familiae insignibus ornato, cum hac inscriptione : « Monumentum *Arnoldi Schoyte,*
» quem antiquitate generis clarum, clarissimis honoribus haec

» Urbs ornavit, cui praefuit profuitque annos LII Senator et » Consul; multa aetate venerabilis, decessit aetatis anno LXXXI, » Novembris XX, M.D.XLVIII. Itemque Margareta Lowyx, quae » vere gemma sui sexus, nec non pietate spectabilis, obiit anno » vitae LXXIV, M.D.LVIII, Novembris XIII. »

V. Secretarius Valkenisse addit huius anni gestis, « quod » mense Novembri expositum redimere volenti sit ius accisiae » impositae cerevisiae, pani et carni : eaque fuit annonae » vilitas, ut quartale secalis haberetur pro novem aut decem » stuferis. » Alibi autem invenio quod « *Ioannes Moninkho-* » *ven* accisiam vinariam in biennium sibi pactus sit pro non- » gentis millibus florenorum annue, et cerevisiariam pro » ducentis viginti octo millibus. »

A. C. M.D.XLIX.

—

ARGUMENTUM.

I. Gelta vini Rhenani septem stuferis vendi iussa. II. Vetus Praedicatorum ecclesia destruitur, et nova Halla tapetiaria ordinatur. III. Familia vander Veken ex epitaphiis nota.

ACTA PRIORA.

I. Primo huius anni mense, die XX, promulgatum mandatumque esse, ut gelta vini Rhenani non nisi septem stuferis venderetur, reperio in Analectis Valkenisse, ex libro edictorum. Est autem *gelta* duorum poculorum mensura, sive cantharus.

II. Non multo post, Patres Praedicatores veterem suam ecclesiam, obscuram humilemque, solo aequarunt, nihil ex

ea reservantes quam propylaeum, per quod de sub domibus ex latere novae ecclesiae structis, in hanc nunc etiam patet ingressus lateralis, dum primus ac praecipuus, sub magnifico frontispicio, per scalam graduum.... in eamdem pridem construi coeptam et usque ad chorum iam perfectam ducit. Alii id referunt ad annum sequentem.

III. « Die XI Martii, Gubernatrix Bruxellis signavit facul-» tatem per Dominos Nicolaum vander Meersch et Iacobum » Masium, Pensionarium, petitam a Civitate, ut iuxta ideam » Gilleberti van Schoonbeke et cum consilio Commissariorum, » pro dirigendis novis fortificationibus designatorum, con-» struatur nova Halla Tapetiariorum. » Factum hoc est eo ipso loco, ubi sagittariorum Guldae habuerant hortos suos nunc translatos ad ea prata quae magni Nosocomii erant, et nunc ducta trans ipsum fundum via ab illo separantur. Tum vero desiit Halla antiqua, quam intra monasterium Dominicanorum iidem Tapetiarii habuerant, illo loco ubi nunc vel chorus vel Refectorium est.

Eodem mense Martio, in nostra (nisi coniectura fallit) matrice ecclesia sepulturam accepit eius quondam Aedilis, mercator opulentus et etiam nunc notae inter plebeias familiae caput, ibidem sepultus sub grandi saxo, cum hisce verbis teutonice ductis circum limbum, aliquid observatu dignum hic suggesturis, quibus dicitur : *Hic iacet sepultus Franciscus vander Veken, Aedilis huius ecclesiae, obiit* XXX *Martii anno* M.D.XLVIII *ante Pascha*, adeoque anno XLIX, quod a Ianuario numerare exordientibus celebrandum erat XXI Aprilis; cui sua uxor eiusdem cognominis et familiae, verosimiliter cognata germana, triennio dumtaxat superfuisse intelligitur scriptis consequentibus, eodem per quadrum ductu his verbis : *Et Barbara vander Veken, eius uxor : obiit* XXVIII *Augusti a.* M.D.LI; tum velut adhuc superstes utriusque gener, intra eiusdem

saxi aream : *Cornelius Wannemaker*. . . . relicto ad mortis tempus notandum spatio, *et Ioanna vander Veken, obiit* XXVII *Augusti* A. M.D.XCI; quod discrimen aetatis inter Barbaram et Ioannam firmat nostram de earum inter se parentela coniecturam, simulque probat communissimum morem producendi annum usque ad Pascha, Notabile est autem sculptum in umbilico saxi scutum, ex nomine *Veke* sumptum, quod latine vaccorra redditur, et supra quod ipsius nominis litterae quatuor F. V. D. V.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII XII MAII. — *Dominica* III *post Pascha celebratum* XVI *Aprilis*. — Dominus de Merode. — D. Engelbertus van Dale, *Cancellarius*. — D. Laurentius Longin, Commissus Financiarum. — Mag. Petrus Verreyken, Audientiarius. — *Secretarius qui supra*.

CONSULES. — Dom. Nicolaus vander Meeren II. — IV. Iacobus Hertssens.

SCABINI. — Dom. Corn. van Spangen. — Dom. Henricus van Berchem. — Nicolaus de Schermere. — Cornelius Happaert. — Alvarus d'Almaras. — Petrus Vledinx. — Didericus vande Werve. — Wilhelmus van Immerseele. — Nicolaus Rockox. — Cornelius van Halmale. — Wilhelmus de Vos. — Martinus van Ranst. — Henricus van Etten, f. Henrici. — Adrianus van Marselaer. — Antonius van Straelen.

Notant hic Secretarii quod, « cum contigisset in hac » nominatione concurrere *Wilhelmum van Immerseele* et *Antonium van Straelen*, mutuo se incompatibiliter contingentes, » Domini Commissarii petierint ab Aula litteras de non

» sumendo inde in futurum praeiudicio, easque tradiderint
» Senatui; similemque casum etiam alias accidisse, cum simul
» essent lecti *Dom. Ioannes van Schoonhoven* et *Dom. Henricus*
» *van Berchem.* »

ARGUMENTUM.

I-II. Duodenarius numerus satellitii Praetoriani augetur in duplum. III-XXVI. Philippus princeps inaugurandus S. R. Imperii Marchio, festivissime excipitur apparatu per Secretarium Grapheum prolixe descripto. XXVII. Ille ut Marchio S. R. I. Civitati sacramentum dicit et accipit. XXVIII-XXXIII. Nuptiae Domini Granvellani cum filia Brederodii. XXXIV-XXXV. Iter Philippi ab Hispania in Belgium, eiusque hic exceptio etiam descripta a Calveto Stella (hispanice descriptum, Antverpiae impressum, cum aliis eiusdem operibus lectu dignissimis). XXXVI. Ordinatur Thesauraria Civitatis, et struitur pro peste infectis Lazaretum, nunc ergastulum asotorum, HET TUCHTHUYS.

ACTA POSTERIORA.

I. Si mirum est de Tapetiariorum Halla tacuisse Pensionarium Nys, multo magis mirandum videtur, quod ab eo mentio facta non sit Praetoriani satellitii, in duplum aucti per constitutionem signatam nomine Imperatoris Bruxellis die XVII Martii, « ad sup-
» plicationem D. Wilhelmi vande Werve, humiliter exponentis,
» quod, quantacumque adhibita diligentia, nequeat satisfacere
» muneri suo propter multitudinem quotidie delinquentium,
» tam intra quam extra Civitatem, et tenuitatem satellitii, ad
» suum auxilium definiti et iurati, non ultra duodenarium
» numerum: et quidem talium, qui pro isto qualicumque officio
» aliquid Regi pendere quotannis soleant; et ad executionem
» segnes sint, metu alicuius laesionis aut mutilationis, ab iis
» infligendae quos conabuntur apprehendere, nemine obligato
» ad eos sic laesos vel mutilatos deinceps sustentandos, a
» quibus nihilominus solvenda sit Regi depacta pensio; vel

» non solventibus officium cum probro dimittendum; cum
» interim talis pensio ab omnibus duodecim uno anno collecta,
» non excedat summam centum quinquaginta florenorum.
» Quibus motus Imperator, volensque expediendae iustitiae
» non solum amoliri impedimenta, sed etiam adiumenta
» multis placere, primum iubet eiusmodi pensiones cessare,
» tum inventos muneri tali ineptos exauctorari; qui si
» forte in illius exercitio gnaviter obeundo, vel senio aut
» morbo vel mutilatione aut laesione, nulla interveniente
» sua culpa, facti inhabiles sint, aliquid alterius muneris
» vel beneficii de publico iis iubetur conferri, quo valeant
» sustentari; numerus autem usque ad viginti quatuor, ex
» personis idoneis et valentibus, ad Marcgravii delectum, ita
» supplendus statuitur, ut ab eis nihil muneris a quocumque
» vel qualicumque titulo recipiatur, quo liberior Praetor sit
» ad eos, si ipsimet officio suo defuerint, corrigendos, mul-
» ctandos, vel etiam exauctorandos. Ut autem ad executionem
» sui istius, alias odiosi, muneris alacriores reddantur, con-
» stituta sibi mercede allecti, pro singulis, in tali delicto
» comprehensis, ob quod damnandi ad mortem sint, iubetur
» eis Marcgravius pendere quatuor florenos Carolinos stu-
» ferorum viginti; pro minorum autem delictorum reis, mu-
» tilatione membri, flagellatione, expositione ad palum, vel
» simili poena mulctandis, florenum unum; quod autem
» eo titulo vel alio quovis iusto, illis impenderit Marcgravius,
» id Fisco deducat in rationibus ab eo reddendis; et hanc
» deductionem iubentur Curatores Fisci ratam habere, visis
» his litteris, Caesaris nomine per eius Sororem signatis
» vel exemplo authentica earumdem. »

II. Tale exemplum, cuius prolixiorem tenorem hic in pauca contraxi, vernacula lingua scriptum, commodavit mihi iunior Valkenisse, inter patris sui Andreae Analecta repertum,

ubi additur quod ipsum originale in dorso signarunt primi *Financiarum Magistri, Domini van Praet* et *Berlaymont* cum *Mag. Vincentio Cornelii, Thesaurario generali*, tribusque *Commissariis Nicasio Claesson, Petro Borse et Laurentio Longino* : tot scilicet eatenus sufficiebant, nec pluribus ab olim opus videbatur, quando adhuc integrae erant Financiae Regiae : quibus nostra aetate undequaque accisis, videmus auctum numerum Commissariorum, et quidem magno pretio munus istud consecutorum; donec apparuit, talium Ministrorum multitudine non augeri sed exhauriri Financias, et superfluorum exauctoratione quaesitum est, sed sero, remedium gangraenae isti publicae.

Praetoriani autem isti satellites, de quibus hactenus, tam in praemissa constitutione, quam aliis scripturis publicis, appellantur KOLFDRAEGERS, et voce latinisata *Colvenarii* aut *Colvenerii*; utique a gerenda *clava*, vulgo KOLVE, non manuali illa qua sphaerae excutiuntur, nec ea quae continens ferream fistulam, pyrii pulveris vi glandes igneas explodit, ea parte qua imponitur humero, manuque tractatur clavae formam habens (unde, per metathesin unius litterae, pro COLVENIERS etiam dicuntur CLOUVENIERS et CLUYVENIERS, quod nomen sibi proprium vindicat Gulda Bombardariorum), sed quales ab antiquissimis temporibus praeferri sibi faciebant supremi Magistratus, loco securium apud Romanos usitatarum; verae scilicet et primae nuncupationis *Clava*, Itali *Massa*, Franci *Massue*, qualis superne globosa et crassior, Herculi appingitur; et qua instructi silvatici homines assistunt scuto Antverpiensi, ad professionem primae originis Gigantem nostrum praecedere in amburbalibus soliti. Ab his ergo mansit nomen *Clavatorum* nostrorum sive Clavas gestantium, quamvis harum usus nullus amplius; sit et sic vulgo obtineat Apparitores nostros a *Clava*, KULVE, KLUYVERS etiam dici, honestiori vocabulo quam

quo iidem contemptibilius appellantur DIEFLEYDERS a furibus comprehendendis, reisque ad carcerem vel tribunal aut supplicium deducendis reducendisve.

III. Mense Iunio, PHILIPPUS, Imperatoris primogenitus, a patre accersitus in Belgium, huius dominium translaturo in illum, solenniter, quacumque transibat, exceptus, tandem Bruxella Lovanium deductus est, ubi sacramentum Statibus dixit et vicissim accepit. Articulos LVIII, V Iunii signatos, recitat Secretarius Loyens. Horum quadragesimus cavet « quod Antverpia et quidquid ad eam pertinere demonstrari poterit, » civitatibus communique Provinciae Brabantiae perpetuo » coniuncta manebit, eo modo quo illi connexa erat tempore » separationis suae. Articulus XLIII pollicetur annuas civitatis » Antverpiensis Nundinas, per omnes provincias, Caesaris » dominia et ditiones terra marique, quibuscumque hominibus » et mercibus liberas et expeditas servandas, etiam cum illas ad » modicum tempus (quatuordecim noctium vel infra) prorogari » continget; neque ulla (quod cavet Articulus XLIV) legis » actione, edictis aut interdictis, aut etiam pigneratione, » manus iniectione, huiusmodive diplomatibus quae contra » libertatem earumdem Nundinarum concedi possent, turbandas esse, exceptis tamen propriis Caesaris ac Principis » debitis, exceptoque edicto de re monetaria, iam facto vel » faciendo, quod tam intra quam extra easdem Nundinas » observandum praecipitur, utque eius praevaricatores coerceantur et puniantur. »

Mense Iulio, die III et IV, ut est in Rotulo Petri Verulii, coepti sunt in nova Civitate fodi duo novi canales, *Vlitas* vocant, quas inter deinde constructa domus Hansae Teutonicae, vulgo *Osterlingana*, magnam utrimque habitura erat commoditatem, ad excipiendas e navibus illic appulsuris merces, uti et naupegia ibidem constituta.

IV. Die x Septembris, Imperator cum duabus sororibus suis, Eleonora, Franciae, et Margareta, Hungariae Reginis, nec non principe suo filio Philippo Mechliniam venit, et Antverpiam ingressurus, ad Berchemium iuxta Leprosarium exceptus fuit a Marcgravio et Ammano, in magno patentique campo ad CL passus arboribus hunc in finem excisis nudo; ubi erat sacellum magnifice erectum, ad quod praestolabatur Clerus et Magistratus, venientibusque obviam progressus est. Ibi oblatae sunt Principi claves Civitatis; qui ex equo desiliens, iuramentum latine praestitit tamquam Marchio S. R. Imperii; et suam vicissim fidem Magistratus teutonica lingua ei obstrinxit. *Spectaculorum* in hac exceptione editorum mirificum *apparatum Cornelius Scribanius Grapheus, Urbis Secretarius, et vere et ad vivum accurate descripsit.* Ita titulus libri quem ea de re impressum perquam eleganter habemus, mense Iunio anni sequentis, forma exigui folii et paulo maiori etiam teutonice. Michael Aitzinger, suum de Belgico Leone librum hinc exordiens, scribit, non defuisse qui annuntiarent *solos Antverpienses in publica hac congratulatione supra centena tricena coronatorum aureorum millia expendisse.* Auctorem is habuit Guicciardinum, omnium spectatorem et admiratorem, qui negat libro isti quidquam addi posse, satisque habet paucis verbis notasse, quod *sumptus in eadem spectacula facti, tam a civibus quam ab externis Nationibus, ad calculos scrupulose redacti, ascenderint ad centum et triginta scutorum millia;* unde coniectandum relinquit, quantum pecuniarum expensum sit hac occasione per Belgium universum. Deinde notat, « confusionis aliquid » fuisse, contendentibus inter se de ordine Nationibus. Ac » primo quidem Itali multis rationibus credebant suae deberi » principatum. Sed post varias desuper collationes maluerunt » ceteris omnibus cedere, considerantes Italiam nullum certum » caput habere, mutuisque discordiis hoc solum lucratam,

» quod variis Principibus externis serviat. Dani et Osterlingi » Germanis cesserunt. Hispani novo exemplo volebant Germa- » nos praecedere : sed Imperator decidit causam in favorem » Germanorum. Lusitani contendebant cum Anglis; re tamen » bene considerata, Maiestas sua liberaliter postremis indulsit, » ut istis anteirent : quapropter Lusitani, licet plurimas in ves- » tibus aliisque rebus fecissent expensas, sese subtraxerunt » ordini obviam procedentium. Florentini certabant cum Ge- » nuensibus; quorum litem cum nollet decidere Imperator, et » vereretur ne quid tumultus ab armatis excitaretur, mandavit » ut utrique, cum iamiam equos conscensuri essent magnifice » apparati, domi suae se continerent; licet paulo antea Rex » Franciae, urbem Lugdunensem triumphaliter ingressurus, » ordinem Romanum secutus, primum locum Florentinis ad- » iudicasset. »

V. Hactenus Guicciardinus; cui si ultra hunc in quo versamur annum, ad alios octoginta annos vivere ac scribere contigisset et videre pompas triumphales, Archiducibus Ernesto, Alberto et Isabellae, ac denique horum nepoti Principi Cardinali Ferdinando, pro fratre suo Philippo IV Belgium recturo, exhibitas annis M.D.XCIV et XCIX, ac M.DC.XXXV, et inter se conferre, censuisset utique prima illa, ut magnifica fuerint, secundis tantum cedere, quantum stannea argenteis; et haec tertiis quantum argentea aureis : quod ut ipsis mox oculis valeas diiudicare, eccum tibi propylaeum Abbatiae Michaeliticae, Philippo ingrediente praestructum, et arcum eadem via ad castrum transituro Ferdinando erectum, istud ex rescripto Georgii Florentii de Vrient, Architecti suo aevo praestantissimi, hoc ex designatione Petri Pauli Rubenii, tabula ad rem aptiori longe, quia totum artificis conceptum, coloribus expressum, licebat constanter et quamdiu liberet contemplari; spectaculum autem hominum quantumvis apte dispositorum,

nec immobile nec diuturnum esse potuit; esto quod theatri architectura utrobique ad regulas artis exacta fuisse eamdemque utrobique laudem mereri videatur, simplicior vetus, recens ornatior. Titulorum autem atque epigrapharum, totiusque styli discrimen quantum deprehendes, si Graphei libellum, pene extemporalem, cum Gevartii operosissimo et eruditionis omnigenae commentario conferre volueris? Adde quod prior, figuris in ligno sculptis ornatus, utcumque accurate observet architectonices regulas et mensuras, icones tamen vel sculptas vel pictas, vel etiam vivas non potuit, in tam rudi materia et spatii tanta angustia, apte satis repraesentare; sicut potuit in aere chalcographus, praesertim peritissimus, qualis fuit Rubenii discipulus Theodosius Thuldenus; non item anonymus Graphei sculptor.

VI. Conferatur nunc utriusque repraesentationis argumentum : Philippaeum theatrum habebat supra portam coeli concavi rotundam figuram, pluribus quam centum lucernis vitreis splendidam, quae ad omnem suorum orbium motum ita circumagebantur artificiose suspensae, ut, fomite ardente, semper sursum erectae, nihil oleagini liquoris effunderent, nihil amitterent luminis. In medio stabat DIVINA MAIESTAS, Principem ante se genuflexum habens, eique porrigens *gladium*, tum *sceptrum*, ab *angelorum* uno sumptum, dexterae inserens; ab altero angelo oblatam *coronam* imponebat capiti; adstantibus hinc inde *Virtute* et *Gloria*, *Fama* et *Immortalitate*, cum quatuor Virtutibus Cardinalibus bonum Principem formantibus. Totum autem argumentum explicabant duo ex sacris litteris sumpta lemmata, limbo superiori inferiorique litteris uncialibus inscripta : superiori quidem : *Non est potestas nisi a Domino*, inferiori vero, *a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris :* ita pie et Christiane Grapheus : qui etiam in abaco super Sophorum omnium nomine sic scribi fecerat

Te, gloriosa hac potestate coelitus a Deo donatum, felicissime Princeps, longissima nobis felicitate clementer praeesse, summis studiis purissimisque votis ardenter optamus.

Qui in Fernandaeo ad D. Michaelis arcu depingi Principem fecerat Gevartius, statuit eum habitu Herculis (qualem Philosophus Prodicus finxisse legitur) hinc allici a *Voluptate* ad delicias sectandas, cum *Baccho*, *Venere*, *Cupidineque*, et ipsos repellere; inde trahi a *Pallade*, et hanc sequi velle, enitique per ardua in clivum montis ad *templum Honoris*, ad quod nonnisi per iunctum ei *Virtutis* templum ingressus sit. Idem ut tam utili monito plus eruditionis addidit, sic etiam in lauro ac geminatae victoriae palmis plus energiae quam Grapheus in Philippaei pegmatis reliquo ornatu. Idem erit de aliis pegmatis arcubusque, si inter se conferantur, iudicium. Placet tamen hic delibare praecipua aliqua Philippaei triumphi ornamenta.

VII. Incipio ab ea quae singularis omnino nec aliis aliorum honori structis machinis simile quid habebat. « Aula scilicet » temporaria, quae in foro, pro fronte ipsius Curiae, exstructa » fuit epulis parandis Caesari Principique filio et sororibus » Reginis; stetit haec intra paucissimos dies, incredibili celeri» tate, innumeris adhibitis opificibus, speciosa et grandis, » patensque in quadrato pedes D.VIII. Habebat autem ab Oriente » Augustum Tribunal, in forum prospiciens, ex quo Caesar, » Filius et Reginae exhibendos ludos liberius spectarent. Sub » eo erat arcus, populo pervius quocumque ire vellet » aut per forum frumentarium versus ecclesiam S. Georgii, qua ingressurus, vel ad Viam-Altam versus Abbatiam, ubi hospitium habiturus Princeps erat. « Tam ingens tamen moles (prosequi» tur Grapheus) sustentabatur intus quaternis tantum quadratis » pilis, pilastros dicimus. Erat porro praesertim extrinsecus » venustissimis architectonici operis picturis decorata eadem » Aula, innixa crebris a terra fornicibus Dorico opere; artificio

» tanto, ut non ex coloribus, sed ex vivis lapidibus viderentur » constructae. Latitudo a fronte Forum versus se extendebat » in pedes C.XXVII, quanta altitudo usque ad tectum pedum XL, » cum tecto plus minus LX; atque adeo non multo quam » tertia parte inferior Curia ipsa, qua altissime assurgebat » eius tribunal seu frontispicium, non nisi ad pedes circiter » centum evecta. Ab hoc frontispicio procurrens (ut dixi) » in forum Aula occupabat dimidiam fere partem eius spatii » quod nunc nova Curia implet. » Hoc vero ut intelligas facilius, congruum censeo exhibere iconismum veteris Curiae, sicut ea invenitur a celebri pictore Mostardo, Christum ex lithostroto Pilati Judaeis spectandum exhibere volente, aptata mysterio isti, et apud Canonicum Snyderum inventa. Ante hanc Curiam, usque ad oppositas e regione domos, patebat Forum, ducentos fere pedes versus Septentrionem, ad Orientem vero ab Occidente plus quam duplo longius, sed irregulariter; quippe quod in fine vix quadraginta pedum latitudinem habebat. In hoc tam irregulari situ, ut appararetur stadium decursibus equestribus aliisque ludis congruum, placuit dimidiam partem loci, versus Boream vacantis, implere ea quam dixi Aula; et hinc per rectam pedum CC lineam ducere pontem, seu viam pensilem usque ad viam Malderiam, qua itur a foro ad D. Virginis; unde ad alterum Fori latus restaret intervallum pedum C.XL, qui sursum in Occidentem protracti, relinquebant campum longum pedes CCC.L, cuiuscumque exercitii capacem.

VIII. Res tota concipi facilius posset, si Grapheus, ut orthographice figuram operis, sic etiam ichnographice describendam curasset. Sed neque sic recte assecutus est quod intendit : nam sculptor delineationem ut accepit, sic ligno incidit, non animadvertens ex sic incisa lamina inversa omnia processura a prelo. Ad hunc errorem quadamtenus corrigendum, « obser- » va, quisquis haec vides, *inquit Grapheus*, hanc Aulam hic

» praepostere positam esse, ita ut facies dextra iam sit sinistra, » Oriens iam sit Occidens; » et sic quoque a dextra ad sinistram transferendus imaginando est pons praefatus, de quo sic deinde scribit : « Aulae isti a latere orientali (sic enim sita erat » ut uno angulo respiceret Orientem, altero Occidentem) conti» guus erat pons spectatorius, super quo ludorum spectacula » in Foro edenda conspicerentur, crebris a terra columnis ad » aequalem latitudinem Aulae subductus. Erat autem colu» mnarum duplex ordo, superior et inferior. Inferior sustinebat » ipsum pontem; intercolumnia superioris ordinis habebant » versus Forum sustentacula altitudinis paulo infra altitu» dinem quatuor pedum, quibus spectatores inter spectandum » cubitis pectoribusque inniterentur. Erat hic pons longus » plus minus pedes ducentos, altus cum coronamentis pedes » XL. Habebat quoque in sua extremitate tribunal Forum » versus extensius, ex quo a quibusdam Principibus ludi » commodius spectarentur. »

Teutonica versio hunc iconismi, omnia conversim repraesentantis, errorem notare praetermisit : utrobique etiam notari potuerat, pontem qui una cum Aula fuit CCC.XXVII, exprimi centum pedibus breviorem iusto. Si tamen error hic fuit, et non studio quaesitum compendium, eius prudentia facile supplendum qui spatium pedum CC subtus impressum leget, et C.XXVII pedes attributos Aulae. Utroque defectu quadamtenus correcto, totus quam longum fuit operis, conspectum dabit haec quam veteris Curiae iconismo subiicio, tabella, ubi ad litteram A concipies transitum secus orientale latus Curiae versus Forum frumentarium, aliumque ad litteram B secus eiusdem Curiae latus occidentale, ad fossam Saccarariam; vestigium autem novae Curiae, veterem spectantis si conceperis initium Aulae praememoratae sic, ut inter hanc et illam relinquatur spatium pedum XX intercurrentis viae, et nihil erit quod

requiras amplius, ad recte formandam imaginationem machinamenti totius.

IX. Hac praecipua universi apparatus parte praemissa, venio ad totius pompae ordinem ex prolixiore Graphei enarratione breviter explicandum. Incipit ille a descriptione aciei civilis, in eo quem dixi campo, ad latus utrumque viae publicae, in modum phalangis, et in quinquaginta duo peditum contubernia distributae : quorum vestitu et armatura enucleate explicata, pergit scriptor narrare quomodo « per ipsorum » militariter gratulantium medium deductus est Princeps, » usque ad urbanae iurisdictionis limitem, trabe versatili » praemunitum, ut solet ad singulos aditus poni unus, vulgo » DRAYBOOM; ubi constitutus erat Arcus, ut duplici transitu, » ita et duplici facie, altus pedes XXVII, latus XXX, forma » quadrata. In fronte priori, super coronicem picta erant » super unam portam insignia Marchionatus, super alteram » insignia Civitatis, interque ea grandis tabula sic legenda : » *Sit tibi, magno* PHILIPPE, *in praeclaram urbem Antverpiam,* » *ut parenti tuo maximo, ita et tibi multo devotissimam, iamiam* » *ingressuro, felix ac faustum, te hoc loco in antiquissimam S. R.* » *Imperii Marchionatus ditionem, a Divo olim Iustiniano Caesare* » *instituti, atque a tuis progenitoribus illustri titulo hactenus* » *servati, maximo omnium desiderio hodie inaugurari : quo* » *quidem omine te, velut iactis fundamentis, Patri aliquando in* » *Imperii successionem venturum, nihil magis persuasum, nihil* » *magis optandum.*

X. » Huic arcui, a facie posteriori urbem versus, succe- » debant certis intervallis columnae utrimque quaternae, ducta » super capitella architrabe connexae, in qua totidem S. R. » Imperii Marchiones usque ad Carolum Magnum specta- » bantur. Post quos statim se offerebat, exiguum quidem sed » antiquitatis aemulatione hemicycli forma erectum, sacellum,

» ubi coram praestolante utriusque ordinis Magistratu, ecclesias-
» tico civilique, solemnibus caeremoniis Princeps iuramentum
» praestitit accepitque, et ab obviam progresso honestissimo-
» rum urbis inquilinorum equitatu numeroso exceptus, eosdem,
» ipso quo venerant, ordine regredientes sequi incepit. Praece-
» debant autem primum cives, tum mercatores alii, Lucenses,
» Mediolanenses, Angli, Hispani, Germani, Societatis maritimae
» et Societatis superioris *(id est Hanseaticae et Norimbergicae)*,
» Lusitani Genuenses, Florentini, ac denique membra totius
» Magistratus. Hos ita praegressos sequentem Principem cum
» suo aulico comitatu excepit qui interim advenerat, Caesar, cum
» duabus Reginis, et sua cuiusque Aula, ac tandem pompam
» totam claudebat pedestris, quam ante diximus, acies. Universa
» illa per portam Caesaream ingressa est, hoc titulo inscriptam :
» *Philippo, Divi Caroli V Caes. Aug. filio, Marchionatus Sacri*
» *Imperii, Praeclaraeque huius Urbis ceterarumque amplissima-*
» *rum istarum ditionum ex paterna institutione heredi, Principi*
» *nostro exoptatissimo, ob valde desideratum ipsius ab extremis*
» *usque Gadibus ad nos adventum, S. P. Q. A.*

» A porta Caesarea per totam triumphalem viam utrimque
» procurrebat uniformis series pilarum continuam architrabem
» sustinentium, cui alternatim supra ipsas pilas insistebant
» cerei ardentes et circuli frondosi, inter quos modo Caesaris
» Caroli, modo Principis Philippi, modo Reginarum duarum
» pectorales statuae continebantur, modo Imperii Regno-
» rumque et Antverpiae scuta : stylobatarum autem, pilarum
» et architrabis altitudo erat pedum viginti, distantia vero
» ab invicem pedum plerumque xv, quandoque pauciorum,
» dum id res postulabat locorumque mensura : ita fiebant
» intercolumnia unoquoque in latere undecies centena, ut
» tota via una continua porticus videretur, pendentibus sub
» architrabe viridantibus pancarpiis, vulgo festonibus. Res

» prima fronte non admodum operosa, sed habita ratione » uniformitatis, per tot viarum flexus reflexusque constanter » observatae, gratiosissima, et qualem nec antea nec postea » invenies simili occasione, qua plerisque solet liberum re- » linqui aedium suarum frontes pro suo cuique modulo et » ingenio exornare. » Non gravabor igitur specimen dare huius quoque rei, facilene dicam imitabilis, spectando partes singulas, an difficulter, complectendo simul universas?

XI. Per talem quasi porticum progredientibus usque ad aream, in qua ante coemeterium Georgianum stationem habent Lyrani et Mechlinienses, visendum se obtulit Civitatis sumptu erectum pegma, altum pedes C, latum LXV; ubi editiore loco adstabat *Princeps*, ad vivum effigiatus, a laeva iunctam sibi habens *Clementiam*; ad pedes autem advolvebatur *Antverpia*, uti et pedissequae eius, *Fides, Gratitudo, Reverentia, Obedientia*, nec non *Amor* et *Candor* : quibus *Princeps* et *Clementia* benigne se acclinabant, salutantesque alacri gestu, blando vultu accipiebant; subscriptumque legebatur istud Virgilii :

Venisti tandem : tuaque exspectata tueri
Ora datur.

« Ad centum ferme passus circa Sorores Tertiarias, in » via Hospitalaria, Hispani erexere immanes duas operis » Corinthiaci columnas, altas praeter stylobaten pedes LVIII, » quarum altera in fastigio Caesaream ferebat coronam, al- » tera Regiam, subscripto utrobique bis in stylobate nomine » ESPAÑA. Post hasce haud longo intervallo excitaverant » utrimque immane, quasi ex vivo saxo, vallum; in cuius » inferiori quidem parte vastius erat corpus, crebris pinnis » superne munitum; superne autem exstabat species multo » minor quadratae turris, in qua uti et per intervalli pin- » nas dispositi eiusdem nationis galeati splendide milites,

» transeuntem Principem, multo cum minorum maiorumque » tormentorum atque scloporum fragore, salutabant, non sine » missilium ignium eiaculatione crebra. Duobus istis vallis » adnexi erant lignei sed lapidea specie fabricati muri, in » passus XLII producti, positis super singulis muros novenis » Doricae formae columnis, interque eas eleganter sculptis » statuis hinc Regum septem Hispanorum, Pelagii, Alphonsi » Casti, Ferdinandi I, Alphonsi VI, VIII et Alphonsi III » atque Ferdinandi Catholici; inde Virtutum cuique ipsorum » propriarum personae, *Fidei*, *Spei*, *Caritatis*, *Prudentiae*, » *Temperantiae*, *Iustitiae* et *Fortitudinis*. Geminis his muris, a » gemino illo vallo deductis, continuo nexu adiunctus stabat » Arcus, Dorica forma, triplici transitu, habens in latitudine » pedes LXV, in altitudine LXXX.

XII. » Super huius arcus coronice, in singulis quatuor » angulorum plateis, singuli stabant XXXV pedum obelisci, ex » simulato Numidici coloris marmore, habentes in suo fastigio » aurati fulgoris pilas. In quorum quidem quatuor obeliscorum » medio, super tota mole arcus XXXII pedes profundi, templum » eminebat sphaerica forma, bissenis aenei coloris columnis » fultum; magnamque afferebant voluptatem spectantibus, ad » dexteram CAROLUS V cum PHILIPPO filio, aurata antiqui » ritus panoplia decori, denum pedum statura, templum, parta » undique pace, claudentes; ad laevam OCTAVIUS AUGUSTUS » CAESAR, pari decore et statura, templum olim a se clausum » velut digito monstrans; eoque spectabat in superiori arcus » zophoro scriptum epigramma :

Ut quondam AUGUSTUS, *nunc clausit limina Iani*
CAROLUS, *in multos non reseranda dies.*
Sic et speramus (domito prius orbe), PHILIPPE,
Usque sub imperio clausa futura tuo.

» Viso non sine ingenti voluptate Hispanorum Arcu, mox » transitum est ad alium, quem centum inde numeratis passi- » bus, ad eum locum qui vulgo nominatur Triangulus, posuere » negotiatores Genuenses, magnitudine molis, amoenitate » structurae, varietateque picturae admirabilem, habentem in » latitudine pedes LXX, in profunditate pedes XC; in tota » vero altitudine, cum elevatione et impositis statuis, pedes » centum.

XIII. » In fronte anteriori molis totius, supra zophorum » conspiciebantur tres ex ordine ingentis magnitudinis abaci, » in quorum medio, aliisque duobus multo maiori, visus est » sedere CAROLUS V Caesar, super ingenti bicipiti Aquila. » Adstabat ei a latere PHILIPPUS : et utrique in demissa deorsum » nube, *Iupiter*, *Apollo*, *Mercurius*, *Pallas*, *Mars*, *Neptunus*, » sua singuli arma tradentes PHILIPPO, ad commendatum ipsi » orbem tuendum, ut epigraphe dicebat. In altero abaco tres » Parcae videbantur Carolo vitam prorogare, ex Catullo :

Currite, ducentes subtegmina, currite fusi.

» In altero PHILIPPUS, nonnullis Deorum praefatorum armis » indutus, conficiebat leonem, aliaque monstra quaedam, et » Harpyias videbatur fugare, dicendo :

Nil mihi vobiscum : procul hinc, procul este, profani.

» Praeter hos tres abacos erat et quartus, subter fastigium » positus; in quo depicti erant duo viri nudi, quorum alter » ex leoninis spoliis coniiciebatur esse *Hercules*, alter vero » magnus ille *Atlas* : quorum hic sumptum inter brachia mundi » orbem videbatur magnis conatibus tradere isti, adscriptum ex » Virgilianis Bucolicis hemistichium dicenti :

Ego hoc te fasce levabo.

» Ultra haec in ipso fastigio sedebat raro artificio dedolata

» nudae mulieris statua, dextera quidem tenens aureum fere » tripedalis amplitudinis circulum, sinistra autem auream an- » choram; tantaque celsitudine in aëre subvecta erat, ut, » cum esset ingenti proceritate ex immani trunco formata, vix » communem nostram videretur aequare staturam : huic autem » in abaco subscriptum erat eiusmodi dictum : *Qui vitam optas,* » *hanc vitam vivas;* commendans, credo, vitam inter labores » Herculea fortitudine ducendam, ut obtineri possit vita » aeterna, per circulum notata; ut ipsa figura nominari » potuerit *Immortalitatis spes,* notata per anchoram. »

Praetermitto similia frontis alterius ornamenta, picturasque transitus, tam in lateribus quam in fornice, ad pedes (ut dictum) nonaginta productis; et finio cum verbis Graphei, asserentis quod « Stephanus Ambrosius Schlapparius, Ligur, » huius tam egregii operis, magno sane cum labore et industria, » congessit et ordinavit historias, easque in picturas ac statuas » digestas, insigniter et affabre pictas et sculptas, inscriptio- » nesque omnes, suo unius ingenio excogitatas, suis locis » adaptari fecit, sub quorum umbris aenigmatica quaedam » mysteria inesse voluit, quae ipse privatim impresso libello » editurus ferebatur; homo cum ingenio tum eruditione non » solum apud suae nationis homines, sed et alios quoscumque » multum commendabilis. » Prodieritne eiusmodi libellus, nescio; ultimam Graphei clausulam, in specimen multarum similium, alibi omittendarum brevitatis causa, lege et mirare, quod « Hoc tam arduum opus perdiligenti cura eiusdem » Stephani coeptum XXVI Augusti, intra XVII dies prorsus » fuit absolutum, sudantibus in eo conficiendo plus quam » ducentorum LXXX opificum capitibus (in quibus plurimi erant » insignes architecti, pictoresque et statuarii) insumptisque » novem millibus Carolinorum.

XIV. » Ab hoc Genuensium Arcu digressis plus minus XL

» passuum spatio, ad initium viae Coriariorum, occurrebat, » publiciter erectus, non illepidus alius unius transitus Arcus, » altus pedes LX, latus XXX; supra cuius primam coronicem, » in cymba deaurata sedebat decempedalis viri forma, ad- » natantibus et marinas conchas seu tubas inflantibus Trito- » nibus duobus, quasi in occursum Principis : quis autem vir » ille fluvialibus iuncis coronatus esset, loquebantur maiusculae » supra portam litterae : *Omnigenum bonorum advector Scaldis.*» Assidebat, inquit Grapheus, super cymbae margine turrita Antverpia, qualem primo ad S. Georgii pegmate etiam descripserat, turri bipedali scilicet ornata, an dicam onusta, caput. Interim in huius Arcus iconismo nusquam exprimitur Antverpia, nedum turrita. In Georgiano autem iconismo turrim quidem videas, sed non bipedalem, instar cidaris paulo iusto altioris, ad tabulatum tamen usque evectam; unde et ex aliis pluribus exemplis disco, descriptioni cui magis fidendum, non usquequaque convenire iconismos, mutantibus subinde opificibus nimium festinis quae aliter delineata ab inventore acceperant. « Porro in editiore supra *Scaldim* loco, insistebat » mercium variarum vasorumque acervo *Mercurius,* ex uno » latere, consuetis suis insignibus noscendus, ex altero autem » *Negotiatio,* super bene compactas signatasque more mercato- » rio sarcinas, circum se habens syngraphas, chartas, chirogra- » pha, epistolas, rationum libros, multifidumque ac plenum » marsupium, scriptoria penna (ut fieri solet) post aurem » posita. Paulo depressiores stabant quinque praecipue hic » negotiantium Nationes, muliebri habitu pro suae cuiusque » gentis usu, videlicet *Germanica, Italica, Hispanica, Lusita-* » *nica, Anglica.*

» Pastis hoc spectaculo oculis, ulterius ad LV passus pro- » cedentes, ad dimidiam quam diximus Coriariam vocari » viam, vidimus *(inquit Grapheus)* ingentem magnificentissimi

» porticus molem a Florentinis EXSPECTATISSIMO PRINCIPI (ut
» inscriptio indicabat) dicatam. »

Procul hinc Arcuum nationalium ultimum posuerunt Germani superiores, nempe inter Officinam monetariam et S. Michaelis Abbatiam, porticum scilicet aliam; quam cum Florentina conferens structuramque considerans, dicere possis cum Ovidio :

Facies non una duabus
Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.

Ut unius eiusdemque architecti designationem utriusque esse iudicari debeat. Utramque sic expressit iconographus, ut sub unum aspectum posuerit exteriorem interioremque fabricam, utramque ex Italicae architecturae genio elaboratam; ut eas nihil opus sit multis describere, cum possint brevi tabella explicari ambae.

XV. Duplex ergo erat egredientibus ingredientibusque intra extraque spectanda facies : « supra acroterium porticus stabat
» hinc *S. Ioannes Baptista,* Florentiae patronus, inde Ducis
» Hetruriae, *Cosmi Medicaei,* equestris statua deargentata, cum
» duobus utrimque leonibus, vexilla Florentinis liliis insignita
» tenentibus. Frons prior supra portam lateralem unam,
» quadrato in recessu, continebat inauratas totas duorum ci-
» vitatis episcoporum icones, *Zenobiae* et *Antonini*, ut qui sint
» ob morum ac vitae claritatem in Divorum numerum as-
» sumpti; et sub iis in minus longo loculo, argentea *Religionis*
» statua cum subscripto : *Haec ex hominibus Divos facit;* supra
» alteram portulam, ex simili prioribus metallo, videbantur
» consistere duo illustrium heroum simulacra, *Ioannis Medicis*
» et *Philippi Spanae*, cum hoc Virgiliano hemistichio :

Duo fulmina belli;

» subtus autem *Fortitudinis* icon erat effigiata cum hisce

» verbis : *Ego heroas creo.* Similiter aversa facie pariformiter
» instructa, hinc quidem insimul collocati erant *Dantes*,
» *Petrarcha*, *Boccatius*, Florentini poetae, tamquam

Pii vates et Phoebo digna locuti;

» habentes sub se figuram *Suadelae*, cui subscriptum : *Quid*
» *hac efficacius?* inde pictorum sanguinis Florentini lumina,
» *Iottum* et *Michaelem-Angelum Buonarotum*, seculi istius
» gloriam, seu statuariam seu pictoriam artem spectes, hoc
» addito versu :

His cedat Zeuxes, cedat ter magnus Apelles.

» Infra hos figura *Industriae*, cui subscriptus titulus : *Artium*
» *parens.* In suprema autem coronice, nudi, more fluminum,
» cum argenteis urnis iacebant *Elsa* et *Sieva*, *Arnus* et *Munius*.

» Intercolumnia per totam porticum quina utrimque, ab
» epistyliis usque ad imas exedras, ut omnium ornatissime
» sic et multo opulentissime contegebantur partim aureis,
» partim holosericis diversorum colorum operimentis artificio-
» sissime elaboratis ac historiatis tapetibus. Denique ad co-
» lumnas singulas, notat Grapheus erectas super stylobatis,
» sub mulierum specie, hinc inde senas ex argento similato
» statuas praecipuarum Hetruriae civitatum; erantque dextro
» quidem ordine *Pisae*, *Voluterrae*, *Cortona*, *Burgum S. Se-*
» *pulcro*, *Castrocarum*, *Fesulae;* laevo, *Aretium*, *Pratum*,
» *Politianum*, *Villa-nova Pescia*, *Empoli*, » quas cum in ico-
nismo nostro nusquam vides, intellige positas sub extremos
operis absolvendi dies, cum sculptor designatam sibi absque
illis lamellam perfectam haberet.

XVI. Hactenus Florentinae Porticus descriptio, longae pedes cxxx. Germanicae Porticus, cum hac comparandae, minor erat longitudo, pedum dumtaxat LXII, frontispiciorum latitudo et

altitudo utrobique fere par. Nam Florentinae latitudo erat pedum L, altitudo LX, Germanicae vero latitudo pedum LVI, altitudo pedum LXIV. Sed quam dispar utriusque nationis erat circa Religionem sensus, tam dissimilis fuit ratio eligendi personas, quarum statuis suam quisque structuram ornarent. Florentinis, probe Catholicis, sacrae imagines placuerunt : Germani, iam tum multum infecti, profanis usi sunt; non tamen ineptis ad argumentum. « In summo acroterio Germanicae » molis stabat biceps Aquila, grandem orbis terrarum globum » aureum sub pedibus habens, expansis alis; quae, lubricae » insistens pinnae, se huc illuc, secundum aurae flatum, » volvebat. In sima cernebatur argentea mulieris statua, in » iconismo (ubi solum dimidia poni potuisset) praetermissa : » cui nomen inscriptum GERMANIA, addita hac ex Davide maius- » culis litteris sententia : *Sub umbra alarum tuarum*. In singulis » simae angulis, praecipuorum Germaniae fluminum (sicuti in » Florentino Hetruriae) *Danubii*, *Rheni*, *Albis* et *Vistulae*, ex » argenteis urnis aquas fundentium, argentata simulacra. In » facie anteriori forinsecus, in tribunalibus aureis, aureae » statuae duae, quarum uni subscriptum *Thuiscon*, vetustus » Germanorum Deus; alteri *Mannus*, Thuisconis Dei filius. In » inferiori columnatione eiusdem faciei, argenteae in tribuna- » libus aureis statuae item duae muliebres, *Inclita Vindelicorum* » *Augusta* et *Percelebris Noricorum Noriberga*. In facie pos- » teriori, simili prioribus bractea induti, *Teuto*, *priscus* » *Germanorum Rex*, et *Orgetorix*, *magnus Germanorum Dux*, » Intra caveam duplex quoque erat columnarum ordo : in » superiori, e conspectu ingredientium, aurati toti *Carolus V* » *Caesar*, *D. Ferdinandus*, *Hungariae Rex*, *et Princeps Philippus;* » ex adverso autem *Immortalis Fama ac Disciplina*. In lateribus » vero eiusdem columnationis (quorum laterum in iconismo » nullum indicium, uti nec in fronte trium praenominatarum

» statuarum) stabant in aureis tribunalibus sex *Imperii Ele-*
» *ctores*, suis quique insignibus noscendi. Forinsecus denique
» in utraque eiusdem superioris columnationis facie ingens
» abacus, utraque in facie sic inscriptus, DIVO CAROLO, *Maximo*
» *Imperatori Caes. Aug. Magno item Philippo*, illius filio, *ob*
» *gratissimum eorumdem adventum, Imperiumque Caesarea*
» *providentia tranquillitati redditum, certa concepta spe, magnum*
» *illum filium illi maximo patri in Imperii aliquando succes-*
» *surum sceptra; Germani utriusque Clementiae addictissimi.* »
Artifices et operarii huic operi adhibiti fuerant nonaginta (Florentini numerant capita centum et viginti) : impensi (quod Florentini noluerunt explicari) ter mille ducenti Carolaci.

XVII. Euntibus porro a porticu Florentina (redeundum enim a diverticulo in viam triumphalem est) et ad Meram tendentibus septentrionem versus, statim se offert Pons Meranus, valde spatiosus et prospectu amoenus. « Hic praetereuntibus a
» dexteris spectandum erat et magnitudine et columnarum
» epistyliorumque et ceterorum, ad ea pertinentium, raritate
» speciosissimum pegma, habens novem arcus, quod patens
» in latitudinem pedes plus minus XCIV, a terra usque ad
» coronam pedes surgebat XXX. Supra vero sic erat certis
» ornamentis extensum, ut in medio, ubi altius erat, surgeret
» ad pedes LX. Sub singulis arcubus exhibitae fuerunt, in
» gratiam tum ipsius Principis, tum acceptissimi sui nominis
» quod est PHILIPPUS, illustrium aliquot Philipporum personae,
» cum brevibus subtus elogiis. Ac primus omnium, sublimius
» ceteris et inter eos medius, PHILIPPUS, Princeps noster
» desideratissimus, D. Caroli V Caesaris Aug. filius, ingens
» bene ominantis orbis exspectatio. A dextro eius latere ad-
» stabant I. *S. Philippus*, Christi Apostolus; II. *Philippus*, Ca-
» stellae Rex, D. Maximiliani filius, deliciae orbis, Patriae
» amor; III. *Philippus*, Imper. Romanus, primus inter Caesares

» Christum amplexus, a Decio Imperatore per dolum occisus; » IV. *Philippus*, Macedonum Rex, Alexandri Magni pater, victo- » riarum successu felicissimus. » A sinistro latere adstabant I. *Divus Philippus* Diaconus, unus e septem cum Stephano in viduarum ministerium electis, convertit Samaritanos, baptizavit Eunuchum Aethiopem; II. *Philippus*, cognomento *Bonus*, Dux Burgundiae, Ducis Ioannis filius, Caroli Strenui illius pater; III. *Philippus*, Dux Burgundiae, Ducis Antonii filius; IV. *Philippus*, Dux Burgundiae, cognomento *Audax*, Ioannis Francorum Regis filius. In zophoro ipsis arcubus incumbente : *Salve, Magne o* PHILIPPE, *inter tot Philippos, vel rebus praeclare gestis vel pietate illustres, ipse et avitae claritatis gloria, et beatae indolis praesagio, et summa de te exspectatione longe praestantissime.*

XVIII. « Ad pontem Catharinarium *(sic dictum a porta quam » paucis abhinc annis vidimus*, inquit Grapheus; *haec autem a » statua D. Catharinae ibidem in honore habita nuncupabatur);* » ad pontem, inquam, Catharinarium positum pegma unius » transitus, altum pedes LXX, latum XL, eminentiori loco » stabant *Plausus, Alacritas, Voluptas, Exsultatio, Laetitia, » Promptitudo, Congratulatio, Musica, Harmonia*, omnes versi- » coloribus alis, vivis vocibus, vivo gestu quamdam quinque » vocum cantilenam in Principis laudem, vernacula nostra » lingua compositam, adhibitis fidibus concinentes : ad quam » symphoniam vidimus ipsum Caesarem (utpote linguae in- » telligentem) attentum subsistere suaviterque arridere. Ad » exsultantium vero pedes, depressiori loco magna moestitia » affecti ringentesque iacebant *Dolor, Luctus, Tristitia, Displi- » centia, Melancholia, Invidentia.* In zophoro autem epistylii » hic versus :

Exspectate venis, nostri spes altera secli.

» Hoc spectaculo iam post tergum relicto, en continuo ad
» centum passus alius se offert Arcus in ponte Viteo, altus
» cum imposito sibi pegmate pedes LXVIII, latus XL; in cuius
» medio supra portam positus ingens mundi globus pendebat,
» XII pedes diametro continens, quem totum aureum insidebat
» *Aequitas;* subtus ambulabant, sedebant, stabant, ludebant
» varium genus hominum, viri, mulieres, iuvenes, senes,
» pueri, puellae; alii nudi, alii seminudi, alii aureo radiantes
» amictu; omnes facie, capillis, manibus, pedibus, brachiis,
» tibiis (miror si vivae personae fuerint) ac toto denique
» corpore aurei : in abaco autem supra epistylium legebatur
» hoc tetrastichon :

Certum est augurium, magno haec sub Principe cuncta
Aurea erunt : toti facies erit aurea mundo.
Aurea nascetur passim gens, aurea surgent
Secula, sponte sua tum ferrea desinet aetas.

» Hinc transitum ad pontem Minoritarum, vulgo dictum
» Fraterculorum, ubi in pegmate similis, cuius prior, mensurae
» consistentes personae, summam rerum futuram tranquillita-
» tem, cum gestuum alacritate, tum nominum significatione
» prae se ferebant : sub quorum pedibus, loco depressiori,
» iacebant aliae, quarum illarumque nomina sic in abaco,
» infra fastigium posito, exprimebant hi versus :

Dulcis Libertas, Concordia, Paxque, Ceresque,
Sancta Politia, et cum quaestu plena bonorum
Copia, sub tanto florebunt Principe. Porro
Mars, Furiae, Rabies, Discordia, truxque Tyrannis,
Sub pedibus, iactis vinclis in colla, iacebunt.
Talia fatidicae, promittunt tempora Parcae.

XIX. » Ad pontem Vaccarium et praetereuntium dexteram
» constitutum pegma distinguebatur in arcuata tribunalia tria,

» quorum medium amplius erat; totum vero ad pedes LXX » extensum, altum LX; ubi in Principis gratiam repraesentatae » stabant, splendidissimo in habitu, paternae suae hereditatis » cis Alpes provinciae praecipuae cum suis quaeque insi- » gnibus subscriptisque triplici in abaco nominibus, *Austria*, » *Burgundia*, *Brabantia*, *Geldria*, *Flandria*, *Artesia*, *Hannonia*, » *Hollandia*, *Zelandia*, *Frisia* : in epistyliorum autem zophoro » hanc legere erat scripturam :

» *Has paternae tuae hereditatis Provincias, felicissime Princeps,* » *iugi prosperitate beatas, ad tuam gloriam patriaeque salutem,* » *faventis Numinis bonitas benigne tueatur, foveat, conservet.*

» Stylobatarum vero inscriptio erat :

O fortunatos populos, queis, Numine dextro,
Hic tantus Princeps, tantis ditionibus heres
Succedit : festo hinc exsultant cuncta triumpho.

» A ponte Vaccario Meridiem versus succedit via ab inde » et a porta, quae ibi olim fuit, dicta Vaccaria; in cuius » medio elevatus ad pedes LXX Arcus supra transitum habebat » elatiori loco stantem Principem, cuius capiti imminens » Aquila videbatur Imperium polliceri, ex publico omnium » voto, sicut *Ascanio*, Aeneae filio, et *Servio*, Romanorum » Regi, visa est regnum portendere erumpens ex capite flam- » ma, quod sic explicabant scripti desuper grandi in abaco » versus :

Ascanius flamma, flamma quoque Servius omen
Accepit Regni : sacro sed vertice nostri
Principis impendens Aquila, Imperiumque Decusque
Portendit summum. Certa haec oracula. Salve
Magne Orbis ductor, Rex et Caesarque future
Tu Lybiam imperio Europamque Asiamque tenebis.

» Hae nempe tres orbis partes in eodem theatro sub pedibus » PHILIPPI sedebant, sine vinculis, non solum *Europa,* sed » etiam *Africa, Asiaque;* quas Mahometica servitute pressas, » aut superstitione detentas, spes esset etiam vindicandas » in libertatem; nec alio spectabat hoc in epistylii zophoro » distichon :

Tu super Aethiopas, super et Garamantas et Indos
Protendes sceptrum : tibi serviet ultima Thule.

XX. » Inter iam spectatum Arcum et pontem Lacteum » decurrens via, ut dixi, Vaccaria, bifariam finditur ad qua- » drivium, quod facit Lanaria, occurrens viae Veteris Bursae; » et quod hinc superest, Brevior seu Minor Vaccaria dicitur. » In hac, non ita longe a dicto ponte, Germani *Aquilonares,* » qui vocantur *Societatis Maritimae* (Osterlingi alias dicti), » habent vastas ex lapide vivo aedes, sed iam fere prae » vetustate ruinam minantes, publicum nationis eorumdem » diversorium, ab insigni Aethiopis nominatum. »

Hoc vero tempore, post translatum hinc ad Forum Frumentarium vetus, ac deinde ad novam Civitatem gentis illius diversorium, manet adhuc in via Portae Vaccariae domus aliqua, sub insigni Aethiopis, atque ex eius regione plateola HET MORIAENSTRAETJEN. Ibi ergo cum aedes adhuc suas haberent mercatores isti, et abundarent copia cerae, « latissimam earum » frontem, a primis tabulatis usque ad tectorum fastigia, » innumeris ex cera facibus magnifice adornarunt; et ante » ipsas, ad utrumque viae latus, spatio passuum xxxv, dispo- » suere crebras quadratae formae columnas, cum percurrente » desuper zophoro, Caesaris Principisque insignibus gran- » dibusque cerostatis coronato, omnia nomine Nationis curan- » tibus eius Seniore Winoldo Falcone et Secretario Iacobo » Corvino. » Sed an alio modo, quam tota via amburbali

factum initio diximus, nescio; suis ipsi id sumptibus fecerint quod alibi fiebat publicis, et forte paulo magnificentius maiorique numero cereorum.

XXI. In ipso autem ponte Lacteo progredientibus ad sinistram (qua nunc scilicet itur ab eodem ponte ad aream ecclesiamque Domus Professae Iesuitarum) elegantis, ut cetera, pegmatis positum erat spectaculum : « CAROLUS V Caesar scilicet » filiusque PHILIPPUS, bene armati, editiori loco conspiciebantur; ad eorumque pedes inferne prosternebantur supplices » *Bithynia, Pamphylia, Graecia, Assyria, Palaestina, Aegyptus,* » *Phoenicia, Arabia, Numidia, Aethiopia, Hierosolyma, Constantinopolis, Damascus,* et aliae nonnullae civitates aut » regiones, prout subscripta nomina indicabant, gementes » sub iugo Infidelium, Turcarum, Maurorum, Arabum, Saracenorum, Agarenorum, Mammaluccorum; qui confestim ut » videre viros fulgentiaque eorum arma, ingenti videbantur » trepidare metu atque obvertere terga, iuxta illud regii Vatis » dictum : *Fugit impius nemine prosequente.* Super columnarum » autem epistyliis, inter luculentissima compartimentorum (ut » appellant) ornamenta, erat abacus altitudinis quinum, latitudinis duodenum pedum, cum hac scriptura :

» *Regna, Provinciae, Urbes, Nationes, Turcica tyrannide* » *oppressae, se tam foeda servitute liberari certa spe avide* » *exspectantes, Vos, o invictissime* CAESAR, *o potentissime* » *princeps* PHILIPPE, *protensis palmis suppliciter orant, ut, quod* » *dudum partim Lybica, partim Pannonica expeditione feliciter* » *coeptum est, id tandem vestra amborum ope, procul fugatis* » *fusisque hostibus, gloriose perficiatur. Ecquis hoc inter tot* » *orbis principes praestabit felicius quam Vos, o Barbarorum* » *ingens pavor ac terror? Implete quae de Vobis vulgata oracula.*

XXII. » Hoc satis contemplati spectaculum, progredimur » *(inquit Grapheus)* ad LX passus Forum versus; et ipsum

» ingressi, mox conspicimus ingentem, sublimem, perma-
» gnificum Arcum, triplici transitu pervium, cuius quaelibet
» facies duplicem habebat ordinem columnarum, inter quarum
» postremas praegrandis et quadrata pedum XV tabula, scripto
» utrimque titulo, quibus et a quibus et cur positus esset,
» sic indicabat: *Divo* CAROLO *Max. Imp. Caes. Aug. ac Magno*
» PHILIPPO *illius filio, Hispaniarum Principi, ob desideratissimum*
» *eorum adventum, et, quae hactenus constitit, perpetuam inter*
» *eosdem et Britanniae Reges foederis constantiam, Mercatores*
» *Britanni, claro hoc emporio negotiantes, iustae gratulationis*
» *testimonio, huius arcus molem erexere.* Inde assurgentes
» oculi ultra zophorum, peribolo columellarum coronatum,
» videbant in aere *Oceanum*, concha marina, Tritonibus
» praenatantibus protracta, insidentem; cum assidente ex
» adverso Britannia albis vestita, utpote *Albion* primitus
» dicta: quo modo in aversa facie conspiciebatur supra urnam
» suam extensus *Tamesis*, praecipuus Angliae fluvius. In eadem
» qua titulus elevatione, stabant titulumque stipabant artificiose
» et grandi statura exsculpti, in una quidem facie *Constantinus*
» *Magnus*, Imperator, primum Britanniae decus, et *D. Helena*,
» Constantini Magni Imp. mater, S. Crucis inventrix, alterum
» Britanniae decus; ut inter columnas inferiores, huic *Pietas*,
» illi *Constantia*, similiter elaboratae, responderent; quemad-
» modum in aversa facie stabant *S. Lucius*, primus inter
» Britanniae Reges Christum professus, et *S. Fugatus*, qui una
» cum sancto Damiano regem Lucium totumque Britanniae
» regnum, omnium primus, Christo lucrifecit, ita docen-
» tibus titulis subtus positis, quibus inferius respondebant
» *Religio* et *Fides*. Hic Arcus, pedes LXXIII altus cum figuris
» *Oceani Tamisisque*, latus LVIII, habebat profunditatem, egregiis
» picturis eodem spectantibus ornatissimam, pedum XXX;
» atque allaborantibus CC.LXI statuariis pictoribusque et

» fabris lignariis perfectus, constitit quater mille ducentis
» Carolaeis.

XXIII. » Hunc Arcum transeuntibus, longo in Forum » prospectu centenum passuum, apparebant Dorici operis » columnae duae, evectae super stylobaten unum continuum, » latum pedes plus minus quadraginta, una cum similis men- » surae epistylio ad pedes LXVII; intra quas sedebat Romano » ritu armatus GIGAS, altitudinis pedum XXIV; cui nescio an » toto mundo parem colossum inventurus sis, seu molem » seu artem spectes; qui tamen, licet firmissime compactus » et vix tormentariis globis penetrabilis, a suo fictore Petro » Alostano sic ex materia, ad pectus, ventrem, brachia et » suras ac tibias vacua, est efformatus, ut ad amburbalia » spectacula circumtrahi senis equis soleat. Quis esset, loque- » batur ipsemet per verba epistylio inscripta :

» *Ille ego, quem fama est his olim locis novam exercuisse » tyrannidem, etsi corporis vastitate adhuc dum sim formidabilis, » posita iam feritate, Tibi,* PHILIPPE, *Princeps maxime, libens » cedo, tuaeque me potestati ultro subiicio.* »

Gigantem praetergressi ad passus XXXV, coeperunt habere ad sinistram Pontem seu Porticum pensilem pedum ducentorum, de quo supra, eique adnexam temporariam aulam C.XXVII pedum, sub cuius tribunali patebat transitus pedum XX ituris ad D. Michaelis per viam Altam. In huius principio pia Magistratuum « cura excitaverat arcum forma magis quam » mole spectabilem, pedum L altitudinis. Unica ei erat elevatio, » transitus unus pedes latus XIV, per portam et fornicem » duplicis quadraturae, super quam epistylium operi pro- » portionatum utraque in facie (nam gemina erat) sustentabatur » duabus utrimque ordinis Corinthii columnis, supra stylo- » batas congrue elevatis : supra zophorum autem, utroque » in cornu stabat biceps Aquila, interque eas basis, longa

» pedes XIV, cui insistebant hinc CAROLUS, inde PHILIPPUS, sustinentes humeris Orbem terrarum geographice descriptum, » diametri pedum XII. Et profecto rarum erat et iucundum » videre tantos Principes de facie notos, tam sublimes a » terra sustinere molem, et magnitudinis et rotunditatis » ratione portatu difficilem, nullo alieno (quantum videri » poterat) sustentaculo; interque validissimas etiam ventorum » procellas potuisse vel subsistere vel teneri : in zophoro » autem legebatur hoc distichon : »

Alcides Atlasque ingens, nugae omnia : vere
Isti humeris gestant totius pondera mundi.

XXIV. » Hinc ad passus XC, in quadrivio ad forum quod » vocant Linarium, Arcus stabat, supra cuius fornicem, intra » elevationem primam, sedebant (iconismus stantes exprimit) » effigie et consueto habitu omnes noti *Philippus Bonus, Carolus* » *Strenuus, Maria, Maximiliani coniux, Maximilianus Caesar,* » *Philippus Rex, Carolus V Caes., Philippus Princeps :* ante quos » humiliori loco sedebant *Antverpia,* turrito vertice dignoscenda, inter *Fidem* et *Obsequentiam;* quae quorsum tenderent, » explicabat inscriptio abaci in fastigio positi, hac litteratura : » *Quam incredibili favore et benevolentia tui Progenitores, optime* » *Princeps, urbem Antverpiam semper prosecuti fuerint, adiuverint, promoverint, omnibus notum est. Quam vero illa, et* » *beneficiorum memor, et gratitudinem suam declarans, illos prae* » *ceteris omnibus impolluta semper fide, iugique et candido semper* » *parato obsequio, sedulitate, studio hactenus coluerit, amaverit,* » *observaverit, omnique ipsis (ubi res exigebat) officio quam* » *promptissime adfuerit, ipsi vicissim libenter agnovere. Quod* » *et Te ex eorum vestigiis pari omnino virtute praestiturum,* » *nihil quidquam sperat fore certius.*

» Idem erat alterius faciei spectaculum, eadem inscriptio abaci,

» nec aliud discrimen, quam quod in tribunis lateralibus depictae » starent (nam quae iam descripsi, repraesentabant personae » vivae) hinc *Fides* et *Observantia*, inde *Candor* et *Obsequentia*.

XXV. » Veteri deinde urbis portae, a S. Ioanne dictae, » alium Arcum unius faciei praestruxerat Civitas, in quo exhi- » bendum spectaculum alluderet ad hoc Principis symbolicum » dictum, NEC SPE, NEC METU; ibi scilicet ille, ad vivam sui » similitudinem exprimendus, stare debebat super quadrato » lapide, altitudinis trium pedum, cuius vestem hinc appreben- » deret *Spes*, sollicitae mulieri alataeque similis, aerii coloris » habitu et capite radiato; inde *Metus*, quem prae se ferret vir » macie confectus, colore pallidus, capite horripilante; confir- » marent autem in eodem lapide consistentes viragines quatuor » *Constantia*, *Fiducia*, *Fortitudo*, *Magnanimitas* : et in abaco » superiori legebatur hoc tetrastichon :

Qualis dura silex, qualis Marpesia cautes
Stat mediis immota undis; ita turbine quovis
Aut huc aut illuc Virtus heroica nescit
Flectier; intrepidum obfirmat Constantia pectus.

» A porta Ioannitica usque ad Monetariam officinam pro- » currit Area, cui *Littus* seu *Ripa* nomen est, DEN OEVER ; in » cuius capite laevorsum, ad viam quae ducit ad D. Michaelis » (istic ubi suburbani duo pagi suum nunc habent tribunal) » erectum fuit pegma, privato monetariorum affectu : in cuius » superiori scena DEUS, multa circumfusus luce, viro cuipiam » in genua procidenti, cui titulus HOMO, ex porrecta manu » tradebat auream argenteamque monetam : et ille divino eo » munere, ut ex gestu apparebat, laetus, datori meritas agebat » gratias. Inferiori in scena *Saturnus*, fabri ritu ad incudem » sedens, cudebat aureos argenteosque nummos. Adstabat » cudenti *Dea Moneta*, et huic quatuor suae speciosae filiae,

» *Opulentia, Copia, Negotiatio, Civilitas,* quae nummos, a » Saturno liberaliter porrectos, plenis manibus proiiciebant » in vulgus. Huius erat lepidissimus ac varius actus, dum » omnes sursum ad nummorum iactum hiarent, omnesque » simul ad rapiendum manus protenderent, alii alios cubito » truderent, alteri alteris nummum prehensum eriperent; » alii labris, alii dentibus, alii manu, alii galericulo nummum » reciperent; alii alios proculcarent, pugnis caederent, crinibus » traherent, conviciis lacesserent, se mutuo comprimerent, » interque compressiones vario ululatu se laedi, suffocari » quererentur, clamarent, vociferarent. »

XXVI. Hinc per Germanorum porticum, iam supra, ubi de Porticu Genuensium, delibatam; sub eo theatro, quod diximus propylaeo Michaelitico praestructum, « itum est in Abbatiam; » et Princeps cum patre Caesare geminisque Reginis, suo » quisque destinato sibi loco, cum incredibili plausu, recepti » sunt; deinde hilariter coenatum est, ac tandem ad optatae » quietis munera itum. » Hactenus Grapheus, in quantam facere potui brevitatem contractus; nunc reliquos sequentium dierum actus continuo tractu placet ex ipso transcribere.

« Postero die, hoc est pridie Idus Septembris, Princeps » cum splendidissimo comitatu ad Matris Virginis aedem » profectus, sacris ibidem solenniter peractis, in forum se » recipit : ubi in temporaria illa (de qua superius diximus) » Aula, pro tribunali, hoc est suggesto ad hoc peculiariter » destinato, frequenti Heroum ac Procerum Magistratuumque » adstante corona, densissimaque populi in foro congregata » multitudine, rursus solenni iureiurando, in futurum he- » reditarium Principem patriaeque patrem, rite inauguratur. » Principis iurantis haec erat formula :

XXVII. « *Nos* PHILIPPUS, *D. G. Princeps Hispaniae, utriusque* » *Siciliae, Ierusalem etc. Archidux Austriae, Dux Burgundiae*

» *et Brabantiae, Comes Habsburgi et Flandriae etc. iuro, in hoc meo ingressu ad hereditatem, firma rataque tenere omnia iura et rationes Ecclesiae, Civitatis Antverpiensis, et Marchionatus S. Imperii Romani; et generaliter statuta omnia, privilegia, libellos, exemptiones et libertates, iura et consuetudines, veteres ac novas, cum privilegiis nostri Laeti Ingressus, quae nostris Brabantiae Statibus concessimus, absque ulla exceptione; et quod contra ea nullo modo facturi simus, aut fieri curaturi, in parte vel in toto; sed quod facturi simus quidquid legitimus Dominus tenetur facere, suae Civitati Antverpiensi, Marchionatui S. R. Imperii et bonis subditis atque incolis earum. Ita me Deus adiuvet, et omnes Sancti eius.* »

Magistratus autem sic iuravit : « *Nos Consules, Scabini et Senatus Civitatis Antverpiensis promittimus et iuramus illustrissimo Principi Hispaniae, utriusque Siciliae, Ierusalem etc. Archiduci Austriae, Duci Burgundiae et Brabantiae, Comiti Habsburgi, Flandriae, etc. futuro certo atque indubitabili Domino nostro, hic praesenti, tamquam Duci Brabantiae et Marchioni S. R. Imperii, fidem et homagium : facturos nos scilicet quidquid fideles subditi tenentur facere vero ac legitimo Principi suo. Ita nos Deus adiuvet et omnes Sancti eius.* » Requisitus populus an consentiret, elata more gentis manu, consensit hilariter : et mox, pulsatis tympanis tubisque sonantibus, secuta gratulatio est, Heraldo Principis auream argenteamque monetam, eo fine cusam, in vulgus spargente. « Hic, magna plebis accurrentis compressione, ingens cum aureae tum argenteae monetae copia, inaugurati iam Principis munificentia, in vulgus sparsa; deinde ad Michaelitas in Regiam rursus abitum. A meridie autem, Principe ibidem opperiente, Lusitani, qui cum reliquo Nationum equitatu, ob causas ante redditas, non comparuerant, inspectante iam Principe magnifice obequitantes, se coram videndos exhibuere.

XXVIII. » Sequuntur Idus Septembris, Philippi martyris » memoriae sacrae. Erat autem hic Philippus Romano san» guine inclytus, clarissimae Virginis ac Martyris Eugeniae » pater, primum quidem sub Valeriano et Galieno Impera» toribus Praefectus Alexandriae, deinde sub Imperatore » Severo, cum ab idolis ad Christum defecisset, eiusdem » urbis factus Episcopus; tandem a Perennio, in eam Praefe» cturam sibi successore, Severi iussu (crediti Christi causa), » atque his Idibus, omnibus facultatibus Romano fisco addictis, » capitali supplicio affectus, in Martyrum numerum est relatus.

XXIX. » His Philippicis, inquam, hoc est bene auspicatis » Idibus (omnia enim Philippica, ob unum hunc nostrum » PHILIPPUM, nobis auspicatissima) » Mechlinia vectus lectica equestri, permissu Caesaris, venit Antverpiam, XI Septembris, *Ioannes Fredericus*, *Saxoniae Dux*, Lutheranus, qui ante biennium victus, captus, Electoratu privatus, istic detinebatur, ea in domo, quae postea Societatis Collegio ac Novitiatui cessit : voluit enim eum clementissimus Imperator communis huius laetitiae participem esse, quod, a Caukerkio notatum, miror, a Grapheo nusquam; attingitur autem ab hic desinente Rotulo Petri Verulii, qui addit, adductum Electorem sub custodia centum Hispanorum plerorumque armatorum duplicibus sclopis, quos HAKEN, id est, *Uncos* appellant. Interim narrat quomodo hac ipsa Philippica die, « formosa Polyxena, Domini Brederodani filia, inclyto ditio» nis Sanctantonianae Domino, illustris Domini Granvellani » filio desponsa, secundum meridiem, a Principis Aula, ad » reverendiss. D. Episcopi Atrebatensis (qui sponso germanus » est frater) deducta est diversorium, hoc est ad amplissimas » Fuggerorum aedes. Deducta est autem comitantibus eam illu» stri pompa, ipso Principe, Franciaeque et Hungariae Reginis, » multorumque Heroum ac Procerum accedente multitudine.

» Ubi ad ducentos ferme passus perventum in id forum » est, quod ante Monetariam officinam aperitur, stabant » in sponsi sponsaeque gratiam paratae geminae, ad equestre » certamen bene instructae acies; et stabant absque tentoriis, » absque septis, aperto campo, praefulgentibus armis, sum- » ptuosissimis paludamentis, pulchreque phaleratis equis valde » spectabiles. Erant vero utrimque ad confligendum accincti, » ab hac quidem parte duodecim, ab illa autem totidem viri » equites bellatores, longis acuto ferro hastis terribiles, densis » hinc et inde muniti alis, ex centum sclopetariorum prae- » sidio contractis. Tandem autem, dato praelii signo, expeditis » hastis, aptatis galeis, datis equis calcaribus laxatisque » habenis, ineunt certamen : graviter concurritur, fit acris » pugna, variusque conflictus : concussa sonant arma, fractae » in partes volant per aërem hastae; expandunt se alae; prorum- » punt quinquaginta hinc, quinquaginta illinc, creberrimo cum » sonitu densoque fumo; et continuis ignium flammis latrant » sclopeta. Tum varie acclamante populo, clangentibus tubis, » frementibus equis, tinnientibus armis, crepitantibus hastis, » latrantibus, fumantibus et fulminantibus sclopetis, mira fit, » cum ingenti et plausu et Martii spectaculi voluptate, confusio. » Tandem, dirempto certamine solutaque acie, ducta inde cum » splendidissimo Principis Reginarumque comitatu sponsa, » discessum est. Et haec quidem Idibus Philippicis acta.

» Postridie, hoc est festo exaltatae Crucis, quo die sol » ingreditur Libram, *quae lucis somnique pares* (ut ait Maro) » *conficit horas*, Caesar filiusque, et universi Principum, » Ducum, Comitum Procerumque Ordines, longissimo ductu, » maximo populi accursu, ad magnam D. Virginis aedem » pietatis gratia se conferunt : peraguntur sacra : reditur in » Regiam; a meridie convenitur in Forum : ibi in temporariae » illius Aulae tribunali augustissime ad hoc ordinato, spectante

» Caesare, Principe filio, utrisque Reginis, Heroum quoque » et Procerum multiplici consessu, ac etiam universo populo, » pedestri certamine, strictis gladiis diu varieque certatum est. » Eius certaminis fuere capita quatuor Provinciae Brabanticae » illustres Heroes, nempe Marchio Bergensis, Comes Hoch- » stratensis, Comes Hornensis, Comes Meghemii. Ex his in » geminas partes divisis bini utrimque constituebantur ducto- » res, qui pugnam provocarent; habebant enim utrimque bene » instructam ex nobilium hominum numero, gladiatoriam » suam cohortem. Erant autem omnes, et pulcherrimis armis » et sumptuosissimo ex auro argentoque ornatu insigniter » decori; stabant vero in magno quadrato septo, aliisque et » aliis supervenientibus, acriter dimicabant usque ad vesperam.

XXX. » xvii Kal. Octobris, nimirum postremo omnium » spectaculorum ludorumque die, qui erat Dominicus, postri- » die exaltatae Crucis, rursum pari fastu itur ad sacra, reditur » in Regiam, ac deinde rursum a meridie convenitur in Forum, » ubi Caesare, Filio et utrisque Reginis in tribunali illo con- » sidentibus, reliquisque Proceribus et Heroibus assistentibus, » splendidissimo apparatu atque incredibili sumptu exhibiti sunt » festivissimi hastarum ludi: quorum ludorum ab una quidem, » illustriss. Princeps Pedemontanus, ab altera vero parte Flo- » rentius Montmorantius, Hambermontii Dominus, lecti erant » ductores. Habebat autem Pedemontanus cum suis asseclis, » pro tessera, colorem in omni suo ornatu croceum, carneum » et violaceum, qui colores Principi nostro sunt peculiares: » Hambermontius vero, candidum et rubrum. Fuerant quidem » antea ad hoc munus designati illustris Comes Arembergii, » ditionis Barbansonii Dominus, et inclytus D. Iacobus ab » Harbais, Caesari a cubiculis, Marchio Antverpiensis: sed » cum hi in celebratissimis illis, quos serenissima Hungariae » Regina Maria, in Principis nepotis gratiam, Bincii instituerat,

» cuiusvis eius generis ludis, quorum et ipsi ductores erant,
» utrique gravissime vulnerati essent, non potuerunt Antver-
» piae obire munus, cui (ut iam diximus) antea designati
» fuerant : quare et utriusque illorum honoris et nostrae
» Reipublicae gratia, Illustrissimus Princeps Pedemontanus,
» loco inclyti Harbaisii, Hambermontius vero, Comitis Arem-
» bergii nomine, peragendis ludis suscepere partes, iisdem
» tesseris et colorum distinctione, quibus illi usi fuerant : ipse
» vero Princeps noster (pro singulari, hoc est, plane heroica
» sua benignitate), et ludum et hanc urbem illustrius honoratu-
» rus, se adiunxit parti Principis Pedemontani, unaque iisdem
» coloribus eodemque ornatu dignatus est in arenam prodire.

» Porro Principis Pedemontani asseclae (excipio Principem
» nostrum, qui etsi cum aliis duodenarium conficeret nume-
» rum, merito tamen ipsis ductoribus habebatur potior) fuere
» hi : Comes Egmondensis, Comes Mansveldensis, Comes
» Hochstratensis, D. de Chievres, D. de Noijelles, D. de
» Trasegnies, Baro de Courlaou, D. de Peloux, D. de Lam-
» bert, Don Louis Zapata, Don Louis Mendez de Haro :
» Comitem vero Arembergium secuti sunt hi : Comes Hornen-
» sis, Marchio Bergensis, Comes de Meghem, D. de Monceau,
» D. de Chantonnay, Don Louis de Caravaial, Don Ioan
» d'Acuna, Don Diago d'Acuna, Don Garcia d'Ayala, Don
» Francisco de Mendoza, Don Hernando de la Cerda, Don
» Diago d'Azevedo. Singuli autem, tam asseclae quam du-
» ctores, atque in primis ipse Princeps, binos habebant etiam
» ex Nobilitate, Insignium quisque suorum portitores, bi-
» nosque ab equis totidemque a pedibus ministros : ornatus
» vero omnium in genere, ex puri auri argentique tela, inter-
» textis cuiusque ductoris coloribus, raro splendore, incom-
» parabili sumptu supra modum magnificus. Cum nostrum
» igitur Forum ab Oriente in Occidentem longius sit quam

» latum, posita fuere in longitudinem quaterna septa (huius-
» modi ludorum periti Listas vocant), intra quorum quidem
» media currerent hastis certaturi; inter extrema vero (ut
» a populi compressione essent tutiores) accurrerent insi-
» gnium gestatores et ab equis et a pedibus ministri. Erant
» autem septa ista satis longa et bene sumptuosa, in
» quorum singulis extremitatibus et ductorum in longis
» hastis cum eorumdem insignibus vexilla, et suis coloribus
» distincta, stabant fixa tentoria.

XXXI. » Hinc (ubi tempus) certaturi prodeunt, clangunt
» tubae, velluntur hastae, urgentur calcaribus equi, accurrunt
» utrimque equites peditesque ministri; cuique certaturo sua
» praeferuntur insignia, ut scilicet galeis tecti facilius di-
» gnoscerentur. Acrius incitati equi volare videntur : alteri
» alteris summo conatu infestis hastis obviam eunt, concussa
» sonant arma, decussae galeis volant cristae : sicque, alteris
» subinde succedentibus alteris, ad horas aliquot acriter certa-
» tum est. Porro cum perstrenue se gessissent omnes, ipse
» tamen Princeps noster, magno omnium, maxime vero
» gaudentis patris applausu, inter eos facile primas obtinuit.
» Erat e regione tribunalis, ubi Caesar ludos spectabat, ad
» alterum Fori latus, suggestum peramplum, elegans et
» sumptuosum (Hispani *Cataphalcum* vocant), ubi pulchro
» ordine sedebant viri illustres, qui, velut ludorum arbitri,
» de attribuendis honoribus decernerent. Figebantur autem,
» pro fronte eius suggesti, suo quaeque ordine, singulorum
» qui hasta certaverant insignia; quae post inde translata,
» in aede Senatoria, atque adeo in ipso Senatu posita,
» venturae posteritati in huius celebritatis memoriam vi-
» senda servantur. Interea autem appetente iam vespera,
» paratur in Aula illa temporaria epulum, omnis generis
» ferculorum copia ita instructum, et illustrium convivarum

» magnitudine tam celebre, ut nihil quidquam augustius, » sumptuosius, delicatius, absolutius excogitari posse vide» retur. Tandem, stratis rite mensis, positis ornatisque, pro » cuiusque dignitate, sedilibus, iucunde fulgentibus tota Aula » lychnis, discumbitur, et mirifica hilaritate coenatur. Ornant » mensas, pro insigni ipsorum quidem benignitate eo venire » non fastiditi (Magistratus enim invitaverat) ipse Caesar, » ipsa Franciae, ipsa Hungariae Regina, ipse noster Princeps; » Princeps Pedemontanus, geminae Brunswicanae Duces, » Dux Albae, plurimique alii viri, Duces, Comites, Heroes, » Heroinae.

XXXII. » Porro facta iam coena remotisque epulis, secundae » apparantur mensae. Mirae hic palati, mirae oculorum de» liciae : omnia vasa, lances, patinae, crateres, quadrae, ex » mero eoque candidissimo (auro hic illic suaviter inter» sparso) constabant saccaro. Hic cernere erat mille tra» gemata, mille dulciaria, omnigenum fructuum genera, aut » naturalia saccaro lepidissime condita, aut prorsus saccarea, » naturam arte imitantia, variae denique animalium aliarumque » rerum saccareae formae, quae spectantium animos in stu» porem trahebant. Et haec quidem etsi copiosissima, multo » tamen plura cumulatioraque restabant ministranda, ni Caesar » (cum iam multum processisset noctis) vel suae ipsius, vel » illustrium mulierum, quae eo quoque convenerant, commo» ditatis gratia, secus imperasset. Cunctis igitur sublatis, » indultum est, aulica consuetudine, lusibus, iocis, mollibus» que choreis.

» Ecce autem interea novum et visu rarum spectaculum. » Stabat in Foro fixa iustae proceritatis factitia arbor, nume» rosis ramis virentibusque foliis fructibusque bene fecunda, » quam iuxta stabant nudi, ex ligneis truncis artifici manu » coelati inductisque coloribus, vivis similes, hinc *Adamus*

» illinc *Eva*, communi corporis humani statura; inter quos » medius, arbori inhaerens, magnus et squammarum densi- » tate horribilis serpens. Porro erant et singula eorem membra » et singula arboris folia simul et poma, intus cava, minutis » referta sclopetulis, occulte infuso tormentario pulvere tu- » mentibus; idque tanta industria factum, ut, praesertim per » nocturna lumina, valde difficile a quovis deprehenderetur. » Dum vero cuncti oculos eo intenderent, ecce de improviso » a mulieris Evae pedibus subrepens flammula, occulto quo- » dam meatu in alvum penetrat : diffinditur horrifico crepitu » venter, centum inde erumpentibus hinc et illinc flammulis, » quae mox in Adamum, post in serpentem, postremo » in totam arborem grassantes desaeviunt. Crepat Adamus, » crepat serpens, crepant singula arboris accensae folia : » fit confusus per omnia stridor, creberrimus stridor, terri- » ficus stridor. Iam fere tota Eva absumpta, totus ardet » Adamus, totus in favillam abit serpens; tota tot simul » ignibus quot inerant folia flagrat arbor. Vidisses uno mo- » mento mille rutilare ignes, mille vibrari flammas : audisses » uno fere impetu mille acriter stridentium sclopetulorum » crepitus. Propius adstantes et repentino et tam crebro » ignium sclopetulorumque stridore attoniti, alii summo » metu prehensi, confusa velut strage, cecidere in terram, » se suffocari, sibi colla, manus, brachia, tibias confringi » vociferantes; alii simili timore acti, longius inde fugitabant, » se mutuo graviter compressantes, nec minus se ex compres- » sione laedi acerbe clamitantes.

XXXIII. » Porro et hoc spectaculum, et tam heroicum » illud epulum, tamque illustres et gladiis et hastis acti » ludi, reliquusque omnis tam triumphalis apparatus (excipio » privatos a mercatoribus Principi factos honores), vel sola » pia Magistratuum populique volentis liberalitate, sumptu

» inaestimabili, gratuito exhibita fuerunt. Et hic quidem » omnium per quinque dies ludorum, spectaculorum et appa» ratuum finis. Faxit Deus Opt. Max. (quandoquidem haec ex » purissimo erga Principem fluxerunt amore) ut, hoc memora» bili amoris auspicio, continuum illius optimi Patris erga » carissimos filios (quod et maxime optamus, et nobis certo » futurum persuademus) experiamur amorem.

» Haec omnia primum publicis Comitiis Senatui Populoque » Antverpiensi proposita, Laodislao Ursulo et Henrico Berche» mio, Equitibus auratis, Consulibus : deinde Nicolao Merano » et Iacobo Hertzio, Equitibus auratis, Consulibus, decreta, » confecta, exhibitaque. Cornelius Grapheus, a Secretis, cuncta » fere quae ad arcuum, pegmatum, columnarum, picturarum, » historiarum, statuarum personarumque spectacula attinebant » (exceptis Genuatium ac Hispanorum Arcubus) solerti indu» stria excogitando invenit, disposuit, inscriptionibus ornavit » et chartaceis his monumentis immortalitati commendavit. » Iacobus Masius, Pensionarius (sic eum vocant, qui Senatui ab » orationibus est et consiliis), utriusque iuris prudentia rerum» que tractandarum peritia clarus, pleraque horum (Senatus » auctoritate praefectus) incredibili sollicitudine procuravit : » ad quae operam contulerunt fabri lignarii DCCC.XCV, pictores » CC.XXXIII, reliqui opifices D.XCVIII, summa simul omnium » M.DCC.XXVI : et hi quidem omnes huius urbis cives, nullis » (quae copia nostris) adhibitis aliunde accitis. Excusa Antver» piae pro Petro Alostensi, Impressore iurato, typis Aegidii » Disthemii, anno M.D.L, mense Iunio. »

XXXIV. Anno deinde M.D.LII, Antverpiae typis Martini Nutii elegantissimis prodiit, libris quinque et Hispanica lingua, « Iter felicissimum Celsissimi ac Potentissimi Principis Dom. » Philippi, Imperatoris Domini Caroli V Maximi, ab Hispa» nia in Germaniam inferiorem, cum descriptione omnium

» Statuum Brabantiae ac Flandriae, per Ioannem Christopho-» rum Calvetum Stellam » eodem plane modo quo postea (ut videbimus) Secretarius noster, Ioannes Bochius, historica narratione descripsit profectionem et inaugurationem Serenissimorum Belgii Principum Alberti et Isabellae; dignum profecto opus, quod simili quoque modo latius legatur. Incipit illud ab Imperatoris filium huc advocantis mandato, et primo ad iter apparatu, post soluta anno M.D.XLVII Comitia Monzoniensia; deinde librum secundum orditur a Principis Genua Mediolanum discessu, per dies singulos narrans quid quoque loco actum sit, et qualis ubique exceptionis pompa fuerit; ac tandem, libro IV, fol. 220, Antverpiam perveniens, verbotenus pene describit opus *Cornelii* (ut ipse appellat) *Scribanii*, usque ad fol. 260; eamdemque historiam prosecutus usque ad folium 335, per omnia ubi Principi fides iurata est loca, eumdem Traiecti ad Mosam dimittit, pollicens alio in opere secuturos successus, tam Patris quam Filii, quos auguratur felicissimos. Sed huic prosecutioni, per mortem ipsius Caroli V, videtur successisse opus aliud minus : Descriptio scilicet exequiarum eiusdem Caroli, Pinciae celebratarum anno M.D.LIX; cui titulum fecit *Tumuli Imperialis*, exornati historiis, epigraphis, epitaphiis, prosa ac versu latino : cui praemiserat *Encomium ad Carolum V*, excusum Antverpiae, apud Bellerum, anno M.D.LV, quamvis auctor (ut puto) cum Principe Philippo redierit in Hispaniam, unde cum eodem venerat, eius domesticus *(Criado)* ut eum appellat Caesar in diplomate Privilegii, Augustae Vindelicorum expediti anno M.D.LI die XXII Iunii. Reversus autem, post alia opera plura in lucem data in patria sua Barcinone obiit ante annum M.D.XCIII : vir in utraque lingua cultissimi styli, ex cuius Itinerario Ludovicum Guicciardinum ad describendas Belgii provincias pleraque hausisse observat Scotus noster. Laudat eumdem prolixe D. Nicolaus Antonii, in

sua Bibliotheca Hispanica, tomo II, pag. 514, quod ab avunculo Ioanne de Quintana, Caesaris Confessario, in huius Aulam inductus (ab eodem, an a Philippo filio, incertum) suscepit partes Chronographi Regii gerendas in rerum Indicarum descriptione, quarum librum primum, et quidem manuscriptum, vidisse se ait praefatus Bibliothecarius; opus mille quadringentorum hendecasyllaborum hoc principio :

Dic, coeli, Urania, decus corusci,
Num nosti rutilum Canopum et stellas
Orbis auriferi novi micantes,
Australemque polum, viasque vasti
Ignotas maris, Indicasque terras?

XXXV. Scripserat antea *Aphrodisium expugnatum* (Civitas est Mauritaniae, *Africa* hodie dicta) eoque spectat Praefatio ante Prologum Itinerarii ad Carolum V.

Quae nuper capta est urbs Africa marte feroci,
Auspice fortuna, Carole Dive, tua;
Longe aliud (si vera canunt oracula vatum)
Hoc maius de te vaticinatur opus.
Tempus erit quo tota etiam tibi magna triumphos
Africa, pars mundi tertia, victa dabit.
Deinde quod est Asiae reliquum, Europaeque potentis,
Imperio accedet protinus omne tuo.

Tantum scilicet praesumebat auctor de filio PHILIPPO, in paterna regna et ditiones succedente, nisi tam magna vota turbae Belgicae intervertissent. Interim praesagia quaedam praemittuntur in huius Itinerario, cuius argumentum totum *Adolphus Mekerkius, Bergensis*, hoc eleganti epigrammate complexus est :

Quodnam iter emensus, quae flumina et aequora lata
Legerit, aut alto superarit vertice montes;
Quae nemora et silvas, quae prata virentia, quaeve
Viderit oppida, quas gentes, urbesque, virosque,
Quam varios hominum mores, tractusque locorum
Hesperius Princeps, Hispanis laetus ut oris
Venit ad aspectum cari Genitoris, et omnes
Belgarum vidit fines, et Flandrica tempe;
Quas illi statuas, titulos; quae pulchra trophaea,
Quosque triumphales arcus erexerit omnis
Belgica; qui fuerint ludi, simulataque veris
Praelia; qui ritus et quae solennia cuique;
Hic, velut in tabula, divino munere, Stella
Hispanus scripsit, melius nostratia nostris.

Denique in librum Ordinationum nostrarum, ad fol. 119, relatae sunt, Edelherio teste, litterae quas Imperator dedit die XI Decembris, mandans, ut Officiales omnes, tam huius Civitatis quam oppidorum, municipiorum, locorumque ei subditorum, iurent in Articulos Laeti Ingressus, Lovanii signatos a filio suo Philippo, tamquam Duce Brabantiae.

XXXVI. Hactenus publica huius anni : magis privata sunt quae acta hoc eodem anno notat Caukerkius, et ante eum Secretarii, scilicet « quod de mandato Gubernatricis, pro » tribus qui creari solebant, Magistris Redituum, seu Quaestoribus, institutum sit, ut ex veteribus Scabinis eligeretur » unus Thesaurarius maior, tum secundus Thesaurarius, et » Quaestor unus ex Ambactis. Item, quod pro levandis Civitatis debitis, huic concessum sit recipere ab omnibus » in pomoerio ad mediam leucam circumcirca habitantibus, » dimidiam accisiam. Circa hoc idem tempus aedificatum » est in nova Civitate, supra canalem per quem Scinda

» influit, Lazaretum, quo reducerentur peste infecti, vel pesti-
» ferorum consortio contaminati, ideoque sequestrati; » quae domus, satis ampla, deinde conversa est in ergastulum male feriatorum, qui ibi usque modo servantur. Addunt Secretarii, « hoc quoque anno ordinatam esse magnam Pragmaticam,
» per quam decernitur, de consilio omnium tribunalium maio-
» rum, quod repraesentatio locum habet in omnibus succes-
» sionibus Ducum per omnes has regiones, etiam in linea
» Caesariali, usque in infinitum : supra qua re amplum
» tractatum scripsit Secretarius de Moy; denique Gillebertus
» van Schoonbeke emit Curiam Arembergicam et amplum
» circa eam fundum, largamque per ipsum duxit viam,
» secundum monasterium Tertiariarum, et illam aedibus
» speciosis utrimque ornavit, a veteri Domino dictam DE
» AREMBERG-STRAET. »

A. C. M.D.L.

PRAETOR. — Ioannes van Schoonhoven.

Huius triennalis circiter administratio fuit, post quam diu supervixisse oportet : primum enim ipse obiisse dicitur anno M.D.XCVIII, XX *Ianuarii.*

AMMANUS. — Dom. Guilielmus de Halmale, Miles.

Exhinc certam nobis Praetorum successionem dabit saepe laudatus libellus : et hic, mortuo pridem *Guilielmo vande Werve,* substituit praetitulatum *Ioannem de Schoonhoven*, cui triennium circiter dederim, ut locus sit uni alterique successuro; ac primum, ad annum M.D.LVII nominando *Adamo van Berchem;*

tunc propter iustitiae zelum occiso. Cum autem idem libellus circa Ammanos perplexos nos reliquisset toto hoc dimidio seculo, cuius initio nominabat *Gerardum vande Werve,* eique subiunxisset, sine initio aut fine notatum, *Franciscum de Valle,* notavi ego ad annum M.D.XI, ex Caukerkio, hoc circiter tempore Ammaniam Antverpiensem coepisse elocari; atque hoc modo, datis CCC libris Parisiensibus, inductum quemdam *Nicolaum van Steenlant* : quem non ausim dicere, nullum eiusdem conditionis successorem habuisse, antequam munus istud adipisceretur praetitulatus *Guilielmus de Halmale,* Miles, Dominus de Vriesele, quia huius initium non invenitur, sed solum additur, quod obiit M.D.LIII.

ARGUMENTUM.

I. Contractus Gilleberti de novis operibus, probatus a Caesare. II. Hieronymi Deodati crudelissima mors atrocissimo supplicio punita.

ACTA PRIORA.

I. Die XIX Martii, ratum habuit Caesar contractum, inter Gillebertum Schoonbekanum et Civitatem initum, circa nova opera, pro munimine, augmento et ornamento Civitatis ab eo suggesta; et (sicut successive apparebit) feliciter effectui mancipata : quorum omnium cum fundamentum fuerit contractus iste, iuvat eius epitomen exhibere, qualem Edelherius in Mss. reliquit, ex minori Papyraceo, fol. 342. « Cum, inquit, Gillebertus van Schoonbeke, annuente Aula, convenisset cum » Membris Civitatis de perficiendis intra quadriennium omnibus Kaijs, Navalibus et Fossis, nec non Tapetiariorum » Halla, pro quibus conficiendis Civitas, vendendo sui iuris » fundos, conferret trecenta millia florenorum; cumque eo » tempore non appareret tanta summa conferri ad opus posse,

» deficientibus nonaginta sex millibus, obtulit ipse sumptu suo » conficere omnia, sub hisce conditionibus :

» I. Ut ipsi suo (ut dixi) sumptu Kaijas et Navalia perfecturo, » solvantur in decempedas singulas floreni sexaginta sex.

» II. Quod totam Tapetiariam Hallam absolvet aedificando, » acceptis novem millibus florenorum.

» III. Viam publicam ducet per domum Arembergicam, » acceptis ad id quatuor millibus florenorum : ita tamen ut » Civitas, pro maiori sua utilitate, possit in ultima duo » opera eos quos volet inducere; Gillebertus autem habebit » certam portionem fundi, in hortis Sagittariorum, per quam » fiat via secundum ipsam Hallam, pro ea obligandus ad » centum et octo florenos annui reditus. Similiter iuvabitur » alio decem eiusdem generis florenorum censu in nova » Civitate, redimilibus ad rationem nummi decimi sexti, » aliisque conditionibus variis; in quibus haec etiam sit, ut » si ipsi fundi vendantur maioris vel minoris, non liceat » Civitati fundos, ad Hallam praefatam sitos, minoris vendere, » quam pro duodecim florenis annui reditus in singulas virgas. » Tenebitur autem Civitas ipsum iuvare, praestando ei mutuum » duodecim millium florenorum, per annos tres. Ipse vero » poterit ad opus suum assumere quamcumque in Civitate » reperiet materiam, pro pretio currenti, quod detrahetur » summae ipsi praestandae.

» IV. Novam Civitatem tenebitur intra quinquennium muro » circumcingere; in quem finem Civitas securum eum faciet » de quadringentis decempedis, circa propugnaculum et moe- » nia, dando ei fundos quosdam pignori. Quod si compertum » fuerit singulas decempedas operis faciendi posse minoris » haberi quam florenis triginta sex, detrahet Civitas de summa » constituta florenum unum in unamquamque decempedam. » Civitas quoque obligabitur saxis sternere omnes vias circa

» praedictos Sagittariorum hortos » credo, ut facilius minorique sumptu ad fabricam Hallae iam dictae susceptam convehi omnis materia possit, et ea ultro citroque devehi.

« v. Ad has omnes conditiones Gillebertus fideiussorem » dabit pro quadraginta millibus florenorum; et Civitas statim » mittet eum in possessionem quadringentarum decempedarum » terrae, quibus pro arbitrio suo utetur. Curabit autem ut » habeat coementarios fideles, et qui firmum ac solidum » opus faciant. Princeps vero ipsum immunem faciet ab » omni onere, telonio, imposta, occasione materialium ad- » vehendorum solvendis. »

II. Liber Praetorianorum in tribunali nostro actuum, supra ad annum M.D.XLIX allegatus, haec verba magni ad sequentem casum momenti exhibet Lunae die XXIII Martii M.D.L (stylo Brabantiae adhuc currente, cum alius iam numeraretur annus LI) : *Scultetus contra Simonem Turchii, Lucensem, Actor in causa capitali, plene obtinuit quod intendebat;* scilicet sententiam in caput et bona rei; *quod mox executioni mandatum fuit, non exspectato propter enormitatem criminis,* ad talia supplicia solito, *die Veneris* (futuro ipso die Parasceves) *neque spatio defensioni ulteriori dato.* Causa et supplicium sic narrantur :

« Vivebat hic praedictus Simon Turchii, nobilis mercator » Lucensis, qui diu clam celato odio prosequens Lucensem » alium nobilem Hieronymum Deodatum, a quo in patria sua » aliquando fuerat pro debito in ius vocatus, pluribusque » cum eo deinde hic annis familiarissime versatus; tandem » invitatum ad prandium, in suburbana villa sumendum, » sedere fecit in sella, eo ingenio constructa ut, mox atque » alicuius insidentis pondere premebatur, quasdam veluti ma- » nus ferreas proferret, quibus illum complexa sic stringeret, » ut nullam in partem movere se, nedum manibus pedibusve

» defendere posset. » Ita comprehensum quam diris modis quamque diuturnis poenis afflixerit Simon, adiutus ab uno qui aderat servo Iulio, non exprimit is, qui rem historiae commendavit Meerbekius, nec alibi notatum invenio; solum memini quod ex patre meo sene, veluti rem constanti memoria traditam, audiverim puer, idemque in actis iudicialibus sibi lectum affirmaverit mihi Advocatus Nys; nefarium illum, post expressam apocham veteris sui in patria debiti, et syngrapham grandis summae quam a se datam mentiebatur, non contentum inimici corpus perdere, nisi animam quoque mitteret in gehennam, ab infelice extorsisse abiurationem Christi, Matris eius atque Baptismi, ac tunc demum, contra fidem datam, iussisse a famulo extremum vulnus cito inferri.

III. Intelligo tamen defuncti Deodati ossa in ecclesiam Marianam delata, et in eius medio honorifice condita, eo loco ubi nunc stat concha lustralis aquae; quod fieri non potuisset nisi vel moriens aliqua signa sui in Deum amoris dedisset, vel fides reo habita non fuisset? qui sane, nisi ipsummet facti poenituit, praesumi potest hostem suum fuisse persecutus odio tam diabolico, ut cuius frustra voluit animam cum corpore perdere, eius saltem famam moriturus ipsemet pessumdaret, affingendo ipsi falsum apostasiae crimen, si forte sic eum posset Christianae sepulturae honore privare, reperto iam corpore. « Porro cum Hieronymus diutius non » compareret, die xix Martii, propositum est praemium flo- » renorum trecentorum ei qui vivum aut mortuum indicaret. » Ita delatum est tandem quod ultimum visus esset ire Hie- » ronymus ad hortum Simonis : qui hoc argumento com- » prehensus et crimen fassus est. » Quam autem graves poenas misero intulerit, intelligeretur ex actis sententiam praegressis, si eorum quoque tenor in libro Praetoriali contineretur. Interim alibi scribitur quod « damnatus fuit, ut in

» eadem ipsa sella constrictus, lento igne torreretur, appenso » nihilominus ad pectus sacco pulverario; cui Magistratus post » longos misericordiam implorantis eiulatus, tandem iusserit » ignem admoveri. De famulo vero Iulio additur quod Aquis- » grani comprehensus, ex sententia iudicum damnatus ad » rotam, cruribus brachiisque confractis in ea octiduo integro » vivus relictus est. »

RENOVATIO. MAGISTRATUS.

Commissarii qui supra, I *Maii, Festo SS. Philippi et Iacobi cadente in feriam* IV *tertiae hebdomadae post Pascha, actum* VI *Aprilis.*

CONSULES. — Dom. Nicolaus vander Meeren III. — VI. Mag. Nicolaus de Schermere.

SCABINI. — Dom. Iacobus Hertssen. — Dom. Henricus van Berchem. — Dom. Didericus vande Werve. — Dom. Cornelius van Halmale. † — *Subst.* M. Nicolaus Rockox. — Dom. Ambrosius Tucher. — Cornelius Happaert. — Iacobus Houtappel. — Wilhelmus de Vos. — Gislenus Asseliers. — Martinus van Ranst. — Ioannes vande Werve. — Iacobus vander Heyden. — Henricus van Daesdonck. — Ioannes Wolsaert. — Adrianus van Deurne.

Ad huius Senatus renovationem omnino spectare videtur quod ex libro officiorum Secretarii de Moy, in Antiquitatibus, fol. 439, sic describunt Secretarii Valkenisse, post sortitionem factam anno M.CCCC.XCIX, licet electio Consulis, cuius hic mentio fit, longe posterior sit, ut infra monstrabo. Memoria inde sumpta sic habet :

« Hic convenit notare, quod in electione Consulum, a novis » Scabinis facienda, fuerim praesens, tamquam Secretariorum » omnium senior, ad vota colligenda. Cum autem haec con» tingeret discrepare, unis unum, aliis alium optantibus, et » Collegium plenum non esset propter absentiam aliquorum; » considerans ego facile posse fieri, ut, illis qui aberant superve» nientibus, ea pars superaret, quae nunc videbatur inferior, » quamdiu nondum publicata electio erat; rem Dominis meis » in Collegio detuli, desiderans ex eis intelligere, an probarent » electionem mox a me publicari, an potius id mallent usque » in aliorum praesentiam differri : ad quod responsum mihi » est, vulgarem electionem qualis facta iam erat, nec enim hic » habendam rationem absentium. Feci igitur quod mandabatur, » et electio cecidit in *D. Didericum vande Werve,* Equitem : » sed propter rationes mihi ignotas interversa electio ista est, » et bonus Dominus caruit Consulatu. »

Sic ille, non indicans, quis ille esset futurus Consul si competens suffragantium numerus adfuisset. Interim alibi invenio, et ad rem faciunt hoc primo anno Fastis inscripti :

Dom. Wilhelmus vande Werve. — Ioannes vanden Eynde. — Wilhelmus Borrewater.

ARGUMENTUM.

I. Edictum Imperatoris contra haereticos, eiusque benignior interpretatio. II. Concertationes Guldarum. Anabaptista exustus. III. Immunitas a gravamine militari Brabantis promissa et facta.

ACTA POSTERIORA.

I. Ex Belgio in Germaniam profecturus Caesar ad Comitia Imperii, Augustam Vindelicorum indicta pro die xxv Iunii, die

xxix Aprilis gravissimum publicari edictum iussit contra eos qui alio cultu adorandum numen quaerendumque aeternae salutis mysterium arbitrabantur, his inter alia verbis usus : « Tametsi ad id operam semper dedimus ut nostros intra fines » vera et orthodoxa Religio sarta tecta servaretur; et qui » multis nunc annis disseminati sunt per orbem Christianum » errores, haereses atque sectae, funditus tollerentur; eamque » in rem plurima edicta nostra facta atque vulgata fuerunt; » poenaeque isti rei decretae tenere hominum animos debuis- » sent, quominus in iisdem erroribus perseverarent; tamen » cum magno animi dolore accepimus, non nostrae solum » ditionis homines, verum exteros etiam qui nostris in provin- » ciis habitant atque negotiantur, huius mali contagionem » longe lateque in promiscuam multitudinem transfundere; » sic ut plane sit opus acrem aliquam adhibere medicinam et » insontes diligenter inquirere, ut ea pestis stirpitus evellatur; » praesertim cum sit omnium oculis expositum, quas turbas » atque seditiones in vicinis populis ea labes excitaverit, ut » interim de salutis et animarum dispendio nihil dicamus.

» i. Itaque, de consilio carissimae nostrae Sororis germanae » et reliquorum Procerum, statuimus et ordinamus. Primum, » ne quis typis excudat, divendat, distrahat, emat aut domi » habeat libros, a Martino Luthero, Ioanne Oecolampadio, » Henrico Zwinglio, M. Bucero, Calvino, aut illius sectae » asseclis et fautoribus annis abhinc triginta incertis au- » ctoribus editos, qui Lovaniensium Theologorum indice » continentur.

» ii. Ne quis domum suam occultis conventibus aperiat, in » quibus et disseminari errores solent, et conspirationes in » Ecclesiam et Rempublicam conflari.

» iii. Ne quis de sacra Scriptura publice aut privatim dispu- » tet, aut eius interpretationem sibi sumat.

» iv. Ne quis ullam habeat picturam aut imaginem, fictam » in ludibrium D. Virginis atque Sanctorum, neve deiiciat aut » comminuat ullam imaginem, in honorem alicuius Divi de- » pictam. Qui secus fecerint, punientur ut seditiosi et publicae » tranquillitatis perturbatores; ad haec testamenti faciendi » potestatem nullam habebunt, et quidquid eius rei fecerint, » a quo tempore has edicti nostri leges violare coeperint, » irritum esse iubemus.

» v. Praeterea ne quis hospitium ipsis praebeat, aut ulla in » re subveniat iis, quos de haeresi noverit esse suspectos; » verum denuntiet confestim loci Praefecto aut Procuratori » publico; ni faciat, eamdem quam illi poenam luet. »

Hoc edicto cum ansa esset data calumniatoribus intendendi in omnes falsa crimina, hinc factum est ut qui, negotiandi causa, magno numero quotidie in Belgium confluebant, et Angli inter ceteros, hinc sensim demigrarent. Quod ubi magno suo dispendio fieri advertit Senatus Antverpiensis, edicti asperitatem deprecatus est apud Mariam Reginam, quae Caesaris nomine Belgio praesidebat, evicitque tandem ut suspenderetur decretum illud, donec de re tota ad Caesarem esset relatum. Maria igitur ipsa, ea de causa, Augustam ad Caesarem contendit, et aegre tandem a fratre impetravit edicti temperamentum, in hunc videlicet sensum : « Declaramus nostram intentionem ne- » quaquam fuisse (ut quidam interpretantur) negotiationes » legitimosque contractus ulla ratione impedire, aut quod » tales non possent de suis bonis disponere secundum ius » scriptum et consuetudinarium locorum; sed bene ad impe- » diendum quod illi deceptorie vellent facere in fraudem » edicti ad evadendas leges. » Tali autem occasione spargi coeptus est rumor de Inquisitione Hispanica in Belgium inducenda; nec levis inde commotio Antverpiae exstitit, inquit Chronica Secretarii Valkenisse.

II. Snyderi Rotulus hic etiam suggerit, sed absque mensis et diei nota, quod, cum Bombardiorum Gulda ad psittacum iaculata esset, eumque deiecisset quidam ex confratribus, mercator opulentus, magnum ceteris festum fecit, et eorum plures quam viginti novis tunicis vestibusque donavit. Dominus quoque van Immerseel totidem alios sic vestivit, itemque tibicines Civitatis. Mense autem Iulio, Confratres iunioris Arcubalistae, Bruxellas ad simile certamen egressi, retulerunt primum praemium splendidioris ingressus, omnes pulcherrime induti tunicis caeruleis pileisque Germanicis.

Die XVI Augusti, Anabaptista quidam, pistor Gandavensis, ad rogum damnatus fuit; quo cum duceretur, occurrit ei famulus cuiusdam textoris pannorum, et osculatus est, hortans eum ad constantiam tenendam; qui etiam ipse, errori suo pertinaciter inhaerens, tertia post die exustus est.

III. « Brabantis porro a milite, per Provinciam eunte ac » redeunte, multum gravari se questis PHILIPPO, Principi ac » Duci iam nostro, pollicitus hic est, curaturum se ut eiusmodi » gravamen non paterentur amplius, seque illata a milite » damna compensaturum. » Ita ex ipsius Privilegio Pensionarius Nys, sine data relato in librum holoserico tectum, fol. 69 v.°

A. C. M.D.LI.

—

ARGUMENTUM.

I. Multis exundante Scaldi submersis, instituitur pro defunctis Processio generalis. II. Puniuntur Anabaptistae. III. Sagittariorum horti transferuntur. IV. Stapula aluminis Civitati asseritur, et liber per Albim transitus.

ACTA PRIORA.

I. « DIE XIII Ianuarii feria III, vesperi sub horam quintam,

» intumuit Scaldis unum palmum altius quam anno M.D.XXXI; » magisque intumuisset, aestu usque ad octavam durante, nisi » aggerem Austruwelae perrupisset. Die autem XVI Februarii » feria II, iterum exundans, graviora quam prius damna intulit: » quando etiam Hobokanus agger perfractus fuit. » Utroque casu plurimos fuisse submersos docet liber mandatorum, f. 140; in quo Valkenisse reperit indictam pro illorum animabus levandis processionem generalem, pio sane ad posteros exemplo.

II. Interim, « XXXI Ianuarii, in Sabbato, capitale supplicium » tulit Anabaptista quidam, Assuerus nomine, auri faber » opificio; qui cum servandae vitae suae causa errorem suum » abiurare velle profiteretur, intelligens nihilominus moriendum sibi esse, quia multi domi eius fuerant rebaptizati, elegit » in sua falsa credulitate perseverare. Similiter XXI Februarii, » in Scaldim deiecta fuit muliercula, secundum sectae suae » morem nupta : quae cum gravida usque partum suum esset » differenda, enixa est ipso quo moriendum ipsi erat die, ne » iustitia differretur. » Eodem etiam Ianuarii die XXXI, in Curia coram Magistratu probatum fuisse Caukerkius asserit, ex veteri Privilegio, aurum, argentum et gemmas non subiacere telonio.

III. « Eodem anno, maioris Hospitalis Curatores in ius » Magistratus transtulerunt fundum post ipsius murum vacantem, iuxta portam Caesaream, pretio DCCC.XLIII florenorum » et XI stuferorum, ubi Sagittariorum novi ac veteris Arcus » horti novi conderentur, pro iis quos Tapetiariis dimiserant. » Prodiit autem a Gubernatrice edictum, ne Dunkerkani, » Slusani vel Middelburgenses praetenderent stapulam aluminis, veluti sibi concessam per quoddam privilegium, ab » ipsamet sibi indultum die IX Ianuarii huius eiusdem anni.

IV. » A Caesare quoque prodiit mandatum, Magdeburgensium » et Antverpiensium rogatu datum duci cuidam Saxonico, ne » illorum per Albim commercium impediret, » uti ex II vol.

Privilegiorum nostrorum, fol. 174, testatur Edelherius; sed cum *Ducem* nominat *Luxemburgensem*, sphalma librarium agnoscere cogimur, et Luneburgensem scribere iubemur : huius enim ditio tota ad orientem Albi alluitur; et in extremo versus mare tractu, ubi fluvius ingentem in latitudinem pluribus insulis distinctam, extenditur, Harburgum est, Luneburgensis ducatus ultimum, et e regione habens Hamburgum; ita ut Magdeburgo venientes naves necesse habeant alterutrum locum praetervehi, et si Hamburgensium exactiones declinare vellent, Harburgo transire.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Commissarii, XVIII *Maii*, *Feria* II *Pentecostes*, *quam praecesserat Pascha* XXIX *Martii*. — D. Marchio Bergae ad Zomam. — D. van Ysseche. — D. Engelbertus van Dale, Toparcha de Wilre, et Cancellarius.

Consules. — Dom. Didericus vande Werve. — IV. Iacobus Hertssen II.

Scabini. — Dom. Nicolaus vander Meeren. — Dom. Cornelius van Spangen. — Dom. Ioannes vande Werve. — Dom. Wilhelmus van Immerseele. — Dom. Ambrosius Tucher. — Dom. Iacobus van Berchem. — M. Nicolaus de Schermere. — Ioannes vander Heyden. — M. Nicolaus Rockox. — Wilhelmus de Vos. — Ioannes Wolsaert. — M. Adrianus van Deurne. — Ioannes van Halmale. — Ioannes van Halen. — Henricus van Delft.

ARGUMENTUM.

I. Murorum ad Caesaream et Kipdorpiam portas erecta propugnacula. II. Quadriporticus intra novam Bursam fundata et supra eam aula Merciaria. III. Religiosae Maioris Nosocomii reformatae.

ACTA POSTERIORA.

I. PROCEDEBAT interim opus novae fortificationis, et propugnaculo omnium maximo, inter Caesaream et Kipdorpiam portam fabricando, datum hoc anno initium, testatur haec apud Swertium, pag. 39, inscriptio: *Constantinus Halmalus, Eques auratus, huic moli primum iecit lapidem, die* XVII *Iulii* M.D.LI. Sequenti autem anno, posita est in altero cuspidis obtuse procurrentis latere haec altera epigraphe: *D. Mariae, Hungariae Reg., Divi Caroli V Caesaris sorori, patriae ex fratris auctoritate tutrici, S. P. Q. A. hanc molem in eius nomine Marianam nuncupantes* DD. *quod sollicito illius hortatu tantae haec vastitatis moenia gravissimis Reipublicae impensis, vel quadrimestri spatio, ad mille passuum longitudinem in superiorem usque limbum excitata sint, universumque Urbis ambitum hac parte complerint, mense Augusto* M.D.LII.

Quantum huc contulerit Gillebertus noster, indicat Cauckerkius, ex Ms. attestans, quod reliquam « omnem fortificationem » absolvendam susceperat, pro florenis XXIV aut XXVI in singulas » decempedas; quae antea non habebantur infra florenos XXXVI; » idque facere poterat, quia materiam omnem de suo prae- » stabat, nec opus habebat emere aliunde. »

Gramayus, pag. 29, exteriorem Urbis nostrae ornatum describens, talem esse eius amplitudinem asserit, ut suo ambitu complecteretur passus DCCC.XII ultra quatuor millia; unde capio partem moenium, quae hic describitur absoluta, inter Kipdorpiam et Georgianam portas requirendam, cum iam ante staret borealior altera ultra Rubeam; cuius propugnaculum a decennio fundatum erat; alteram vero a Georgiana ad Cronebургicam Meridiei obversam, cuius moenia Albanus destruxit, similiter prius quoque consummatam fuisse, scutum Civitatis, iam duobus Leonibus ipsum tenentibus, testatur, et Chronicon

in limbo tympani superincumbentis, quod anno M.D.XLVIII legeris.

II. Addit Caukerkius quod in nova Bursa fuerunt posita fundamenta columnarum porticum eam nunc circumeuntium, adeoque totam aedificii incumbentis molem sustentantium; unde apparet multo prius frequentari locum a mercatoribus coeptum, quam superior ambitus construeretur, et eatenus totum locum sub dio fuisse. Sunt autem columnae omnes ex patrio, id est caeruleo marmore : quae, in mirabili difformitate uniformes, ita varie exsculptae sunt ut nusquam alterius caelaturam alteri plane similem invenias, cum primo intuitu nulla apparet dissimilitudo; ita in iis sculptorum luserunt ingenia. Altitudo fabricae totius usque ad tectum pedum circiter quinquaginta est, quae bifariam divisa inferne quidem patet in quadratam porticum, sub qua tuti a pluvia negotiantes ambulent aut sedeant; superne quasi continua una aula est utrimque circumdata merciariorum tabernulis, ad quas ascendebatur per spatiosas scalas sub duabus turribus, sublimiori una versus Meram, horologium campanarium ferente; altera minus alta, ex latere boreali, ubi ad solis radium horae notantur. De aula autem, quam dixi, nunc varie et ad varios usus divisam invenio. Ut autem eiusmodi tabernae continua serie possint utrimque duci, nullis fenestris dividitur paries supra porticum ductus, nisi duplici una in singulis lateribus, unde despectus in mediam aream pateat : sed locus, nullo laqueari obductus, illuminatur satis desuper, per fenestras maiores tectum coronantes numero cum intercolumniis porticus pari; ultra quas fenestras minores aliae illuminant partem tecti supremam, scandulariisque per illas ad opus reparandas tegulo serviunt.

III. Denique hoc anno reformatum ab Episcopo Cameracensi fuit Nosocomium maius, et velum nigrum ablatum Sororibus, ne amplius *Domicellae* nuncuparentur, sed infirmorum ministerio vacarent humilius, sub simplici titulo Sororum.

A. C. M.D.LII.

ARGUMENTUM.

I. Ingens a Scaldi exundante damnum. II. Contractus cum Gilleberto de novae Civitatis aedificiis struendis, praesertim braxatoriis. III. Tabulae fundati Parthenotrophii. IV-V. Fundatoris memorabile testamentum.

ACTA PRIORA.

I. Die xiii Ianuarii agris, nuper ab aqua per inaggerationem evindicatis circa Scaldim infra Antverpiam et per Zelandiam, ab eodem ultra modum intumescente, damna gravissima illata; idque de hac tertia inundatione distichon vernaculum testatur:

IN IANUARIO DERTHIEN DAGEN
WAS DE DERDE VLOET SEER OVERGROOT,
DAT INLIEPEN, DAER 'T VEEL MENSCHEN SAGEN,
VEEL POLDERS, DIE VAN SULX HEBBEN NOOT.

II. Die xviii Februarii signati Bruxellis sunt ab Imperatore xxxiv Articuli contractus, cum Gilleberto van Schoonbeke initi circa aedificationem Civitatis novae, quos ex ipso originali Caukerkius describit. Litterarum autem istarum et conditionum substantia in hoc praecipue consistit, quod cum « praefatus » Gillebertus, anno M.D.XLVIII die v Februarii, coram Guber- » natrice et cum Civitate contraxisset super emptione et » venditione fundorum, intra ambitum novae Civitatis com- » prehensorum, atque ad ius ipsius Civitatis pertinentium; » eaque res successum non habuisset, propter provenientia ex

» Gallico bello damna et incommoda, impeditis terra marique » commerciis; ideoque deficientibus talium fundorum emptoribus, nisi inventa fuisset ratio eorumdem venditionem » faciliorem reddendi; plures opulenti mercatores sese Gilleberto associarunt, et obligarunt ad exstructionem viginti » aut plurium Braxatoriarum, intra tria novae Civitatis navalia, » quae simul omnes explerent numerum centum cavearum, » totidemque granariorum, quorum inopia Civitas laborabat; » eaque intra biennium absolvenda, sub certis conditionibus » et magnis privilegiis, quibus Braxatores fruerentur, nec » minus proficeret Civitas ex accisiarum collectis : quae » res tantum incrementum accepit, quantum hodiedum videmus. »

III. Eodem anno in via Hospitalaria longiori, intra monasterium Tertiariarum ipsumque Hospitale, constructum est Parthenotrophium, benigne fundatum, cum hoc supra portam titulo :

TOT EERLICK ONDERHOUDT VAN MEYSKENS CLEENE,
DIE NAMAELS DUER ARMOEDE MOCHTEN SNEVEN,
HEEFT EEN GODTVRUCHTIGH MAN WT LIEFDEN ALLEENE,
DIT GODTSHUYS WEL BEGAEFT, ONBEKENT IN D' LEVEN.

Quae sic latine reddo :

Ad virgunculas teneras honeste sustentandum,
Quarum pudorem faceret egestas periclitari,
Vir quidam pius locum hunc dotandum
Large decrevit, nec voluit nominari.

Nominatus est tamen post mortem suam, per haec eidem titulo, cum renovaretur, subscripta verba, rhythmi vernaculi legibus soluta, et sic latine reddenda. *Vir iste bonus ex hac vita discessit die* XIX *Novembris anno* M.D.LXII. *Vixit annos*

LXXXIII, *et nominabatur Ioannes vander Meere, huius Civitatis mercator.*

IV. Huc spectat ex registro verbalium, anno M.D.LXXIX deputatis a Civitate Commissariis oblatorum, pro reductione redituum a nummo decimo sexto ad vigesimum, memoriale unum Dominorum Eleemosynariorum istius anni, *Philippi Hockbaert, Henrici van Lemens, Arnoldi Kint et Petri vander Goes*, quo profitentur habere se instrumentum anni M.D.LII, et diei XXVII Aprilis, de censu sexcentorum florenorum Carolinorum, oblato Camerae eleemosynariae, ex parte cuiusdam, nomen suum celatum volentis, annue percipiendorum ab Hermanno van Hersbeke, Hermanni filio, hac inprimis conditione ut « ad praecavenda gravia incommoda, quotidie obvenientia » pauperibus puellis, a Camera praedicta sustentandis, dum » eae promiscue elocantur, quibuscumque eas quam minimo » pretio educandas suscipientibus; qui deinde earum aut » nullam, aut exiguam curam gerunt, nemine deinceps iisdem » intendente; unde contingit eas saepe ad prostitutionem » pudoris, et morbos eam consequentes pauperiemque delabi; » neque amplius honeste elocabiles, rursum remitti in gravamen » ipsius Camerae sustentandas et curandas, sicuti experientia » docuit.

» Ad isthaec, inquam, praecavenda, praescribitur, ut ipsi » Eleemosynarii, tam praesentes quam pro tempore futuri, » obligentur perpetuo, intra sex proximos menses, eiusmodi » puellas, quam primum aetatis annum octavum attigerint, ad » se recipere, et intra hanc Civitatem apto loco collocare, ubi » eis faciant praeberi sufficientem et convenientem cibum, » potum, lectum, vestem lineam laneamque et cetera necessaria; neque permittant easdem mendicare per vicos et » plateas. Obligentur etiam iisdem providere de duabus ut » minimum magistris, unaque ancilla, quae ipsas quotidie

» doceant legere ac scribere teutonice et gallice, calculare, » suere, texere, nere, lavare, tergere, et quodvis domestici » ministerii opus facere; ipsas etiam debeant purgare a sordi- » bus, quibus ea aetas obnoxia est, aliisque necessitatibus » providere. Quae omnia ut debite compleantur, ipsimet » Eleemosynarii, cum uxoribus suis, tenebuntur identidem » invigilare. Idem ut quovis Dominico die, cum una magistra- » rum suarum, ad ecclesiam proximam deducantur, Missam » et sermonem auditurae.

V. » Insuper cavetur in emptione praedicti reditus, ut » eiusmodi puellae serventur in tali domo, donec persona » aliqua honesta ac bonae conditionis et famae, in quam » nulla mali suspicio cadat, earum aliquam velit ad se recipere » probandam per unum mensem aut sex hebdomades, de » consensu praedictorum Eleemosynariorum. Quod si talis » puella intra istud tempus non placeat, suscipiens ipsam tenea- » tur praedictae domui restituere, unde exire aut discedere » nulla possit, nisi causa contagiosi alicuius morbi, quo infectae » debeant ab Eleemosynariis inde educi et foris curari, neque » reduci, nisi perbene curatae: si autem morbi contagiosi non » fuerint, ipsa in domo, loco tamen ab aliis secreto curentur, » neque aliis commisceantur. Quod si personae praefatae, » post dictam probationem, velint susceptam sic puellam » penes se tenere, obligabuntur, de tempore in tempus » statutum, reddere de ea rationem Dominis Eleemosyna- » riis, et pollicebuntur eam apud se retinere ad quinque, » sex, vel plures annos, tam aegras quam sanas, iisque de » honesto victu et vestitu prospicere; neque eis licebit intra » praestitutum tempus eiusmodi puellam a se dimittere, vel » permittere ut alio migret, nisi praemonitis Eleemosynariis, » ut in illam oculum habere possint semper intentum, quate- » nus ad omnem honestatem virtutemque adolescat. Quod si

» aliquae malignioris indolis heris suis immorigerae sint, aut » etiam fugam capiant, Eleemosynariis praedictis incumbet » ipsam persequi, et castigatam ad priorem domum reducere, » donec suum tempus expleverit.

» Denique reditus huius emptor expresse cavit, ut si Eleemosynarios quandoque futuros contingeret harum conditio- » num executionem negligere, sic ut ipsa fundatio per ipsorum » omissionem vel culpam notabile patiatur detrimentum (quod » Deus avertat), desistat Camera percipere praedictos sexcentos » Carolinos, ipsique revertantur ad proximos innominati fun- » datoris haeredes, ex cuius pecunia emptus reditus iste fuit : » qui etiam fundator talis defectus declarationem, in Camera » faciendam suis successoribus reservavit. Interim debebunt » Eleemosynarii, per scripturam authenticam se obligare ad » complementum praemissorum omnium articulorum. Quod » si contingat ipsum reditum solvi, capitali pretio per vendito- » ris eiusve haeredes restituto, ipsam capitalem summam » impendent DD. Eleemosynarii emendo simili reditui, sub » eadem conditione pendendo. »

Hactenus primae fundationis instrumentum, in quo qui noluit nominari, idem est qui manu propria, suo *Ioannis vander Meere* nomine uxorisque *Margaritae Hersbeke*, anno M.D.LIII scripsit, signavit, et sub consueto sibi in viridi cera sigillo clausit testamentum (cuius varia exempla servantur) post suam mortem aperiendum; eamque suam ultimam voluntatem esse affirmavit Domino Wilhelmo van Ryt, Secretario, cassatis per ipsum quibusvis aliis anterioribus testamentis, codicillis etc. ac praesertim quod condiderat cum secunda sua uxore *Cornelia Dierix*, ex qua, uti neque ex prima, ullos superstites liberos relinquebat. In hoc autem novissimo haeredes declaravit natos ex tertia, *Hermannum*, primogenitum suum, et *Michaelem vander Meere;* atque ex praemortua filia Anna ac

marito eius Ioanne van Nispen, neptem *Margaretulam van Nispen; Philippum vander Meere; Hestherem, viduam Petri Rydzaer; Claram, uxorem Mag. Ioannis vander Beke; Ioannem, Davidem, Stephanum, Margaritam vander Meere*; capita universim decem, suos cuique fundos reditusque assignans : quibus qui contentus non esset, eius portio inter consortes divideretur. His autem sic dispositis in gratiam liberorum suorum, proximos facit Eleemosynarios Antverpienses; ac denique legat liberis sororis suae *Margaritae* singulis sex libras Flandricas annuas, constituendas super stabili fundo ex bonis a se relictis; quarum ususfructus ipsi *Margaritae* maneat, quoad vivet etc. Ad extremum, testamenti sui executores constituit *Hermannum et Iacobum Hersbeke*, germanos fratres, liberorum suorum avunculos, et minorennium tutores, nulla in illos potestate relicta Curiae tutelari, atque omnia nominis sui subscriptione, sigilli impressione, ultimaeque voluntatis iterata protestatione concludit.

V. In eo autem quod Eleemosynarios concernit articulo iubet, « post sex a morte sua hebdomadas in virtute privilegii » ipsis dati a Caesare et Duce Brabantiae anno M.D.LIII, XIII Iulii; » iubet, inquam, Eleemosynariis tradi aedes, quas inhabitabat » cum adiuncto eis fundo hortensi, ac lintearia planitie, suoque » egressu, XXXII decempedarum et pedum XLIII circiter, iusto » titulo ad se pertinentes, et sitas in civitate Antverpiensi via » Kipdorpia, cum omnibus attinentiis (sicut ipse testator illa » acquisivit anno M.D.XXIII, XI Decembris), idque ad usum » inventitiarum pauperum virguncularum, commorantium in » domo sita inter maius Nosocomium et monasterium Tertia- » riarum; ea conditione, ut ipsas aedes ac fundos debeant » Eleemosynarii in perpetuum possidere atque conservare ad » effectum praenotatum, atque ad ipsas puellas ex proventuro » inde reditu ac fructibus sustentandas, donec fuerint ad

» statum ecclesiasticum vel secularem indidem elocatae; neque
» ipsas aedes aut fundos vel eo spectantia poterunt vendere,
» gravare aut consumere ullo modo; poterunt tamen aedes
» ipsas elocare in duo vel tria capita, nec ultra, pro certa
» pecuniae summa semel solvenda, ad ibidem aedificandum
» quidquid opus fuerit, sub annuo canone ipsis Eleemosynariis
» solvendo et per eos convertendo ad utilitatem dictarum puel-
» larum : quae domus et fundus, sic aedificando melioratus,
» post condictum temporis spatium, cum suis attinentiis, ad
» Eleemosynarios redibunt. Quod si ipsi praedictas aedes,
» fundum etc. distrahant divendantve aliquando, nec prove-
» nientes inde fructus ad usum iam constitutum impendant,
» tum heredes Testatoris illas sibi vindicabunt, tamquam
» proprias et ex patrimonio acquisitas, ac si easdem numquam
» Eleemosynarii possedissent, neque ipsis testamento vel aliter
» ablatae fuissent. »

Hactenus articulus testamenti illius; ubi cum nulla fiat mentio sexcentorum Carolinorum annuorum, emptorum ab Hermanno van Hersbeke, patet Fundatorem ac Dotatorem innominatum voluisse manere, et quasi nihil antea Eleemosynariis donasset, ipsi sic fundato Parthenoni, per publice legendum testamentum, legatum voluisse domum fundumque supradictum; prudenter tamen cavisse, ut eorum unus, cuius fidei committebat omnia, obligaretur quotannis censum sexcentorum istorum Carolinorum in perpetuum solvere, per se suosve heredes futuros. Quantae autem fuerint ipsius Testatoris facultates, in bonis tam mobilibus quam immobilibus, patet ex prolixissimo inventario repertorum in domo illius mortuaria, posita in Kipdorpio ex regione trium Talpularum, noto etiamnum nunc ibidem signo. Conditum autem fuit inventarium illud per menses Novembrem et Decembrem, coram executoribus testamenti ac liberis defuncti, per se suosve tutores ac

maritos praesentibus, sub syngrapha et signo Cornelii Nilis, auctoritate Caesarea Notarii admissi in Curia Brabantiae.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Commissarii xiii *Iunii Feria* ii *post Trinitatis et Amburbalia, quia Pascha fuerat* xvii *Aprilis.* — D. van Peetershem. — D. van Borsele. — D. Cancellarius.

Consules *qui supra.* — D. Didericus vande Werve. — iii. Dom. Iacobus Hertssens, quorum singularia quaedam exstiterint merita; sicut secundo collatus a Caesare fuerit titulus Equitis, quomodo hactenus vidimus primum, aliquandiu absque illo, deinde cum illo nominatum.

Scabini. — Dom. Nicolaus vander Meeren. — Dom. Ioannes Happaert. — Dom. Ioannes vande Werve. — Dom. Alvarus d'Almaras. — Dom. Antonius van Stralen. — M. Nicolaus de Schermere. — Ioannes vander Heyden. — M. Iacobus Houtappel. — M. Nicolaus Rockox. — Wilhelmus de Vos. — Martinus van Ranst. — Henricus van Daesdonck. — Henricus van Delft. — Conradus del Valle. — Simon l'Hermite.

ARGUMENTUM.

I. Filii in matrem peccantis punitio. II. Coepta aedificari mola aquatica ad pontem S. Ioannis, et vagi ad opus Civitatis collecti. III-IV. Sculteti blasphemantis funestus cum suis ex ponte Croneburgico casus. V. Retrogradiente Caesaris fortuna, ingens navium classis appulsa. Reformantur quinque Guldae. VI. Moritur S. Franciscus Xaverius, cui anno M.DC.XL Antverpiae elogium sepulcrale scribitur. VII. Colligitur Caesari gratuitum CC.L millium florenorum cum DCCC.L expressis conferentium nominibus. VIII. Nova Gilleberti opera hoc et duobus proximis annis.

ACTA POSTERIORA.

I. Die v Augusti, agente Sculteto contra Paulum Scipmakere, iudicatum est, quod proxima Dominica, intra horam nonam et decimam debebit in lineis, nudis pedibus et capite, cum cereo in manibus ardente, procedere a carcere usque ad domum matris suae, ibique flexis genibus postulare indulgentiam a Deo coeli, a iustitia et a praedicta matre sua; ac deinde ad biennium se continere intra muros Civitatis et Kaijas eius, non egrediendo umquam terminos istos intra id tempus, sub poena capitis. Ita verbotenus, sed lingua vulgari, liber Praetorianus.

II. Eodem Augusto coepit aedificari mola aquatica ad pontem S. Ioannis; et quam plurimi male feriati collecti sunt, ut laborarent in perficiendis Civitatis moenibus, ferreo ad collum annulo circumligati ne possent aufugere: ad eumdemque finem, die x Augusti, indicta est contributio decimi nummi in singulas domos. Nempe, licet ambitus murorum, ex vivo eductus saxo, iam haberetur perfectus, in fossis tamen vallisque perficiendis, et ad latitudinem profunditatemque designatam perducendis, diuturniori opus labore fuit, ut aliquoties etiam posthac apparebit.

III. Die xxi eiusdem mensis, post amburbalem Processionem Dominica infra Octavam Assumptionis, currente Littera B, « cum antiquus Scultetus, Ioannes vande Werve, apud Consu- » lem Mag. Iacobum Hertssens laute pransus, foras tenderet in » villam suam Hobokanam, uno in curru cum uxore eiusque » cameraria ancillula, ac domestico fatuo seu morione, venis- » setque ad portae Croneburgicae pontem sublicium *(quales* » *tunc adhuc omnes erant, unius Caesareae ponte excepto)*, adeo » vehemens turbo obvium se currui dedit, ut consternatus » auriga, et sentiens equos perterritos retrocedere, dixerit » non esse obluctandum eiusmodi tempestati, aut foras

» eundum. Cum autem Dominus instaret, ac diceret pergeret » porro in nomine omnium diabolorum, currum ipsum ventus » corripuit, lorisque veluti rescissis, in fossam egit, manentibus » in ponte cum auriga equis, sicut erant, accinctis. Scultetus » autem profundo in limo suffocatus est, uxor vero uno post » mense obiit. Cameraria cum morione salvi et illaesi evase- » runt; et hic quidem audiens, cum extraheretur, conclamantes » Scultetum cum suis omnibus periisse, quaesivit an ipse » quoque esset mortuus. »

IV. Ita enchiridion quoddam manuscriptum in octavo, serva- tum apud heredes Licentiati Cornelii Bauwens; unde Analecta quaedam sibi describens Advocatus Nys, addidit, in Parochiali ecclesia Hobokana ad latus septentrionale, invenisse se utriusque defuncti monumentum saxeum, cum epitaphio sub illorum insignibus ita descripto vulgari lingua : *Hic sepultus iacet D. Ioannes vande Werve, quondam Scultetus Antverpiensis :* rursumque post unius lineae spatium vacuum, quasi ad diem et annum mortis notandum, subditur, *et Domicella Margareta van Langenberg, eius coniux, defuncta die* XXI *Septembris anno* MDLIII. Non igitur altera post casum hora, ut habet, ipsum casum referens, Snyderi Rotulus; addens autem fuisse qui dicerent, « divinam eam fuisse vindictam, eo quod ipso agente » plexus fuisset capite victor quidam non sanae mentis, » eoque innocens vulgo creditus. » Sed modus, quo scissa lora potius quam fracta, currusque trans pontis loricam (nam et hoc habet Rotulus) in praeceps actus dicitur, manentibus in ponte equis cum auriga, quos currui adstrictos alioqui necesse fuerat pariter in praeceps trahi; modus, inquam, praecipitati currus verosimiliorem facit relationem enchiridii acceptam (ut verosimile est) ex relatu aurigae atque ancillae : sed qui sepulturam curavit eorum gener N. vir nobilis, sicut in Epitaphio dissimulavit notare diem funesti casus, ita putatur

etiam in sculpendis socerorum insignibus omisisse Baram, indicem notheias, quam apponi debuisse censebat *D. Philippus vande Werve*, eo quod defunctus ille praetermittatur in familiae suae genealogica arbore. Sed cum Antverpiae nemini spurio liceat Magistratum capessere, crediderim omissionis istius aliam esse causam, quam divinare non sit opus.

Itaque id familia illa diiudicet. Ego noto ex titulo *Sculteti* probari, quod supradictum est, seculo isto XVI, aut etiam priori, usitatum fuisse ut Vicarius Marcgravii primi ac proprie dicti Sculteti, sive *Subscultetus*, post Antverpiam Brabantiae restitutam, vulgo absolute *Scultetus* appellaretur; Marcgravii potiori titulo penes eum relicto, qui personam sustinebat *Marchionis Sacri Romani Imperii*, id est Ducis Brabantiae; atque extunc invaluisse, ut hic appellari posset *Marchio ditionis Riensis*, cuius Antverpia caput est. Id ipsum confirmat Elenchus Praetorum Marchionatus Riensis ditionis, quos vulgo appellamus Marcgravios, ubi ab anno M.D.XXXVIII usque ad annum M.D.L nullus alius apparet quam *Guilielmus vande Werve*, praedicti Ioannis quomodocumque consanguineus.

V. Ut ut est, privatum unius familiae infortunium hoc fuit; rem publicam magis tangebant adversitates, quibus simul multis Caesarem afflixit fortuna, incipiens ei, cui tam benigne tamque diu faverat, dorsum vertere. Nam, conspirantibus in eum Mauritii Saxonis, Alberti Brandeburgici et Guilielmi Hassi armis, cum obsessa ab eis captaque Augusta Vindelicorum esset, die v Aprilis, Oeniponte cum fratre Ferdinando discedere debuit XXIII Maii; restitutisque in libertatem Frederico, Saxoniae Duce, atque Landgravio Hassiae Philippo, quos anno M.D.XLVII gloriose vicerat captivosque tenebat, etiam mense Octobri Metensis urbis obsidionem solvere coactus fuit, quando iactus in eum est sarcasticus hic versus :

Siste viam Metis : haec tibi meta datur.

Similem successum Caesar habuit, Senas in Hetruria obsidens, indeque a Francis pulsus. In Hungaria autem Vesprimium, Temesvarinum et Lippam Turcae occuparunt; neque tot damnis avertendis aut reparandis satis fuit ingens ex Hispania et Lusitania classis, multo auro argentoque, facto rudique, onusta, mense Octobris appulsa in Belgium. Interim, Brabantiae Cancellarius, iubente Aula, exauctoravit Antverpiae omnes quinque Guldarum confratres, et potentiores quosque cives qui Regi et Civitati iurant fidelitatem, in eorum locum subrogavit. Causa non additur : sed ex mox ad finem anni secuta voluntarii mutui postulatione, datur haud obscure intelligi, eam mutationem factam, quod potentiores, eo honore conciliati, sperarentur proniores ad Caesari succurrendum futuri.

VI. Mensis Decembris diem secundum obitu suo consecravit Magnus Indiarum Iaponiaeque Apostolus, idemque Civitatis nostrae contra pestem Patronus, s. FRANCISCUS XAVERIUS; cui proinde, tamquam domestico Sancto, compositum impressumque hic elogium sepulcrale ex primi Seculi nostri Imagine congrue hoc loco ponetur, sic procedens :

« State Heroes, Animae magnae et virtutis amantes, nihil » ultra aut conandum vobis, aut faciendum est, quando XAVERIUS » hic iacet. Fallor : de tanto Orientis Apostolo, supra naturam » forti, supra imitationem eximio, supra invidiam admirando, » de Iesu socio, de Ignatii filio, de immortali Angelo in carne » mortali, vix aliquid, quod corrumpi potuit, imo non potuit, » hic situm est. Vivit etiamnum, pergitque superstes animus : » quo solet impetu charitatis, adhuc quaerit quo se avida » salutis humanae virtus extendat. Ite ergo, Heroes, sequimini » quo XAVERII pars melior, non adempta mundo, etiam cum » coelo reddita, ultra inaccessas hominibus terras et maria » vos vocat. Quid haeretis? Ite saltem in lacrymas, et plorate » XAVERIUM, omnium amore consumptum, omnium dolore

» depositum; quando ad occasum tanti viri ingemuit Oriens,
» ad interitum tanti Ducis militans ploravit Ecclesia : ad tanti
» commilitonis angustias, praesertim ultimas, Dominus ipse
» IESUS, in paterna Xaverii domo effigie lignea crucifixus, non
» semel, gemini doloris et amoris mutui insolente prodigio,
» flens sudansque largiter, illacrymavit. Hic vir, hic est : qui
» cum suae mentis amplitudinem ardoremque virtutis Europa
» non clauderet; Duce Iesu, auctore Ignatio, legante Pontifice,
» implente Charitate, ingressus Oceanum, iuvandossibi in alio
» orbe terrarum Orientales populos inquisivit. Vir coelitibus
» magis similis quam mortalibus : quem homine maiorem
» illibata virginitas, mundo superiorem inconcussa constantia,
» parem Angelis incorrupta mortalitas, Deo proximum corpus
» et animus aere in vacuo saepe suspensus, supra humana
» omnia statuerunt. Cuius ardori Oceanus, cuius sapientiae
» et spiritui Bonsiorum exsufflata scientia, cuius potentiae
» elementa omnia, cuius integritati ipsa mors, victa cesserunt.
» Cuius virtuti nihil arduum, magnitudini nihil amplum, animo
» nihil magnum, labori nihil impervium, nil onerosum con-
» stantiae, nil difficile charitati. Cui inter divinas castasque
» voluptates, superinundante coeli gaudio, concessarum a Deo
» deliciarum cito satis; intergravissimas aerumnas, extremam-
» que necessitatem, superobruente mundi onere, toleratarum
» pro Deo molestiarum numquam satis. Qui tranavit maria,
» adivit incognita, penetravit inaccessa, vicit Iaponiae frigora,
» Indiae superavit ardores, utrobique saepe nudus, sed nihil
» sentiens, quia Deo tectus; difficilis idem, ac facilis, vinci et
» vincere, sontes perculit, protexit insontes; restituit mortali
» vitae multos, immortali propemodum infinitos; tot centeno-
» rum millium, quos Christo pepererat, Pater et Pastor unus
» par omnium, et omnibus omnia, non fecisse minus a magnis
» Apostolis, affirmari potuit : nihil tamen etiam tum fecisse

» se, nihil incepisse cogitavit. Apostolus Indiae iam olim
» Magdalenae amitae designatus oraculo, suo mox opere et
» labore factus, quotidianis prodigiis et Apostolicorum simil-
» limis miraculis comprobatus; toto vix decennio agendo et
» patiendo fortia, plus submisit Ecclesiae quam multis secu-
» lorum aetatibus Romani simul et Graeci, sternendo et pro-
» fligando omnia, suae Reipublicae suoque imperio subdiderint.
» Demum illato in omnem terram IESU nomine et honore,
» ipsos prope fines orbis terrae, virtuti praefixos Apostolicae,
» superarat; cum se in suorum operum ac laborum stare
» primordio iudicabat. In vastissimum Sinarum imperium dum
» aditum Evangelio quaerit, laboribus supra humanas vires
» pro Dei gloria et religione fractus, plus tamen animi et vir-
» tutis ardore consumptus, qui semper hactenus sibi parum,
» Deo semel fecit satis, anno M.D.LII. IV Non. Decemb. in San-
» ciano insula mortuus; in viva calce anno plus toto, sed sine
» corruptione sepultus; Goam cum triumpho revectus, Goae
» cum dolore redditus, cum utroque ibidem conditus, omnium
» in animis adhuc superstes; amabilis in oculis hominum,
» admirabilis in aestimatione mortalium, Deo etiamnum labo-
» rat in sociis, Deo ardet in Iaponiis, Deo militat in Sinis, Deo
» triumphat in omnibus, sui semper similis, et ubique suus,
» Deo vivit. Ita Gregorius XV Pont. Max. pronuntiavit, arcano-
» rum coelestium interpres, et ipsa vox Numinis, cum anno
» M.DC.XXII, sacris eum Catholicis magno orbis gaudio et gra-
» tulatione admoveret. De erepto sibi Apostolo, Patrono,
» Patre, moestus Oriens hoc illi doloris aeterni et amoris
» perpetui condidit monumentum. »

VII. Nos autem Antverpiae, praeter aram in ecclesia Domus Professae positam, designabamus in Collegio eius, postquam Sanctis adscriptus fuit, *nomini eius adscribendam* ecclesiam propriam; iamque parati erant sumptus, cum invidorum

malevolentia hoc Civitati ornamentum, plebi lucrum, studiosis commodum abstulit, suasitque Mechliniam transferre, quod Antverpiae offerebatur.

VIII. Die vii Decembris coepta est descriptio gratuiti ad unum annum mutui, cuius Rotulus per dies et nomina inventus apud Advocatum Nys ex gallico meretur hic reddi latine, ut sequitur :

Mutuum datum Antverpiae, ex directione Dominorum Commissariorum D. de Molembais, Cancellarii Brabantiae, et Petri Boisot, a sua Maiestate deputatorum. M.D.LII.

—

VII DECEMBRIS.	
Marcgravius Antverp.	fl. 1000
Amanus Antverpiae. .	» 500
VIII.	
Decanus et Capitulum D. V. Antverpiae. .	» 1500
IX.	
Abraham Steyl pro se et suis magistris. .	» 1000
Alexius Crymmel. . .	» 2000
Conrardus Beyen, pro se et nomine Christophori Velferi, ac fratruus eius. . . .	» 2000
X.	
Paulus van Dale, pro Arnoldo van Dale, patre suo, 12000, et pro se 1000, simul.	» 13000
Laur. vander Heyden.	» 1000
Ioannes Verheyen. . .	fl. 600
Paulus van Gernert. .	» 2000
Io. de Schoenmaecker, alias Haesdonck.. .	» 1000
Vinc. de Sant, senior.	» 1400
XI.	
Gaspar Schets, pro se et fratribus suis.. .	» 8000
XII.	
Actor Andreae Liefhals et Sociorum.	» 3000
Ioannes de Cordes.. .	» 1000
Wolfgangus Peffingen pro suis magistris.	» 3000
Consules, Scabini et Consiliarii Antverpiae, personae L. .	» 7000
Ioannes Velferus et fratres.	» 3000
Ioan. vanden Steene..	» 1000

XIII.

Stephan. Keltenhoven, pro suis magistris. . fl. 2500
Didacus de Villegas. . » 2400
Ioannes Poels. . . . . » 600

XIV.

Gerardus Sterck. . . . » 2000
Contractus. . . . . . . » 18000
Hieron. de Franchis. . » 600

XVI.

Christophorus Coignet » 200
Rumoldus van Hoorne. » 100
Ioannes Perillicus. . . » 1000
Petrus Arens. . . . . . » 50
Richardus le Febvre. . » 300
Otto Scholtz. . . . . . » 300
Paulus Timmermans. . » 200
Philippus de Bere. . . » 100
Franciscus le Febvre. » 100

XVII.

Petrus de Haze. . . . » 100
Wilhelmus vander Aa » 100
Lazarus Reyne. . . . . » 300
Martinus vanden Briel » 200
Iacobus Kneende. . . . » 100
Ioannes Oort. . . . . . » 300
Ioannes Gheel. . . . . » 200
Henricus Hietoel. . . » 800

XIX.

Gilleb. van Schoonbeke » 500
Ioannes Gameel. . . . » 600
Henricus van Achelen. » 700
Ioannes de Bourgoigne » 4000
Ioannes de Bilbau. . . » 600
Hieronymus Lopez. . . fl. 1200
Ferdinand. Bernouille, pro se et matre ac sororibus suis. . . . » 3000
Vidua de Dache. . . . » 2500

XX.

Berembach. . . . . . . » 600
Antonius Paës. . . . . » 1000
M. Pet. van Wesenbeke » 200
M. Aegidius Gerardi . » 100
Corn. Franc. Aertssens » 100

XXI.

M. Ludovicus Vogel. . » 200
Ioannes de Clerck. . . » 400
Io. van Quyckelberge. » 100
Iacobus van Hersbeke. » 200
Balthasar Severgne. . » 100
Ioannes Luyckx. . . . » 100
Nicolaus de Moye. . . » 100

XXII.

Leonardus Parys. . . . » 300
Iosephus Moestaert. . » 250
Iacobus Raes. . . . . » 100
M. Hub. de Mangelen. » 500
M. Didericus de Voegt. » 900
M. Winandus van Helwegen. . . . . » 100
Laurent. Borrekens. . » 200
M. Ioannes Parryn. . » 100
Vidua Arn. del Plano. » 100
Capitaneus Arresti. . . » 200
Christophorus Haller. » 600
Gerardus Grammey. . » 200
Io. de Clerchuwetten. » 100

23 ll 25

Lazarus Tucher. . . . fl. 3000
Reinerus van Oogsten, pro se et matre sua. » 250
Ioannes, Hieronymus et Gaspar Mannaert et Ioannes Danieels. » 300
M. Petrus Bousaert. . » 1500
M. Petrus du Mont. . » 50
Robertus van Asten. . » 400
Petrus Vrancx . . . . » 300
Lancell. de Robiano et vidua Wilhelmi de Santvliet. . . . . . . » 200
Vid. de Tricken Woort » 700
Melchior Balde. . . . » 200
Georgius van Surck. . » 100
Iacobus et Ioannes Perun. . . . . » 300
Herm. van Hersbeke. » 250
Petrus de Haze, senior » 100
Michael de Bourgoigne » 50
Wilhelmus Virili. . . . » 100
Melchior Gravenborch » 1000
Dominus de Malle. . . » 4000
Henricus Piperlinck. . » 100
Gabriel Barbier. . . . » 100

XXVI.

Hieronymus Huioel. . . » 250

XXVII.

Didacus de Santacroix » 300
Ioannes Henriquez. . . » 400
Ioannes de Quelden. . » 250
Didacus de Saint-Iean » 400
Ludovicus de Sivilia. . » 1800

XXVIII.

Franciscus Davila. . . fl. 100
Didacus de Viaci. . . » 100
Ant. de San-Similian. » 200

XXIX.

Adam Reyners. . . . . » 400
Adolphus Tollaert. . . » 50
Carolus de Cordes. . . » 1000
Michael van Berghen. » 200
Domin. Wouters. . . . » 50
Ioannes van Munster. » 100
Wilhelm. Eggerdinck. » 100
Ioannes du Carme. . . » 500
Iacobus Peeters. . . . » 1000
Vidua M. Lawaar.. . . » 200
Petrus van Eyck. . . . » 100
Ioannes Dasque. . . . » 100
Vidua Ger. van Doela. » 100
Henricus van Tielen. . » 100
Wilh. van Immerseel. » 400
Franc. vanden Veken . » 50
Leonard. Toppegieter. » 200

XXX.

Vidua Ioannis Moye. . » 1000
Cornelius Dyck. . . . » 400
Lambertus van Kessel. » 400
Ioannes Iacot. . . . . » 500
Hubertus Robrechts. . » 200
Adolfus Wolsroet. . . » 100
Iacobus vander Vicht. » 100
Segerus Claessens. . . » 100
Ioannes van Oproye. . » 100
Michael Boot. . . . . . » 100
Iacobus Beelaerts. . . » 100

Iacobus Langdonck. . fl. 100
Cornelius van Spele.. » 100
Andreas de Meester. . » 200
Iacobus van Gestel. . » 100

XXXI.

Hubertus Vorselman. » 100
Henricus Pordieu. . . » 250
Henricus de Coninck. » 150
Ioannes Vorck. . . . . » 200
Martinus Martens. . . » 100
Thomas Adriaenssens. » 100
Stephanus Verpoorten » 100
Vidua Ant. Adriaenssens. . . . . » 200
Adrian. Adriaenssens. » 200
Vidua And. Adriaenssens. . . . . » 150
Cornelius Schort . . . » 100
Matthias Verpoirten. . » 150
Adamus Wouters. . . » 100
Andreas Adriaenssens » 100
Ioannes Bakelet. . . . » 200
Iacobus Gilliam. . . . » 200
Iacob. vander Wayen » 100
Petrus Proost. . . . . » 100
Petrus Ewouts . . . . » 100
Henricus Moens. . . . » 100
Dionysius de Laet . . » 100
Walterus Sarroye. . . » 100
Petrus Beck. . . . . . » 200

II IANUARII.

Hertmannus Timale. , » 200
Fr. van Winderbeke. » 100
Franciscus Schot. . . » 300

Hieronymus Smeet. . fl. 150
Adrianus Spruyt . . . » 100
Paulus Raet. . . . . . » 150
Iacobus Franchois.. . » 100
Petrus van Baesroede » 100
Ioannes Anthonis. . . » 200
Ioannes Peeters, pro Daniele et Antonio van Bombergen. . . » 1000
Ioannes de Lespaigne. » 100
Martinus opten Hoff.. » 200
Dionysius Lheremyt.. » 400
Henricus Smit. . . . . » 100
Arnoldus van Hoyken, pro suis magistris.. » 300
Ioannes van Schooten. » 200
Arn. vanden Beempde. » 200

III.

Nicolaus Pelsere.. . . » 200
Uxor Antonii Nys. . . » 150
Franciscus Gielis. . . » 350
Laurentius Rycx . . . » 200
Arnoldus de Laet. . . » 100
Thomas van Lare. . . » 100
Gerardus Iacobssen. . » 100
Walterus van Hore. . » 1100
Ioannes Iordaens . . . » 100
Hieronymus Mey.. . . » 300
Nicolaus de Meester.. » 100
Ioannes de Molin. . . » 200
Dideric. Adriaenssens. » 100
Georgius Stecher, pro suis magistris. . . . » 3000
Alph. a S. Gadea scuta » 500

M. Ioannes Careest. .	fl.	100
Rodericus Dermoyen.	»	350
Thomas Comperis. . .	»	100
Vidua Lheremyt. . . .	»	300
Vidua Francisci Hage.	»	100
Ioannes van Gameren.	»	200
Balth. Charles pro se et Mattheo Pomereaux	»	300
M. Iacobus Huygens.	»	100
Nicolaus Raets.. . . .	»	200
Ioannes della Faille. .	»	600
Franciscus de Weert.	»	100
Gaspar de Meere. . .	»	150
Ioan. van Cronendael	»	150
Bartholomaeus Gysens	»	100
Ioannes Pellicom. . .	»	100
Franciscus Messinck..	»	100
Razo van Brecht.. . .	»	600
M. Segerus 't Shertogen, iunior.	»	100
Everardus d'oudekleercooper.	»	100
Arnoldus Nieuwelant.	»	200
Ioan. de Craenmeester.	»	100
Antonius de Taxis.. .	»	200
Petrus Mosseron.. . .	»	300
Antonius de Rapalio. .	»	100
Henricus Lauwereys..	»	300

v.

Vidua Michaelis vander Heyden..	»	2000
Henricus van Olmen.	»	100
Maillardus van Leest.	»	100
Adrianus Tack.. . . .	»	100
Duae Virgines habitantes sub signo Pater noster.	fl.	300
Henr. Moens, senior. .	»	50
Ioannes de Riemer. .	»	100
M. Nicolaus Spierinck.	»	250
Paulus de Deckere. .	»	100
Natio Florentina.. . .	»	8000
Natio Genevensis. . .	»	15000
Vincens Verbeeck . .	»	100
Rutgerus Hack.. . . .	»	100
Tilmannus van Kessel.	»	400

VII.

Ioannes Albertus Carnutze..	»	300

VIII.

Pemelii	»	1800
Vidua Ant. Wouters.	»	150
M. Petrus Frans . . .	»	500
Petrus Raet.	»	100
Dider. opten Crane.. .	»	100
Henricus Montens. . .	»	100
Michael Mangnaerts. .	»	200
Ioannes van Castor. .	»	100
Vidua Arnoldi Schuyt.	»	100
Clara Peeters.	»	100
Petrus de la Flie. . .	»	200
Vidua van Eenssel. .	»	100
Dicti incurii ultra mille libras a se promissas consentiunt insuper in.	»	1000
Uxor Ioannis Crabbe.	»	100
Andreas Wencxel. . .	»	100

Vidua Wolfgangi Ruyswyser . . . . fl. 150
Balthasar van Wissemborch . . . . » 100
Gaspar Crop. . . . . . » 100
Freder. Schuermans. . » 100
M. Matthias van Swertgoor. . . . . » 100
Ioannes Mosman. . . . » 100
M. Matthias van Swertgoor. . . . . » 50
Ioannes Broon. . . . . » 100
Ioannes de Collezy. . » 300
Ioannes Vasseur. . . . » 100
Didericus de Hane. . » 100
M. Franc. Spierinck. . » 100
Cornelius Ant. Cuyper. » 50
Cornelius Ogerini. . . » 50
Anton. van Beeringen. » 100
Bernardus van Soest. » 100
Vidua Iacobi Loomans » 400
Otto Pher. . . . . . . » 400
Petrus Haeck. . . . . » 100
Io. van Roye, Ultraiectinus. . . . . » 100
Arn. van Veltwyck. . » 1800
Iacobus van Leyen. . » 100
Iacobus Elouts . . . . » 200
Pet. Luydinck bourgsen. . . . . » 150
Henricus Hoons. . . . » 200
Conradus Beyer ultra 2000 in quos consensit, adhuc offert » 3000

M. Adrianus Ianssens, medicus. . . . . . . fl. 150
Willebr. van Rommel » 100
Michael Mulier . . . . » 100
Vincentius Adeodati . » 1000
Sebastianus Gheens. . » 500
Petrus Smet. . . . . . » 100
Paulus Monick . . . . » 300
Ioannes Tessche. . . . » 200
Aegidius van Cuybeke » 100
Walterus van Heyst. . » 200
Cor. vanden Bogaerde » 100
Paulus van Velthoven » 100
Nicolaus Jongelinck. . » 300
Ludovicus Leerbils. . » 100
Stephanus Wouters. . » 100
Christophorus Coignet » 200
Ioan. van Buytendyck » 100
Paulus Henricxs. . . . » 100
Franciscus Anthonis. . » 200
Iacobus in domo Affligemiensi. . . . . . . » 100
Iacobus Wolfaert. . . » 150
Franciscus Veriuys. . » 700
Henric. van Bouchout » 200
Ioannes de Poorte. . . » 100
Paulus Cornelissen . . » 100
Barthol. Michielssen. . » 100
Vidua Duysborch. . . » 400
Wilhelmus Berssel . . » 150
Nicolaus Veriuys . . . » 100
Ioannes Ketkens. . . . » 100
Cornelius van Oproye » 100
Ioannes van Achelen. » 300

Iacobus de Langaigne cum matre	fl.	300
Paulus Vloomaert. . .	»	300
Anton. van Doremont.	»	200
Petrus de Langaigne.	»	100
XII.		
Ioan. van Tournhoudt	»	100
Cornelius van Nispen.	»	200
M. Gisbert. Donschet.	»	200
Cornelius Yserbouts.	»	200
Ioannes van Houten in Mortario	»	200
Ioannes vander Veken	»	200
Petrus van Beerdyck.	»	100
Godefridus Nys. . . .	»	100
Aegid. van Brusegem.	»	500
Ioan. de Vos et Herm. de Waghemaker. . .	»	150
Petrus Scholiers. . . .	»	300
Cornelius van Halter.	»	100
Matthias van Doirne.	»	100
Ioann. vanden Broeck cum sociis.	»	150
Ioannes Bousan. . . .	»	200
Christ. vanden Broeck	»	200
Valerius van Dale. .	»	250
Aegidius Vermoelen. .	»	150
Adrianus van Breen..	»	200
Ioannes van Broeck, Pistor saccararius.	»	400
Ioachimus van Liesvelt	»	100
Ludovicus Alvares.. .	»	200
Barthol. van Lippeloo.	»	150
Laurent. Walschaerts.	»	100
Henricus Hofman. . .	fl.	200
Ioannes van Oproye..	»	200
Iacobus Hofnagel. . .	»	200
XIII.		
Antonius de Touche.	»	200
Sebastianus van Dale.	»	200
Dideric. Schulenborch	»	200
Bartholom. Bortels. .	»	150
Mich. van Hoogstraten.	»	100
Ioannes Mannekens. .	»	100
Hieron. de Revelasio.	»	400
Christophorus Garcia.	»	300
Petrus vanden Walle.	»	200
Michael Goevaerts.. .	»	100
Iacobus Verhals. . . .	»	100
Wilhelmus van Diest.	»	200
Io. van Moninckhoven.	»	200
Cornelius Vyer. . . .	»	100
Ioannes Dermoyen. .	»	300
Benedictus Capriano.	»	800
Petrus Zoite	»	100
Ioannes Hackaert. . .	»	150
Hieronymus Ienner. .	»	600
Marcus Holsten. . . .	»	800
Sebastianus Liebman.	»	400
Simon Cock, Pannarius	»	100
Ioannes de Horst . . .	»	200
Michael Antonio pro sociis suis.	»	100
Melchior Breem. . . .	»	100
Wilhelmus Castelain.	»	100
Gerardus Maheu. . . .	»	150
Bartholomaeus Gieles.	»	300
Petrus van Dale . . .	»	100

Corn. van Winderbeke	fl.	100
Antonius le Moisne. .	»	150
XIV.		
Thomas Balbani. . . .	»	1100
Ioannes Thys	»	150
Paul. van Fockenborg.	»	250
Adolfus Iacobyns. . .	»	250
Io. van Hove cum sociis	»	400
Georgius Schorer. . .	»	800
Henricus Danroet. . .	»	100
Ioannes Spierinck. . .	»	100
Reynerus van Buesdal.	»	100
Bartholomaeus du Bois	»	100
Petrus de Smeet, pro Nicolao Sterck. . .	»	100
Iacobus Pryckers. . .	»	100
Carolus Crol..	»	100
Nicolaus Schat.. . . .	»	100
Petrus Spruyt.	»	100
Antonius Bakeler. . .	»	100
Ioannes Bon.	»	200
Gabriel Statelinck. . .	»	900
Vidua Francisci vander Noyt cum filio suo et societate.	»	500
Gerardus Dunbrant. .	»	100
Petrus van Palle . . .	»	100
Vidua Petri van Buyten	»	100
Cornelius Iacobs.. . .	»	100
Nic. vander Borcht. .	»	150
XV.		
Franciscus Serventi. .	»	400
Vincent. Gamuzii cum societate.	»	1000
Ioannes du Bois.. . . .	fl.	200
Hermannus van Hoeck	»	150
XVI.		
Arnoldus Wils..	»	100
Ioannes de Vogelaer..	»	150
Ioannes de Pauw. . .	»	200
M. Seger. Colbelgiers.	»	150
De langeroede.	»	100
Carolus Cocqueel. . .	»	300
Ioannes Vermeeren. .	»	700
Ioannes de Palma.. .	»	100
Ioannes Daranda . . .	»	200
M. Nicolaus Renghoot	»	100
Vidua Nic. Veriuys . .	»	400
Ioannes Ruts, sutor..	»	100
Ioannes Crabbe. . . .	»	150
Ioannes de Ayala cum suis	»	100
Vidua Magni van Bullestraten.	»	100
Vidua Comperis. . . .	»	100
Didericus Hoeck . . .	»	200
Adrian. van Stiermont et Henricus Uleus. .	»	200
Simon Bourgeois . . .	»	150
Petronilla, Vidua Ioannis Raets	»	200
Iacobus Faes	»	100
Bonaventura Michael.	»	1000
Ioanuis van Tricht . .	»	100
M. Ioannes de Volare .	»	100
Didericus van Gheenrame.	»	150
Gisb. van Oudenarden	»	100

Antonius de Gousman.	fl.	300
Walterus Bosschart. .	»	100
Franciscus de Volare.	»	200
Ioannes van Damme. .	»	150
Ludovicus Nicole. . .	»	200
Franciscus Gemennes.	»	200
Paulus Bacx.	»	250
Cornelius de Ruyten..	»	300
Matthias Brenel, alias de Hondt.	»	100
Vidua Iac. de Voeght	»	100
Petrus vande Water .	»	100
Vidua Elauts..	»	200
Iacobus Valckenborgh.	»	200
Dideric. de Mollenaer.	»	400
Henricus Criel.. . . .	»	200
Ioannes Cornelis . . .	»	100
Iacobus vander Eede.	»	400
Vidua Bartholomaei de Doncker.	»	200
Ioannes Bapt. Galinx..	»	150
Didacus Gesma	»	200
Egmond. Toppegieter.	»	200
Ludovicus Faryn . . .	»	300
Georgius van Lieck . .	»	250
Dionysius van Thuelt.	»	100
Cornelius Beyerlinck.	»	100
Ioannes Santernel. . .	»	200
Martinus Alenso. . . .	»	100
Leonardus Broeck. . .	»	100
XVIII.		
Alvarus Delrio.	»	100
Herm. 't Skonincxs, in cygno . . . . ,	»	150
Balthasar Daceo. . . .	fl.	300
Soror Rockoocksii . .	»	100
Ioannes Tourier. . . .	»	100
Ioannes de Lantmeter.	»	300
Wilhelmus de Weert.	»	100
Adam Boelaert	»	100
Iacobus Claes.	»	100
Ioann. vander Brugge, senior.	»	150
Michael Consaert . . .	»	200
Ioannes Alewyns . . .	»	100
Ioannes van Balen . .	»	100
Ioannes de Pape. . .	»	150
Henricus Philips . . .	»	100
Ioannes Duysseler. . .	»	100
Uxor Nic. Vermeeren	»	100
Sebastianus Laers. . .	»	100
Iacobus Raet	»	100
Wilhelm. Boirewater .	»	300
Arnoldus Pels.	»	500
Gualtherus Ophog. . .	»	100
Adrianus de Cater . .	»	100
Iulianus le Febvre . .	»	100
Hubert. Wachelmans.	»	100
Vidua van Paeschen .	»	100
Henricus Boirewater .	»	200
Hieronymus Manteau.	»	100
Martinus Ballinck. . .	»	150
Gerardus Hessel . . .	»	100
Henricus de Pauw . .	»	100
Vidua Arnoldi Daems	»	100
Wilhelmus van Trier	»	150
Antonius van Brecht.	»	100
Petrus de Deecker.. .	»	150

Ioannes Gobou . . . . fl. 300
Paulus Boschaert. . . » 100
Ioann. de Fourmenoix » 100
Aegidius Dingens. . . » 200
Aegidius Moormeester » 100
Iacobus Bondaen . . . » 100
Sebaldus Waudrez. . . » 100
Iacobus Comperi. . . . » 100
Franciscus Boudaen. . » 100
Vidua Hermans. . . . » 100
Martinus Houreau . . » 150
Ioannes Bottry. . . . . » 100
Corn. de Hont, senior » 100
Duartez Rodrigo . . . » 300
Iacobus van Lieck . . » 150
Hector van Hove . . . » 100

XX.

Petrus de Weert . . . » 100
Gerardus de Volare. . » 100
Franciscus Brunincxs. » 200
Alfonsus Sanches. . . » 500
Ioannes van Liesvelt. . » 100
Robertus Coels . . . . » 150
Nicolaus Nouts. . . . » 100
Ioannes Cousyn. . . . » 100
Andreas Vervloet . . . » 100
Petrus van Aelst . . . » 150
Antonius Edelinck . . » 100
Hubertus de Lot. . . » 600
Godefridus van Lith. » 150
Rytzard. de Fyngieter » 100
Ioannes Focker. . . . » 100
Aegidius Mutsaert. . . » 100
Ioannes Denys. . . . . » 100

Michael de Cock . . . fl. 100
Petrus Welser. . . . . » 100
Henricus van Montfort. » 100
Ever. Linckenborch. . » 100
Franciscus de Pape. . » 200
Vidua Adr. de Witte. » 200
Filius Nicolai de Granemon. . . . . » 200
Ioannes vanden Berge. » 100
Gerardus Steyaert. . . » 200
Didacus de Ayala. . . » 100
Caspar. Ioannes Eelier. » 300
Caspar van Uytrecht. » 100

XXII.

Actor Fagnanorum . . » 600
Arnoldus Thielens. . . » 100
Mensa Ioannis Angeli Danoy. . . . . » 500
Aegidius Gielis . . . . » 150
Henr. Vanden Broecke » 100

XXIII.

Vidua inde Crabbe. . » 150
Vidua Iacobi van Berchem . . . . » 100
Hieronymus Spinosa . » 100
Franciscus Montesa. . » 100
Iudocus de Weert . . » 150
Vidua Gasparis vander Herstraeten. . . . . » 150
Adrianus de Molleneer » 100
Henricus van Onsen. . » 100
Georg. inde Akeleye. . » 100
Lombardae Antverpienses . . . . » 2000

D. Formestreaux . . .	fl. 600	Carolus Cocqueel, pro Ioanne et Marco van Roesenberg.	fl. 1000
Christoph. Beyer pro Luca Ryem.	» 1500	Georgius Veseleer . .	» 500
Alfonsus Sinte Gadea, ultra 500 coronatos iam supra addictos, addicit insuper. . .	» 1000	Christoph. Frisinger, pro Philippo Greck, magistro suo	» 400
Vidua Ioannis Scheyff.	» 2000	Filius Ioannis Ruel. .	» 600
Ioannes et Balduinus van Mechelen. . . .	» 300	Summa totalis, floreni.	250850

IX. Denique, hoc et tribus sequentibus annis, Gillebertus a Schoonbeeck quidquid labore et industria sua acquisiverat facultatum, impendit exornandae Civitati. Cum enim emisset prata, sita post Hospitale maius, de GASTHUYSBEMDEN, pulchras et plures per ea duxit vias, construxitque aedes, et inter Hallam Tapetiariam ac fundum quem nunc occupant Carmelitae discalceati, quadratum expandit forum, ubi venales haberentur fruges ex Brabantia advehendae, DE BRABANTSCHE KOREMERCT. Idem novarum decem braxatoriarum institutum, iuxta pacta conventa, promovit, a Doctore Iacobo Maes adiutus. Adinvenit etiam mirabilem illum aquaeductum, qui tanto sub terra intervallo, quantum est a porta Caesarea ad novam Civitatem, aquam dulcem salubremque ad ipsas novas braxatorias deferret. Domus autem, HET WATERHUYS dicta, eum in finem erecta est, ut adductam eo aquam ex profundo valde puteo tam alte eveheret, unde per tubos subterraneos in singula pene vasa recipiatur tanta, quantam quis promere voluerit verso siphonis sui epistomio. Ipsa quoque machina per quam hausta ex putei fundo aqua sublevatur, concatenatas mutuo situlas rotando, digna est quae inter spectabiliora Urbis loca monstretur peregrinis, vario ibi aquarum seu fontium lusu recreandis.

A. C. M.D.LIII.

ARGUMENTUM.

I. Inopia piscium. Initiatae novae braxatoriae. Signa venalis cuiusque vini popinis apponi mandata. II. Tumultus plebis contra Senatum. III. Germani milites dimittuntur. IV. Bergizomio appellit navis tota de iuncis contexta.

ACTA PRIORA.

I. « Die xix Februarii, tunc prima Dominica quadragesimae, » tanta fuit inopia piscium, ut asellus unus quatuor florenis » et octo stuferis venderetur; sed et lacticinia cariora erant, » nam libra butyri duobus stuferis, hollandici casei uno, aut » etiam quinque quadrantibus vendebatur.

» Mense Martio coepit in decem novis braxatoriis cerevisia » coqui, aqua ad id navibus petita ex Dilia ad Rumst, inter- » vallo quatuor milliarium : et in hebdomade sanctiori, die xxix » Martii (nam Pascha celebrandum erat ii. Aprilis), coepit sic » coctus potus ibi vendi.

» Die xv Aprilis, edictum cauponibus est, ut unusquisque, » affixo ante domum suam signo, profiteretur quod genus vini » haberet venale, neque unum pro altero daret, sub poena » trium veterum scutorum; qui mos per impressa grandibus » characteribus folia adhuc quadamtenus observatur, non so- » lum quoad vina, sed etiam quoad externam cerevisiam, » expressis sigillatim cuiusque nominibus. Iubebantur autem » caupones, pro signo vini Rhenani, assumere coronas ex » hedera; Francici autem vini signum ordinarium erant gla- » dioli fluviales, sive iridis folia lino vincta; Pictonici, caulium

» folia; patrii denique, manipulus straminis; et sic aliorum » quorumcumque nomina etiam inscribi iubebantur labaris » cuique tabernae praetensis.

» II. Die VIII et IX Iulii, in Foro lustrati cives sunt, comparen- » tibus quotquot arma portare poterant : et XI die eiusdem » mensis, sub horam VIII vespertinam, eodem convenientes » armati cum sagittariis, magnum excitaverunt tumultum con- » tra Magistratum, propter edictum de transferendis ad novam » Civitatem braxatoriis, tam internis quam suburbanis non- » nullis : quod infimae plebeculae perquam grave accidebat. » Commovebat etiam multorum animos mandatum Caesaris, » iubentis cives ad bellum pro se gerendum accingi, aut pro » tali obsequio quamdam pecuniariam summam dependere. » Hinc in dies exacerbatis magis magisque animis, die XII, » ad communia circa Curiam loca tumultuarie concurrebant » plures. Dicteria quoque acerba iactabant in Dominos, qui- » bus cum ex eorum famulis unus aliquis respondisset : *vobis* » *verba iactare licet, res ipsae Dominis permanent*, non tulisset » impune verbum audax, nisi mox in Curiam aufugisset. Huc » cum sequi eum vellent aliqui, magis magisque exardescens » plebecula, volebat aliquos e Magistratu occidere, praesertim » Doctorem Iacobum Masium, Pensionarium, et Gillebertum » van Schoonbeke, auctorem novarum braxatoriarum, vulgo » exosos propter magnam suam potentiam.

» Verum hi continuerunt sese in Curia donec sedaretur » tumultus; prout factum interventu quorumdam potentiorum » civium, » inquit Guicciardinus.

Potentiores hosce cives fuisse existimo novos Guldarum Confratres, de quibus supra : « hi enim circumiectas Foro vias » occupaverunt, et verbis partim blandis, partim minacibus » coegerunt plebeculam domos suas quemque se recipere; » itaque ab iniuria defensus Magistratus est, nullo cuiusquam

» damno, nisi quod rex Veteris Arcubalistae, nomine Herman-
» nus, qui habitabat ad domum Cygni, in via Vaccinae portae,
» satagens Dominos defendere, saxo ad caput ictus tam graviter
» est, ut inde quarto post die obierit, deploratus a multis, dum
» funeri eius succollarent quatuor veterum Guldarum reges.
» Componendis porro rebus multum contulit conventio quae-
» dam, inter Magistratum et plebem mox inita, abolitis
» nonnullis circa cerevisiam ordinationibus, et indulgentia
» quaedam concessa. Imperator nihilominus delegavit Antver-
» piam Dominum Lazarum Zwingel, cum turma militum
» Germanorum, quos ipsa Gubernatrix subsecuta est, cum
» aliis nonnullis Proceribus et Cancellaria Brabantiae, cogni-
» tura de praeteritis. Imo venturus fuerat Imperator ipse
» vehementer commotus, nisi podagra eum impedivisset.
» Verum, re tota bene examinata, repertum est non nisi
» leviter laesam esse Magistratus dignitatem, et culpam penes
» paucos stetisse : quorum tribus quatuorve comprehensis,
» abolitum caute est quidquid per seditionem expressum fuerat
» et consignatum scripto; atque ita ad priorem statum reducta
» sunt omnia. »

III. Sequenti Maio, die xxiv, excesserunt ab urbe Germani milites in patriam suam, multis puellis ipsos sequentibus, postquam hebdomadis xv ac biduo Antverpiae substiterant : sed neque tunc dignatus est Imperator novum Magistratum creare civibus, qui veterem tam contumeliose tractaverant, et hunc continuavit usque medium Augustum, quando demum exorari se passus, Commissarios eum in finem misit; atque ita huius anni Senatus, post cuius nominationem nihil aliud gestum est Annalibus dignum, ultimum inter acta locum tenebit.

IV. Etenim ordo temporis praemittere hic cogit, quod, die ix Augusti, Bergis ad Zomam huc appulit navis, tota confecta ex iuncis usque ad ipsum malum et gubernaculum, nulla pice

coagmentatis, vehens hominem cum equo, actaque remis duobus ligneis, quae ex condicto debebat immediate, nusquam applicando, provehi usque Bruxellas; et ad forum piscarium nostrum non nisi in transitu applicuit.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Commissarii *ut ante*, XV *Augusti, ipso Assumptionis Marianae festo, cadente in feriam tertiam.*

Consules. — Dom. Nicolaus vander Meeren IV. — Dom. Ioannes Happaert.

Scabini. — Dom. Iacobus Hertssen. — Dom. Alvarus d'Almaras. — Dom. Didericus vande Werve. — Dom. Antonius van Stralen. — Nicolaus de Schermere. — Cornelius de Vos. — Iacobus Houtappel. — Nicolaus Rockox. — Ioannes vande Werve. — Henricus van Daesdonck. — Ioannes Wolsaert. — Ioannes van Halmale. — Ioannes de Jonge. — Melchior Groenenberge. — Dom. Cornelius van Halmale.

ARGUMENTUM.

I. Anna Bynsia, poetria et ludimagistra Antverpiensis, incipit edendis contra Lutheranos rhythmis teutonicis aliisque piis argumentis clarescere, II.-III. quorum libros duos etiam elegiacis latinis reddidit Eligius Eucharius, Presbyter Gandensis. IV. Incipit tractari de constituendis novis in Belgio Episcopatibus.

ACTA POSTERIORA.

I. Dum nihil singulare invenio post renovationem Actis huius anni porro adscribendum, finiat eumdem anna bynsia, quam (sicut eam laudat Valerius Andreas) erudiendae puellari aetati intentam, *celebrem fecerunt morum castitas, Religionis*

orthodoxae atque Romanae tuendae zelus, et rhythmica poesis non solum in Belgio sed etiam apud exteros, postquam eius libros etiam eruditi viri laudaverunt scriptis suis latinis. In his memorandus *Eligius Eucharius*, Gandensis, Presbyter ac ludi litterarii moderator in patria, vir doctus, et pro ingenio sui seculi inter primos Belgii censendus (ut ait idem Valerius); qui *Bynsiae libros duos, quorum altero in Lutherum eiusque asseclas acriter invecta est, versibus latinis vulgavit Antverpiae anno* M.D.XXIX. Neque solus ipse : id enim apud eumdem Valerium etiam a Laevino Crucio, Pastore Brechtano, tentatum, indicat ipsi Laevino scribens Hieronymus Clichtovaeus, Doctor Parisiensis, in epistola praefixa Paraenesi ad Potentates Christianos : « Gaudeo sane, inquiens, Musas Divino famulari ac inservire » cultui; et quod *Anna Byns*, virgo pudicissima, ac Rhetor » nostras, Antverpiae egit in Lutherum et illius asseclas, » vernacula lingua suaviterque sonantibus rhythmis, id Crucium » uberius et multo quidem efficacius carmine tentasse latino. » Aubertus Miraeus, in opere posthumo de Scriptoribus seculi XVI et XVII, agens de viris eruditis qui circa annum M.D.XL floruerunt : « Huic virorum classi, inquit, inserere etiam » nobis liceat *Annam Bynsiam*, quam excellens eruditio, mores » castissimi et summum veteris Religionis tuendae studium » immortalitati consecrarant. Nam ut altera Sappho, seu potius » Eudoxia aut Proba Falconia, rhythmo teutonico pereruditos » carminum libros XVI, adversus Lutheranos, primum exsurgen- » tes, publicavit : quibus popularium plurimos in Religionis » orthodoxae castris retinuit, non paucos ab erroribus re- » vocavit. »

II. Quibus annis vel nata vel mortua sit Anna, nusquam reperi; diu certe vixisse oportuit, si duos eius primos libros typis vulgavit, priusquam eos versu elegiaco latine Eucherius praelo dedit anno M.D.XXIX. Interim, pluribus fortasse eos

poscentibus aut ipsa inconsulta recudentibus, Ioannes van Ghelen, typographus Antverpiensis, petiit et obtinuit v. Februarii hoc anno M.D.LIII. Bruxellis privilegium Regiae Maiestatis, ut solus imprimere posset *librum, plenum pulchris et ingeniosis Referendis* (id est rhythmis teutonicis per singulas strophas ad unum eumdemque versiculum redeuntibus) *contra Lutheranos ab Anna Byns noviter compositis.* Ita summa privilegii, excusi post secundum librum secundae tertiaeve editionis; quando eidem praefixum legitur Pastoris Brechtani, supra laudati, ad pium lectorem carmen huiusmodi :

Quisquis amas fidei cognoscere dogmata sanae,
Exosus nostri temporis Haereticos,
Hunc lege, quem virgo tibi dat generosa libellum,
Dignum quem manibus nocte dieque teras.
Femineum nihil hic nugax e lumbo petulcum ;
Sed quae non pudeat composuisse viros.
Perlege lecturo numerosos pectore rhythmos.
Insidiae hic nullae, nulla venena latent.
Nil Venus in sancto sibi carmine vindicat ulla,
Nec tegitur scabies pernicis haereseos.
Provocat ad studium sed te pietatis avitae,
Sinceramque docent carmina munda fidem.
Hoc opus, Anna, tuum, casto veneranda pudore,
In rhythmis Sappho Lesbia teutonicis.

Eodem spectat brevius Fr. Sweertii epigramma :

Arte pares Lesbis Sappho et mea Bynsia, distant
Hoc solo : vitia haec dedocet, illa docet.

III. Ab eiusdem typographi praelo, nescio quota vice, prodiit, quam habeo, anno M.D.LXIII, editio tomi I, quae habet, sicut altera libri II, praefixum Registrum rhythmorum

circiter xxxi, quorum plerique decastichi identidem redeunt ad intercalarem unum versum : qui versus Rhetoricis nostris STOCKREGEL dicitur, id est totius Rhythmi norma seu regula.

IV. Dum contra haereticos sic decertat Bynsia, redit ex Germania in Belgium Imperator, totus de Religione Catholica servanda sollicitus, intelligitque parum efficacia fuisse sua contra haereses edicta; animadvertens ergo sola legum severitate parum profici, nisi ei iungatur suavior quaedam animorum magis quam corporum medela. « Animadversum enim a prudentioribus fuit, » inquit Arnoldus Havensius, Carthusianus, lib. i de erectione » novorum in Belgio Episcopatuum, cap. ii, pro tanta celeberrimorum oppidorum et pagorum frequentia, populorumque » multitudine desiderari Episcopos qui ea qua opus est cura et » diligentia, dormitantibus Pastoribus, et mirum in modum » luxuriantibus passim populis, tantam tamque copiosam plebem regere, Clerum reformare, populum Fidei Catholicae » doctrinam rectamque vivendi rationem edocere atque in delinquentes animadvertere possent. Quare de novis Episcopatibus » per Belgium erigendis cogitari tum primum coeptum est, » ut hac ratione Fides Catholica et animarum salus extra » periculum constitueretur; praecipue cum in istis tam vastis » et populosis Provinciis tantum quatuor vel quinque Episcopi » reperirentur, qui suos subditos nec visitare, nec docere, nec » corrigere commode poterant. Hunc ergo in finem deputati » a Caesare sunt praeclari aliquot viri (inter quos Cardinalis » Granvellanus et Praeses Nigri praecipui erant), qui dicto » negotio diligenter incumberent, ac Belgium in plures Dioeceses distribuerent, oppidaque ecclesiis Cathedralibus convenientia, et ipsis dotes sufficientes attribuerent, missis » eo fine scrutatoribus; sed clam Archiepiscopo Coloniensi, Cameracensi atque Leodiensi Episcopis, aliisque nonnullis : ipsis » etiam Statibus et Provincialibus insciis, ne quid turbaretur. »

Ita Havensius, suum istum primum librum praeponens duobus aliis de duobus Ruremondensibus Episcopis totidem primis, et res eorum eo tempore spectantibus, impressisque Coloniae, anno M.DC.IX.

A. C. M.D.LIV.

Praetor. — Dominus Ioannes van Immerseel.

Ammanus. — Dominns Godefridus Sterck.

Novus autem hic Ammanus videtur successisse *Wilhelmo Halmale*, qui vel anno praecedenti obiit, vel officio cessit, licet solum obiisse notetur anno M.D.LXXXIX, die IX Octobris.

Praetorum catalogus, qui anno M.D.L nominat nobis *Ioannem de Schoonhoven*, eumdem dicit obiisse XXIII Ianuarii anno M.D.XCVIII; et tamen hoc praetitulato anno succedere ei facit *Ioannem van Immerseel*, Toparcham de Baudrii; neque de tali successione dubitare nos sinit adscriptum huic anno distichon in fastis Secretariorum, de iuramento in vigilia natalis Dominici praestito, his verbis :

OP DEN KERSAVONT, ALS IDER WEL WEET,
DEED IMMERSEEL ALS MARCGRAEF T' ANTWERPEN DEN EET.

Hinc autem ferme etiam certum redditur, *Schoonhovium*, qui tam diu supervixit, non nisi ad maius aliquod officium in Aula promotum, Praeturam dimisisse; quod etiam praefatus *Immerselius* fecerit intra biennium trienniumve, ac plures deinde alii, quorum adeo brevis Magistratus notatur in libello absque anno mortis. Interim hic nominatum celebriorem reddidit iustitia, teste Caukerkio, exercita hoc anno contra mulierem Germanicam eximiae formae, in campo patibulario combustam : quae in

domo Decani B. Mariae, D. Rogerii de Tassis, die III Februarii, occiderat quemdam medicum ibi hospitatum, propter illatum sibi ab eo (ut querebatur) per vim stuprum, ea ipsa in domo, in quam eamdem dolose induxerat.

ARGUMENTUM.

I-II. Eleemosynarum ad S. Salvatoris erogandarum ratio. III. Puniti incentores superioris tumultus. IV. Census civium et opificum initus. V. Impedit Senatus ne Civitas Accisias elocet pro solvendis aut levandis debitis. VI. Renovatio Magistratus VI Maii.

ACTA.

I. Die XXIX Martii, subductis rationibus monasterii Petropotziani, quibus tunc adhuc cognoscendis Civitas intendebat, ipsa, per deputatos ad id Scabinos, causa eleemosynarum, ad quarum distributionem illud obligabatur, sequens signavit testimonium; unde nunc quoque possumus intelligere, quam grave onus monasterio fuerit a suo fundatore impositum, quamque largam oporteat concipere dotem, ipsi, ad id sustinendum, attributam. Tenor hic est :

« Omnibus hasce visuris vel audituris salutem. Consules, Sca-
» bini, et Senatus Antverpiensis, notum facimus, ac in veritate
» rei protestamur, Nos vere totaliterque esse informatos, quod
» tempore durationis praesentis huius belli contra Galliam, ad
» distributionem quae fit in monasterio S. Salvatoris, vulgo
» dicto Petri Pots, in hac Civitate, singulis hebdomadibus,
» diebus Mercurii, praeterpropter venerint circiter duo millia
» trecenti aut quadringenti pauperes; quibus omnibus et
» singulis pro more impendi solet unum pondo, seu libra panis,
» quod singulis septimanis accessit ad numerum praeterpropter
» octodecim, novemdecim aut viginti quartariorum siliginis :

» quo pauperum numero similiter comprehenduntur, et partem » suam habere debent insensati Civitatis, numero viginti; pueri » publice prostituti, numero quinquaginta; captivi circiter » viginti; Fratres Alexiani octodecim, ac tandem Sorores Nigrae » numero sedecim. Itidem, quod desuper praenominatum » monasterium, praeter quatuor asses, quos in usum captivorum » expendere solet, teneatur ad duos florenos domesticis » pauperibus huius Civitatis septimanatim conferendum : uti » constat in ultima computatione in eodem monasterio, duobus » Scabinis desumptis ex Senatu praesentibus, anno quinquage- » simo secundo facta, confirmata et clausa : quodque inventum » sit, impensas factas ad usum pauperum domesticorum » aliorumque aegrorum decumbentium, necnon captivorum, » pervenire ad summam viginti sex ponderum monetae » Brabanticae semel, sine eo quod idem monasterium ex » gratia, ad usum specialium pauperum personarum, distri- » buerat; idque proveniens ad summam duodecim ponderum » aureorum, cum duodecim solidis monetae Brabanticae. Insu- » per quod expresse reperiatur, tam per computos factos quam » aliunde, quod praenominatum monasterium Civitati debeat » quantitatem quingentorum quartariorum siliginis, occasione » siliginis, quam praefata Civitas in necessitate mutuo eidem » monasterio praestitit ac accommodavit; ita ut personae prae- » nominati monasterii, ad illas distributiones tenendas et » conservandas secundum declarationem computi facti, non » amplius habeant aut transcendant nisi quantitatem quadrin- » gentorum quartariorum cum medio siliginis, nec alias ipsis » provisum sit, nec provisionem alterius frumenti ad illam » sustentationem in granariis habeant; quod tamen ad tantam » tamque onerosam distributionem tenendam et conservan- » dam admodum foret necessarium : quae omnia sine fraude » aut dolo attestantes, sigillum praefatae Civitatis hisce litteris

» appendi iussimus, vigesima nona die Martii anno D. N. M.D.LIV
» post Pascha *(die* XXV *actum).* »

Erat subsignatum A. Grapheus : *et sigillatum sigillo Civitatis in cera viridi infra appendente.*

II. Huic testimonio insistens Sanderus, animadverti iubet, erogationem talem, computatis computandis operarum et utensilium impensis, annuatim ascendere ad summam mille quadraginta quartariorum solius secalis, sive (ut hic vulgari abusu scribitur) siliginis; unde conficitur, quod taxando quartalia singula florenis quatuor (id quod nunc sex vel octo valeret), exhauriri ea largitione soluerint quinque millia florenorum et ultra. Deinde nominat idem auctor terras et fundos, unde tantus reditus proveniebat, in testamento expressos ad numerum mensurarum CCCC.XLVI optimae terrae, per privilegia Caroli V et Philippi II, ad manum (ut loquimur) mortuam devolutae; sed nunc fere ad Statuum foederatorum potestatem redactae, et eorum fisco addictae; unde contigerit, ut, mutato rerum statu, distributiones illae hebdomadariae annihilatae et sublatae fuerint, donec aspiret Deus, et inclinentur haereseon ac rebellionum umbrae.

III. « Die II Aprilis post Pascha, celebratum XXV Martii, die
» Lunae, supplicio capitali fuerunt in Foro affecti quatuor illi,
» quibus superioris anni tumultus imputabatur, et alii tres
» virgis caesi coram Procuratore Generali, ad hoc Bruxellis
» misso, atque Adriano Primier, Apparitore aulico, qui Lictori
» Magistro Gisleno gladium porrexit : trium autem flagellato-
» rum uni ferro candenti transfixa etiam lingua fuit, propter
» voces seditiosas in vulgo iactatas. Haec dum fierent, rursus
» a seditione nova parum res abfuit : cum enim lancearii
» equites pegma ferale circumsisterent, unusque eorum civem
» quemdam nimis prementem percussisset, suam id iniuriam
» rati omnes, sic commoveri coeperunt, ut lancearii, proditos

» se rati, inclinatis lanceis defensionem parare inciperent.
» Verum composita mox omnia sunt, cum ex Curia per
» fenestras maioris aulae praesentes spectarent Cancellarius
» Brabantiae, D. van Wilder, et Consul uterque » praetitulatus, nominatusque in Rotulo Snyderi, unde haec transcripta sunt, correcta dumtaxat diei nota, quae male signabatur I Aprilis cum die Lunae : talis enim concursus requisivisset Pascha die VII; quod neque quinquaginta annis ante hunc, neque viginti post contigit.

IV. Gramayus, pag. 96, volens ex numero mechanicorum frequentiam populi Antverpiensis cognoscendam dare, quantumque ea brevi tempore creverit, assumit comparandos inter se annos, hunc M.D.LIV., et M.CCC.XCVII; atque ex mechanicorum istis annis censu : « Erant, inquit, Magistrorum (eorum scilicet
» qui rude donati de triplo superantur a ministris et secundae
» notae operariis) Pistores, qui priori anno fuerant XV dumtaxat,
» C.LXV; Laniones LXXII, qui antea solum octo; Piscarii uni-
» versim CIII, qui antea XL erant cum Piscatoribus; Barbiton-
» sores et Chirurgi XC, *sed quanto numero antea, non notat*
» *index;* Sartores erant numero ante XV tantum, nunc fere
» DC; Aurifabri et similes C.XXIV, qui soli tres erant; Pictores
» Sculptoresque treceuti, cum antea solum quinque essent;
» cerevisiae coctores fere ducenti, qui antea VI; e diverso
» autem, Textorum, quorum antea fere duceuti, postea exiguus
» fuit numerus *(dum scilicet opificium istud iam fere in pagis*
» *et municipiis exercetur);* manet tamen veteris status monu-
» mentum, et quotannis a Senatu creantur duo Decani, cum
» totidem Aestimatoribus et Scabinis, ad tribunal Curiae,
» DE LAKENHAL dictae, excutientes cognoscentesque quidquid
» Lanificium spectat. » Isti autem omnes Praefecti, olim fere Merciarii, nunc ex Nobilitate virisque Senatoriis assumuntur, et praecipui duo nominantur per Principem: ex qua officii istius

dignitate, et, quod consequens est, utilitate, intelligitur, infinitam fere esse quantitatem et copiam laneae lineaeque texturae, a foris in Civitatem solitae comportari; quando ne nunc quidem, commerciis usque adeo imminutis, desinit munus istud a civibus honoratioribus appeti, nec fere nisi Scabinatu defungentibus conferri.

V. « Porro cum Civitas sentiret debitis se gravatam, commodum ad ea sublevanda censuit accisias elocare; idque » ut fieret, consenserat Caesar : sed contra hoc mandatum » dupliciter rescriptum a Senatu est, apud Procuratorem » Generalem instando pro talis consensus cassatione : quae » rescripta cum vellet Senatus per Vicomagistros publicari, » et hi e contrario rescriberent, mandavit Caesar, ut publicatio » fieret more consueto; et deinde imperavit Vicomagistris, » ut eadem in suis quique vicis promulgarent. » Ita ex II vol. fol. 168 v.° usque ad 173 v.°, Edelherius; ex qua prolixitate intelligas, magni moliminis et discussionis negotium hoc fuisse, nec parvae consequentiae, dum Communitas, Senatu inconsulto, praesumebat in causa communi Caesarem appellare.

De mense ac diebus quibus haec acta sint, nihil indicant Gramayus et Edelherius; unde nec definire possum quod eorum praecesserit aut secutum sit renovationem Magistratus, quam hic subiicio.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII VI *Maii, tunc Dominica post Ascensionem, Paschate celebrato* XXV *Martii.* — Dom. Princeps Auriacus. — Dom. Cancellarius. — Dom. Thesaurarius.

CONSULES. — Dom. Henricus van Berchem III. — VI. Dom. Didericus vande Werve III.

SCABINI. — Dom. Nicolaus vander Meeren. — Dom. Ioannes

Happaert. — Dom. Alvarus d'Almaras. — Dom. Costinus van Halmale. — M. Nicolaus de Schermere. — Ioannes vander Heyden. — M. Iacobus Houtappel. — M. Nicolaus Rockox. — Gislenus Asseliers. — Ioannes Wolfaert. — Ioannes van Halen. — Conradus del Valle. — Simon l'Hermite. — Melchior van Groenenberge.

A. C. M.D.LV.

—

COMMISSARII XVI *Maii Feria* IV *post* IV *Dominicam a Paschate, acto* XIV *Aprilis.* — Dom. Princeps Auriacus. — Dom. Cancellarius.

CONSULES. — Dom. Antonius van Straelen. — III. Mag. Nicolaus Rockox.

SCABINI. — Dom. Costinus van Halmale. — M. Nicolaus de Schermere. — Wilhelmus de Vos. — Gislenus Asseliers. — Martinus van Ranst. — Iacobus vander Heyden. — Ioannes van Halen. — Conradus del Valle. — Simon l'Hermite. — Melchior van Groenenberge. — M. Ioannes de Ionge. — M. Reynerus van Ursele, f. Lancelotti. — M. Melchior Schets, *Thesaurarius.* — D. Ioannes van Schoonhove, *suff.* Mag. Ferdinandus Bernoytte. — Mag. Ioannes vander Heyden.

ARGUMENTUM.

I. Caesar Carolus civiles vigilias ordinat. Idem nostris et Magdeburgensibus expeditum per Albim commercium facit. Belgium et regna sua omnia transfert in filium Philippum. II. Novae ad Croneburgicam portam braxatoriae duae. Privilegia data duabus sodalitatibus Rhetoricorum. III. Floret

etiam S. Lucae seu Violarum Gulda, cuius praecipua quaedam festa per aliquot annos describuntur.

ACTA.

I. Die xvii Maii, constituendae Civitatis politiae recteque ordinandae intentus Imperator, signavit amplissimum diploma circa diurnas nocturnasque portarum atque murorum custodias, relatum in primo volumine Privil. fol 255 ad 262, ut scribit Pensionarius Nys; Edelherius autem addit ipsum fuisse publicatum die xviii eiusdem mensis : deinde ex ii vol. fol. 174, indicat, germanice scriptum die xx Augusti mandatum poenale, ad instantiam mercatorum Antverpiensium et Magdeburgensium, in Ducem et civitatem Lunenburgensem, ne eorum inter se commercium et navigationem per Albim impediant.

Die xxvi Octobris, *Carolus V*, Imperator, accersito ex Anglia PHILIPPO filio (qui ibi filiam legitimam Henrici VIII, et ex patris testamenti, post obitum Eduardi filii, heredem proximam, MARIAM, agnitamque trium regnorum Reginam, uxorem acceperat) in ipsum transtulit omnium regnorum suorum ac principatuum ius, iis cum caeremoniis, quas Famianus Strada noster aliique pluribus describunt.

II. « Die xv Novembris, ex consensu Magistratus et privilegio
» regio, constitutum est, ut ad portam Croneburgicam, in loco
» quem ibi Civitas vacuum habebat, erigerentur duae novae
» braxatoriae, item aliae duae istic ubi fuerant horti Sagitta-
» riorum; eo quod pluribus, longius a nova Civitate habitan-
» tibus, perquam incommodum esset huc accedere, variaque
» pericula et infortunia inde nascitura praeviderentur. Eodem
» anno, Societates Chrysanthae et Olivae obtinuerunt privile-
» gium associandi sibi septuaginta quinque socios, a Guldarum
» aliarum obligationibus immunes : contra quod privilegium
» cum hae multum niterentur, confirmatum ipsum ex parte

» Regis est, scriptumque Praetori, Ammano, Consulibus,
» Scabinis et Consilio Civitatis Antverpiensis, ut praedictos
» LXXV viros tuerentur in suae immunitatis libertate. »

III. Hac occasione indicat Caukerkius, eodem tempore valde floruisse *Guldam S. Lucae*, alias dictam *Violarum*, idque ab annis multis. Etenim, inquit « anno M.CCCC.LXXX invitati sunt » Confratres Furnas in Flandriam, ad *Iocale patriae* istic » erectum; eoque profecti cum Principe suo Ioanne van » Buysenaer, Equite, primum ibi praemium retulerunt, cum » nomine *Violarum* atque symbolo WT JONSTE VERGAERT, id » est *Ex benigno affectu congregati.*

» Anno M.CCCC.LXXXVI, in triumphis Caesaris Frederici, eius- » que filii Maximiliani, Romanorum Regis, et ex hoc nati » Philippi, Ducis nostri ac postea Principis Hispaniarum, » varia dramata exhibuerunt : et anno M.CCCC.XC, evocati » Bruxellas, primam inde palmam retulerunt : Lyrae autem » sequenti anno primam speciosioris ingressus.

» Anno M.CCCC.XCIII, profecti nostri sunt Mechliniam, quo » omnes vulgo dictorum Rhetoricorum Cameras (sic enim » in genere omnes vocantur ad poeseos teutonicae exercitium » sub titulo qualicumque associati), omnes, inquam, Rhetori- » corum Cameras, toto Belgio legitime erectas, convenire » Dux Philippus iusserat; comparueruntque nostri cum egre- » gio curru, Antverpiam Civitatem vehente in habitu puellari; » indeque Bruxellas declinaverunt, meruerunique primas titulo » apparatioris ingressus, et comoediae lepidioris, atque per- » sonarum concinnius excogitatarum.

» Anno M.CCCC.XCIV, venientibus Antverpiam Maximiliano et » Philippo praefatis, exhibuerunt in Foro Venerem, Palladem, » Iunonemque; et eodem anno, in festo S. Lucae, ingrediente » Civitatem Maximiliani uxore, drama rhythmicum dederunt, » cum equestri decursione XL galeatorum.

» Anno M.CCCC.XCV, obtinuerunt a Romano Pontifice institu-
» tionem Confraternitatis septem dolorum B. Virginis, eiusque
» primum festum sequenti anno celebraverunt in Capella
» S. Lucae, et eodem Antverpiae convocarunt *monile patriae,*
» EEN LANTIUWEEL, » sic dictum, quia, sicut in monili pretiosiores multae gemmae coadunantur, ita in tali concursu conveniunt praestantiora quaeque patriae totius ingenia, et quasi monile constituunt; sive (ut vulgo loquuntur) *Iocale,* teutonice *Iouweel.* « Deinde tendentes Teneramundam, rursus meruerunt laudem melioris ingressus; cumque dissidium circa praecedentiam natum esset, re diu lenteque discussa, tandem anno M.D.X causam Violae obtinuerunt, tamquam omnium vetustiores.

» Anno M.D.XV, egressi Violarii Mechliniam in Comitatu
» octo Equitum Auratorum, pluriumque virorum Senatoriorum,
» et cum Camerarum Rhetoricarum Principibus, primi iudicati sunt suo ingressu fuisse: cum autem excipiendus esset Carolus Princeps, ut Dominus provinciarum Belgicarum, praeparandis sumptuose ignibus excelluerunt: et anno M.D.XIX, eidem iam electo Imperatori statuam erexerunt, quae pluris quam LXXVII libris Flandricis eis stetit.

» Anno M.D.XXV, maiorem arborem plantaverunt, quam pulchra numquam antea visa fuerat.

» Anno M.D.XXIX, tota ipsorum Gulda profecta est Lovanium, unde reportarunt duo prima praemia unumque post-praemium.

» Anno M.D.XXX, ituri Gandavum currum unum impleverunt ingeniosissimis figuris, merueruntque, praeter primum praemium, alia insuper plura.

» Anno M.D.XLV, ingrediente Civitatem Carolo Imperatore, sumptu suo instruxerunt artificiosum ignem, vehementer laudatum; ac sequenti anno in Iocali patriae, tunc rursus

» erecto, lucrati sunt supremam laurum; » et anno M.D.LV, ad ingressum Philippi Regis, ante Curiam varia ediderunt spectacula; quibus coronidem imposuit drama in monasterio S. Michaelis, ordinario Principum hospitio, exibitum.

A. C. M.D.LVI.

ARGUMENTUM.

I. Comitia Velleris aurei Antverpiae. II. Equites creati : tres grandes fenestrae in abside Chori a Rege collocatae. III-V. Oblatae S. Ignatii supplices litterae, pro recipienda in Belgio Societate Iesu.

ACTA PRIORA.

I. Cum Rex PHILIPPUS XVIII Ianuarii, causa Comitiorum Velleris aurei, Antverpiam advocatorum, huc advectus, iterum festivissime reciperetur, et variae Nationes hinc inde per viam statuissent triumphales machinas; suamque Genuenses ad Trivium erexissent, contigit eius partem ruere una cum tympanistis ac tubicinibus ibidem canentibus; idque vi pyrobolorum aliquot ferreorum, igne graeco fartorum, eoque casu periere homines septem. Unus quoque ex Ministris regiis, Nosocomium maius equo transiens, crus dextrum amisit, equo interfecto. Ordinem praedictae festivitatis in sua vernacula Chronica sic describit Marcus Warnevicius.

« Die XXI Ianuarii, post meridiem, primum suum ad ecclesiam
» processum fecit Rex cum Clero, a S. Michaelis ad S. Mariae,
» Equitibus Velleris aurei indutis veste rubra, et toga talari
» ex holoserico villoso coloris coccinei, eiusdemque materiae
» et coloris capuciis rotatis; ipsae vero togae suffartae erant

» pelliculis candidis, quibus villi nigri eleganter inspergebantur; itaque interfuere solemnibus Vesperis. Simili ordine iidem postridie interfuerunt Sacrificio Missae, sub quo novis Equitibus collata sunt insignia Velleris aurei, ritu consueto. Cum his dum procedunt illi, Rex armorum, Latini Fecialem appellant, Franci *Roy d'armes*, spargebat utrimque aureos argenteosque nummos, ab ecclesia usque ad officinam Monetariam; per quam etiam viam, usque ad Abbatiam S. Michaelis, tensus utrimque erat ordo porticuum, plebem copiose accurrentem arcens a Dominis, inter ipsas ordinate equitantibus.

» Eodem die et eodem comitatu, iterum Rex processit ad ecclesiam, omnes atrato panno caputiisque induti ad Vigilias; et sic etiam, die xxiii, processerunt ad sacrum defunctorum. Sub hoc oblaturi cum cereo, nominatim citabantur ab Heraldo qui aderant; pro iis autem qui non comparebant, offerebat Heraldus, extinctoque cereo, clamabat, *Defunctus est*. Erant autem defuncti, ab ultima, quam Carolus Imperator instituerat, ordinatione, omnino novemdecim. Res erat profecto spectatu dignissima. Primo enim die sacris operatus est Episcopus Ultraiectinus, sequenti suffraganeus Cameracensis, tertio Episcopus Tornacensis.

II. » Postero die, denuo ventum est in ecclesiam ab iisdem Equitibus, amictis candido serico plano (sattinum vocant) absque rotatis caputiis, pro quibus gestabant galeros rubros; auditisque Vesperis digredientes, postridie iterum convenerunt ad sacrum de Spiritu sancto; sub quo novi Equites septemdecim vellere aureo donati fuerunt : itaque finita solemnitas est. Utraque Basilicae Marianae ala, in crucem procurrens, ornabatur aureis sericisque peristromatis, referentibus Caroli Caesaris pugnas ad Tunetum; per navem autem anteriorem ecclesiae pendebant tapetia vetustioris

» operis, sed pretiosissimi, institutionem et historiam ipsius » Ordinis exprimentia. Chorus vero a summo usque deorsum » vestitus erat holoserico villoso rubro et aureo panno.

» Postea Rex complures Equites creavit, et die III Martii » discessit Bruxellas, indeque die XIV in Angliam ad coniugem » suam Mariam, Reginam. »

Superest, vel superesse creditur, solemnissimi istius actus insigne monumentum in choro Mariano, supra Canonicorum sedilia, videlicet, Equitum omnium, tunc nominatorum, tam mortuorum quam viventium insignia, cum suis cuiusque titulis gallica lingua, charactere teutonico, sicut eos recitat Baro Le Roy, pag. 30 et seqq. ubi ad finem latine additur, *anno* M.D.LV *die* XXV *Ianuarii*, *stylo videlicet Cameracensi*, quem adhuc servabat Curia, cum alias notandus fuisset annus M.D.LVI. Dixi *superest vel superesse creditur*, quia cum, anno M.D.LXXX, et parietes et sedilia chorum ambientia sublata fuerint ab iis qui nullum Catholicae Religionis vestigium volebant relinqui, dubito vehementer an ista aurei Velleris monumenta fuerint sic conservata, ut, reducto Catholico ritu renovatisque sedilibus, reposita sint omnino individualiter eadem.

Ibidem sub tribus primis fenestris, in capite pulcherrimae absidis egregia arte pictis, legitur hic titulus : *D. O. M. Anno* M.D.LV (ut ante) *Philippus, Hispaniae, Angliae et Franciae Rex etc. Dux Burgundiae, Brabantiae etc., primis sui ordinis Comitiis hac in aede celebratis, tres has fenestras Christo servatori dicatas, fieri iussit.*

III. Porro, dum longiorem moram Antverpiae Philippus trahit, in S. Michaelis Abbatia excepit, mense Martio, *Petrum Ribadeneiram* nostrum, adferentem a Societatis Iesu fundatore *Ignatio* litteras, quibus suppliciter rogabatur eidem Societati concedere stabilem in Belgio suo sedem. Litterarum (quas, quoniam Antverpiae sunt traditae, non incongruum censeo hic

proponere) talis erat tenor, ex hispanico in Imagine primi seculi, pag. 737, latine redditus.

« Gratia et amor D. N. Iesu Christi coelestibus suis donis » Maiestatem tuam cumulare dignetur. Posteaquam intelleximus » Caesaream Maiestatem sese abdicasse regnis ac ditionibus » Inferioris Germaniae, inque Regiam Maiestatem tuam transtu- » lisse; magnam in Christo Domino voluptatem percepimus, tum » propter exemplum singulare eo facto exhibitum a Maiestate » Caesarea, tum quia confidimus, cum divini obsequii incremento » ditiones illas a Maiestate tua gubernatum iri : quod ut eveniat, » humillimis a Deo precibus ac sacrificiis postulare non cessamus. » Quoniam tamen non una hac re, sed quibuscumque pro nostra » tenuitate possumus modis, Maiestati tuae obsequium, uti par » est, praestare cupimus, persuasumque habemus ex divino » et Maiestatis tuae obsequio fore, si qui eiusdem gentis ac » sermonis, in hac minima Societate nostra, datam sibi a Deo » gratiam impenderent Provinciis Germaniae Inferioris, quae, » ob viciniam et commercium cum Superiori, magis obnoxiae » sunt accipiendo damno, in Dei Domini nostri ac Maiestatis » tuae iniuriam. Idcirco visum mihi in Domino, mittere » Magistrum Ribadeneiram hasce traditurum Maiestati tuae, » et causas explicaturum, quae nos in eam sententiam induxe- » runt; ut, postquam Maiestas tua iudicaverit id esse ex Dei » Domini nostri obsequio et suo, dignetur hanc minimam » Societatem in tutelam recipere pro illis Provinciis, quem- » admodum alibi suscipere dignata est, et Collegiorum istic » exstruendorum facultatem dare; ut, sicut aliis in regnis ac » ditionibus Maiestatis tuae navat pro viribus operam, Deo » secundante, in salutem animarum, ita in istis Provinciis, » quae magis indigent, obsequium Maiestati tuae debitum » praestare possit, ad Dei creatoris et Domini nostri gloriam, » et emolumentum eorum, quos Maiestati tuae regendos dedit,

» uti plenius intelliget tua Maiestas ex ipsomet Ribadeneira, » cui eamdem quam mihi fidem habere dignabitur. Finio, » Deum Dominum nostrum precatus, ut gratiam nobis uberem » conferat, quo percipere possimus et implere sanctissimam » eius voluntatem. Romae, XXIII Octobris M.D.LV. »

IV. His litteris traditis, cum, dicere iussus, Ribadeneira commissam sibi causam dilucide nervoseque edisseruisset, benigne auditus, summam, ut mos est, supplicationis exhibuit scripto sic conceptam : « Regi cum omni humilitate remonstrant » homines Societatis Iesu, quomodo dicta Societas sua instituta » sit et confirmata per Paulum Papam huius nominis Tertium, » ac postea approbata per Papam Iulium etiam Tertium, cum » professione curandi non solum propriam salutem suam, sed » etiam aliorum omnium, sive Christianorum sive Paganorum » aut Haereticorum, eosque attrahendi ac reducendi (quantum » in ipsis erit) ad Christianam Religionem. Proinde desiderant » remonstrantes isti, professioni suae facere satis, et finem » sibi praestitutum consequi, nullum recusantes laborem, » molestiam vel aerumnam, etiam inter longinquas nationes » et barbaras, ubi se credunt augere posse Christianam Reli- » gionem. Ita eorum Societas, Dei gratia adiuvante, multiplicata » est, non solum per Hispaniam, Lusitaniam, Siciliam, Italiam, » Franciam et Alemanniam; sed etiam usque in Indias aliasque » eiusmodi longe dissitas, nunc atque antea ignotas regiones, » praedicando verbum Dei magno cum profectu. Considerantes, » quod, mediante suae Societatis labore, dicta Christiana Religio » plurimum aucta sit, quantumque bonum proveniat populis, » inter quos sua ipsa exercet ministeria; quodque in eadem » sua Societate multi sint viri docti et pii, multi etiam iuvenes » ingeniosi et magnae spei in cismontanis regionibus, ubi » nulla adhuc fixa sedes est, aut locus securus ad exercendum » ministerium suum, prout alibi faciunt. Et cupientes Maiestati

» tuae etiam hic humiliter servire, atque subditorum eius
» salutem procurare, secundum mensuram gratiae divinitus
» sibi datae, supplicant, ut dignetur Maiestas tua admittere
» Societatem suam, et eos qui ipsam desiderabunt inire, per
» omnes eius cismontanas regiones, approbando, ratificando
» et confirmando institutum et professionem eorum; atque
» etiam indulgendo ut frui possint et uti omnibus gratiis,
» privilegiis et indultis, Societati ipsorum a S. Sede Apostolica
» concessis, excepto quod non poterunt praedicare, absque
» obtenta praevie licentia Episcoporum, Pastorum aliorumque
» Ordinariorum; ita tamen, ut per hoc non subiiciantur
» correctioni et iurisdictioni dictorum Episcoporum, Pastorum
» et Ordinariorum, quatenus reservantur S. Sedi Apostolicae,
» quamdiu sese honeste gerent et absque scandalo, viventque
» iuxta institutum et professionem suam praedictam; casu
» autem quo aliter conversantes ab hac deflectant (quod Deus
» avertat), vitam suam moresque et doctrinam depravantes,
» Maiestas tua et successores sui eos possint subiicere dictorum
» Episcoporum et aliorum Ordinariorum iurisdictioni.

V. » Quia autem ad hoc, ut finem sibi propositum attingant
» formandi et instruendi corda simplicis populi, imprimis eo
» opus est sapientiae lumine atque erectione Collegiorum,
» annuis reditibus instructorum (sine quibus studiorum ordo
» commode teneri non potest), ubi educantur et sustententur ii,
» quos Deo placuerit ad ipsorum Societatem vocare, necdum
» satis eruditos in iis scientiis, quibus possint animarum saluti
» et populorum utilitati vacare, supplicant, ut Maiestati tuae
» placeat indulgere ipsis facultatem construendi eiusmodi Col-
» legia, eaque stabiliendi reditibus, atque hos ipsos et alia
» bona, quae civitates ac Principes aliaeque devotae personae
» eo conferre voluerint, transferre ad ius manus mortuae, ut
» sint omnia eiusdem conditionis atque naturae cum bonis

» Ecclesiae et Religionis; iure Maiestatis tuae per omnia salvo;
» et quod praedicti remonstrantes debebunt obtinere a Scabi-
» nis, Rectoribus seu Gubernatoribus urbium, ubi talia Col-
» legia valent erigere, consensum ad similia bona amortizanda,
» si quidem hoc necessarium sit; sin minus, sufficiat eis licentia
» et permissio tuae Maiestatis, ut ex nunc talia bona cen-
» seantur amortizata. Quod faciendo etc. »

Eadem benignitate, qua dicentem Rex audierat, omnia sibi probe intellecta dixit; et responsum in tempore dandum pollicitus, libellum quoque oblatum accepit, expendendumque tradidit Viglio Zuichemio, Consilii Sanctioris Praesidi; qui non valde favens Societati, varie moratus exitum causae est. Interim appetebat tempus renovandi Antverpiae Senatus; quare deputati illuc a Rege sunt :

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Commissarii *iidem* xxvii *Aprilis, Feria* vi *ante Dominicam* v *post Pascha, actum* xxv *Martii.*

Consules. — Dom. Antonius van Stralen. — iii. Dom. Nicolaus Rockox II.

Scabini *nunc primum* xviii. — Dom. Alvarus Almaras. — Dom. Costinus van Halmale. — Dom. Ioannes Wolsaert. — Dom. Ioannes vande Werve. — Dom. Ioannes van Schoonhoven. — M. Nicolaus de Schermere. — M. Iacobus Houtappel. — Wilhelmus de Vos. — Martinus van Ranst. — Henricus van Etten, fr. Henrici. — Cornelius van Halmale. — Reynerus van Ursele, fr. Lanc. — Ioannes vander Heyden. — Cornelius Schoyte. — Gerardus Despommereaux. — Henricus van Achelen, *pro quo* Simon l'Hermite *suffectus.* — Gislenus Le Cigny, alias Bovines.

ARGUMENTUM.

I. Signatur a Rege Societatis Iesu admissio, II-III. Refutatis a Ribadeneira obiectionibus Praesidis Viglii. IV. Moritur Romae S. Ignatius. V. Eius Antverpiae olim hospitio usi, nunc tutelaris, elogium sepulcrale. VI. Discedit e Belgio Carolus, relinquens filio commendatum serio negotium novorum Episcopatuum. Philippus pro novis Episcopatibus satagit, Belgii regimen committit Duci Sabaudiae, Provinciarum Praefecturas in Proceres dividit. VII. Moritur Gillebertus Schoonbekanus. VIII. Numerus Scabinorum iterum ad XVIII auctus. IX. Prodit duabus mappis ab Oriente et ab Occidente Civitas.

ACTA POSTERIORA.

I. Quia litterae s. ignatii ad Regem ei fuerant oblatae, adhuc in Abbatia S. Michaelis manenti, invaluit apud aliquos eorum opinio, quod ibidem signatus fuerit desideratus consensus, in stabilitionem Societatis per Belgium : quod ut acceperam, ita affirmavi in Corollario II Norbertino, num. 90; hic autem corrigo ex Regia (ut vocant) Apostilla, supplicationi ad marginem sic adscripta :

« Maiestas sua consentit et permittit, ut supplicantes possint in citimis hisce Provinciis residere, atque in iis vivere » secundum institutum et professionem suam; ita tamen, ut » non possint se ingerere exercitio alicuius functionis pertinentis ad officium Pastorale, absque conscientia et consensu, » tam Curatorum ipsis in locis, quam Episcoporum aliorumque Ordinariorum, ad quorum iurisdictionem illa spectabunt. » Quod attinet immobilia bona et reditus, quos acquirent » pro fundandis dotandisque Collegiis suis dicti supplicantes, » praevie curabunt obtinere consensum eorum quos attinet » talibus intendere, secundum statuta privilegiaque locorum, » ubi bona ipsa sita erunt, acta sua legaliter probando. Iis » autem qui suae Maiestatis finantiis intendunt, demandabitur, » ut supplicantibus faciant expediri tales litteras, quales

» secundum naturam et conditionem ipsorum bonorum iudi-
» cabuntur convenire. Actum Bruxellis, sub nostro nomine,
» xv Augusti M.D.LVI. »

Ad fidem VV[t]. *subscriptum* PHILIPPUS.

II. Praecitata primi seculi Imago, post recitatas S. Ignatii litteras, summatimque relatam Ribadeneirae orationem, « Nemo,
» inquit, ex regni Proceribus perinde causam suscepit ac
» Gomezius de Figueroa, tum Comes, deinde Dux Feriae;
» Regi a puero percarus, qui omnes conficiendo negotio vias
» rimatus, non labori, non gratiae, non industriae parcebat,
» tamquam rem suam ageret. Maria quoque, Caroli Impera-
» toris filia, quae opportune ex Bohemia in Belgium venerat,
» patri secessum Hispaniensem meditanti valedictura, causam
» Societatis apud germanum suum egit, sane perquam stu-
» diose. Contra tendebant de Clero et Religiosis Ordinibus
» nonnulli, sive sinistra opinione imbuti, sive accessu Iesui-
» tarum detractum iri suis commodis veriti : sed ante omnes
» haeretici, quorum maxime intererat, emptis pecunia mul-
» torum in Socios odiis disseminatisque calumniis, quibus
» valebant artibus fraudibusque furtim et per cuniculos obsis-
» tebant. Verum nihil aeque ac Viglii Praesidis, quamquam
» a Venerabili Blosio, Laetiensi Abbate, viro sancto, ut faveret
» multum rogati, remorabatur auctoritas, existimantis iura
» Episcoporum laedi privilegiis Societatis, subsidia Mendi-
» cantibus defutura, aversis ad ipsam eleemosynis, aliaque
» huiusmodi.

III. » Sed ea liquido refellebat Ribadeneira. Nam quî posse
» Episcopos moleste ferre, si Societas potestate utatur sibi a
» Christi Vicario sponte data, a quo et ipsi acceperint suam?
» Sed neque Socios adhuc usos privilegiis, neque porro usuros
» cum Pastorum offensione, quibus non aemuli veniant, sed
» adiutores et administri; ultro expetendi, in tanta praesertim

» custodum penuria, et quorumdam etiam haeresi infectorum
» perfidia, tam multis undique lupis desertum ac proditum
» Christi gregem laniantibus.... Qui vero timerent subsidia
» Mendicantibus defutura, non bene eos de providentia Nu-
» minis, cui et passeres curae sunt, de Principum Austriaco-
» rum pietate, de benevolentia Belgicorum Magistratuum ac
» civium arbitrari, et inexploratam prorsus habere vitae Iesui-
» ticae rationem. Haec cum doceret Ribadeneira, neque refel-
» lendis, quae ex Hispania adferebantur, calumniosis litteris
» tempus in Aula terendum censeret Ignatius, sed habendis
» per vicinas civitates concionibus fructuosis, vitaeque omnium
» oculis expositae integritate refellendas, Lovanium cum Sociis
» se contulit, ubi latine ipse, Socii belgice galliceque sermo-
» cinando ea agebant, quae in tanta vicinia Regem latere non
» poterant, et faustis identidem nuntiis ferebantur ad Aulam.

IV. « Sic transacto Paschali tempore, post Pentecosten, VI
» Iunii actam, eamque secuta festa, Romam properabat Ribade-
» neira, Ignatio nuntiaturus quae gesta hic erant, et quo in statu
» res esset. Hic vero, priusquam is Romam adveniret, discessit
» in coelum pridie Kalendas Augusti, non modo spectator, sed
» etiam actor futurus primarius eius negotii, quod vivens tam
» sollicite curaverat. Nam vix tertio post mortem eius die, Rex,
» nulla nova causa Societatem admisit, haud dubio Ignatii de
» coelo patrocinantis instinctu. »

Ita auctor Imaginis praecitatae ait; hoc ultimum libenter credo, licet litteras nonnisi diebus XV post S. obitum signatas inveniam. Hanc enim signaturam, Bruxellis factam in Senatu Regis, praecessit alia facta Gandavi ipsius Regis propria manu, sed Bruxellis suum complementum acceptura a Cancellario, fidem Regiae subscriptionis faciente, *Parafe*, addito nomine eius, cui id committebatur, per eiusdem nominis litteram initialem cum V.', id est *Vidit*.

Ad diem S. Ignatii ultimum quod attinet, idem mensem Iulium clausit et consecravit, Ecclesiae quidem universae honorabilis, huic vero nostrae Civitati eo etiam titulo recolendus, quod Sanctum ipsum aliquoties meruit habere hospitem et alumnum (ut dictum supra); quem etiam mortuum, Beatisque et Sanctis rite adscriptum, prima omnium marmoreo templo honoravit; templum vero successive ornavit urna, altari, sacello marmoreis; item elogio sepulcrali, quod hic visum est transcribere, ex Imagine praecitata, sub annum M.DC.XL hic quoque composita impressaque. Tenor hic est :

V. « Cuius animus vastissimo coerceri non potuit unius » orbis ambitu, eius corpus humili hoc angustoque tumulo » continetur. Qui magnum aut Pompeium, aut Caesarem, aut » Alexandrum cogitas, aperi oculos veritati; maiorem his » omnibus leges IGNATIUM. Non coerceri maximo, contineri » tamen a minimo, divinum est. IGNATIO, virtute maximo, » submissione minimo, totius orbis locus angustus, unius » urbis loculus augustus est. Hinc animum gerens mundo » maiorem, plus ultra unius orbis et aevi terminos saepe » quaesivit, quo opera suae pietatis extenderet ; inde de » se cogitationem habens minimo minorem, minus citra » communis sepulcri latebras semper optavit, quo inhumati » corporis pondus abiiceret. Coelum animo, Roma corpori » illi ad maiorem Dei gloriam summa speranti, aliquid summo » magis attribuit; huic, ad maiorem sui abiectionem ima » spectanti, modum posuit mediumque virtutis. Anno M.CD.XCI, » in arce Loiolaea, loco apud Cantabros illustri, mortalium » plane bono, et iuvandis hominibus vere natus, suae » primum gloriae cupidus, in aula et campo Catholici Regis, » naturae dedit, quod dein, divinae tantum gloriae studiosus, » sanctioribus in castris, saluti et gratiae consecraret. Cum hos- » tes adversus innumeros unus prope Pompeiopolim tueretur,

» idem, Sauli instar et Pauli, vi, non virtute victus, ita » cecidit, ut optandus fuisse casus, non fugiendus, etiam » IGNATIO, videretur : arcem perdidit, servavit Ecclesiam. Ex » eo non iam suus, sed eius qui stantem tormento perculit, » ut prodigio fulciret abiectum, sacramentum quod mundo » dixerat, Christo dedit. Per militiae sanctioris asperrima » rudimenta, per insidias Daemonum, per oppugnationes » hominum, per coniurata in unum omnia, factus Dux e » milite, ex tirone Veteranus, Iesu nomine, non suo, legionem » in Ecclesia Dei fortissimam conscripsit; quae, vitam pro » divini cultus incremento paciscens, in Romani Pontificis » verba iuraret. Hic ille est, in quo ostendit Deus, quantum » ei curae sit Ecclesiae securitas, in quo miserantis Dei » bonitatem atque potentiam Ecclesia Catholica veneratur : » quem prostratum tamquam Paulum erexit Deus, ut nomen » suum coram gentibus populisque portaret : quem praeelegit » Dominus, ut eorum Dux foret, qui sui in terris Vicarii » auctoritatem defenderent, et rebelles haereticos ad unitatem » fidei revocarent : quem suo IESU commendavit Pater aeternus, » cui ipse IESUS se propitium fore promisit; quem Spiritus » Sanctus omnium virtutum genere decoravit; quem praesens » toties et propitia Virgo Mater dilexit ut filium, erudiit ut » alumnum, defendit ut clientem: qui Dei amans, non coeli; » osor mundi, non hominum; paratus pro his excludi gloria, » pro illo damnari poena; mortalis apud homines vitae non » prodigus, sed contemptor; vitalis apud inferos mortis non » metuens, sed securus, profuit vivus mortuis, quos revocavit » ad vitam; mortuus vivis, quos servavit a morte; utrisque » se Patrem exhibens, dignus haberi potuit IESU nomine, » qui praeter Dei gloriam et salutem hominum nil quaesivit.

» Anno M.D.LVI. Prid. Kalendas Augustas, nutu summi » Imperatoris iussus a statione decedere, curam mortalium,

» quam vivus habuerat, etiam mortuus non amisit. Coelo » transscriptus, sed propensus in terras; animarum avidus, » etiam cum Deo plenus; Ecclesiae triumphantis socius, pro » militante sollicitus; quod unum potuit, corpus suum, pignus » animi fideique depositum, hic reliquit : cui ne quid deesset » ad gloriam, non semel angelicos inter cantus submissa de » coelo lumina micuerunt. Age, quisquis haec leges, beatos » immortalis viri et patris communis omnium cineres vene- » rare : hos tu, cum videris, religiose cole, cum habueris, pie » complectere; et latere sub his etiam nunc suum ignem, » hoc est, servientem humanae vitae et saluti IGNATIUM depre- » hendes. Vixit annis quinque et sexaginta inter mortales; » octoginta quatuor inter immortales. A Gregorio XV Catholicis » aris solenniter additus, anno huius seculi XXII; a Deo perenni » gloria coelitum, ultra omne seculum, feliciter cumulandus. » Hoc sui animi et venerationis perpetuae monumentum, non » structum auro vel marmore, sed tenaci grataque memoria » consecratum Optimo Maximoque, post Deum, patri, minima » IESU Societas, M.DC.XL, anno suo seculari primo, posuit, » dedicavit. »

Quod de sacro corpore reliquum est (reliquum autem est perparum, ossibus nonnullis in pios cultores distractis et venerationi minutim expositis, plerisque, exundante Tiberi anno M. . . . in cineres redactis, aegreque collectis) quod reliquum est, inquam, id Professorum Romae ecclesia, a Cardinali Farnesio magnificentissime exstructa, sub abside boreali diu in proprio sacello altarique coluit, novissime vero, id est anno M.DC.XCVII, marmoreo monumento et altari sic honoravit, ut nesciam speciosius pretiosiusque aliquod nunc Romae videatur; quin ipsa quoque absis usque ad fornicem, atque sacelli latera, miro artificio depicta, inaurata, marmore vario statuisque praestantissimis sic exornata est, ut repraesentando operi par

esse sculptura nulla possit, licet conata; solumque optandum restat simile ex adverso sub meridionali abside opus, recondendo S. Francisci Xaverii incorrupto brachio, decerptis licet particulis variis ex simili causa non prorsus integro, dum reliquum corpus Goae magnifice adservatur.

VI. Altero postquam Ignatius e terris in coelum migravit mense, ex Belgio in Hispaniam abiturus Carolus, id est circa Kalendas Septembris in Zelandiam profectus est; et commodum propitiumque nactus ventum navigando, filio Philippo valedixit, negotium novorum Episcopatuum serio commendans, praecipiens ne novarum religionum ullam in suis regnis nidificare permitteret, ni rerum omnium ac fortunarum turpissimam iacturam facere, atque potentissimae Monarchiae, tanto cum sudore a se suisque praedecessoribus partae, ruinam et regnorum suorum vastitatem summo cum dedecore et ignominia cernere vellet. Ita Havensius praelaudatus; et mox, cap. III: Scrutatores interea, inquit, quos praedixi singuli in Provinciis sibi deputatis diligenter munus suum obierant, et reversi, quae egissent, ad Aulam retulerunt. Per hos utcumque instructis Commissariis regiis, in Aula designatae sunt ubique ecclesiae Cathedrales cum suis dotibus, terminis et personis quae ad eas gubernandas promoverentur. Et haec res unum vel sesquiannum Aulam tenuit occupatam. Minoris moliminis fuit Philippo, iam Regi et reditum in Hispaniam meditanti, providere Belgio Gubernatores Provinciarum, ac primo Vicarium sibi substituit Emmanuelem Philibertum, Sabaudiae Ducem, qui munus illud triennio gessit, quoad in suum statum, unde fuerat a Gallis pulsus, revertit per pacem, tertio post anno conclusam in Castello Cameracesii; Comitem Egmondium creavit Flandriae Gubernatorem, Guilielmum Nassaviae, Principem Auriacum, praefecit Hollandiae, Zelandiaeque et Ultraiectensi ditioni, Comitem Meranum, Zutphaniae et Geldriae, Comitem Arenbergium, Frisiae et

Transisalaniae, Groningae et Lingae, Comitem Mansfordium, Namurco et Luxemburgo, Comitem Berlemontium Bergis Hannoniae, Dominum de Momorencii, Insulis Flandriae, Duaco et Orciaco, Marchionem de Montigny, Tornaco, ac denique Hornanum Comitem, Maris praefectura ornavit.

VII. Obiit interim Gillebertus Schoonbekanus, aetatem habens annorum xxxviii; natus Antverpiae illegitimo quidem toro, sed patriae suae per omne aevum memorabilis propter insignia opera in commodum ornatumque et amplificationem urbis constructa per ipsum, qui professione architectus et faber murarius erat. Operum istorum ultimum fuisse dicitur Hassorum domus, nationis eiusdem mercatoribus exstructa; nunc vero praecipue serviens curribus mercibusque per Colonienses aurigas adductis. Obiit autem GILLEBERTUS Bruxellis, Finantiarum Commissarius, ut vocant; et munus illud cum laude administravit; sed, quod mireris, solvendis debitis impar; unde nullum viro, de Republica tam bene merito, positum epitaphium reperitur. Scribanius in Originibus, cap. viii, agit de eo quod Civitas circa annum M.D.L moliebatur augmento, seu verius de novae Urbis conditione, quae universam hanc, quam videmus, ambiret immani flexu; nec cogitatum tantum serio fuit, sed initia quoque ducta sunt, progressum habitura, nisi vetuissent tempora, conatumque feliciter coeptum praecidissent. Scribanius, inquam, de immani ista molitione acturus, concludit his verbis, quae Gilleberto esse possint pro epitaphio : « Magnum paremque operi architectum nacti eramus, Gillebertum van Schoonbeek, et quo merito se iactet Antverpia, » componatque cum quocumque veterum. Vivere desiit praemature, aetatis anno xxxix, longiore vita dignissimus : credas » tamen seculum vixisse, si quae in veteri, si quae in urbe » nova ab ingenio et manu illius intuearis. Prodigia sunt » nec tantillorum annorum, sed multarum aetatum opera, ac

» non nisi a Regum aerariis : quae si propius discusseris, » dubites, audaciore ingenio an feliciore manu peregerit : et » cogitabat maiora : suburbia scilicet, in quibus supra duo » aedium millia, ac inter has regum magis ac principum » quam privatorum domus longe plurimas, fossa et moenibus » claudere. »

VIII. Gramayus, pag. 84, ait, hoc anno Scabinorum numerum, qui anno M.CCCC.XC sedecim esse coeperat, iterum ad octodecim fuisse auctum : quod et hodie servatur, inquit (scribens ipse anno M.DC.X) electionis norma tali « Recurrente Maio, Senatus » octodecim e patriciorum numero assumit, et Praefecti regio- » num Urbis totidem alios adiungunt, ac nomina singulorum, » una cum nominibus Scabinorum finientis anni, transmittunt » ad Principem; qui ex triginta sex nominatis octodecim desi- » gnat, et per delegatos duos, vulgo *Commissarios* (hi sunt Can- » cellarius Brabantiae, cum aliquo ex prima dignitate Ducatus) » curat eos denuntiari, ut tum alios inferioris subsellii Magi- » stratus, tum ipsos Consules eligant. Et ne annua ista mutatio » ignorantiam praeteritorum possit invehere, habent perpetuos » a Consiliis duos *(Pensionarios* nominant) legum et iuris peri- » tos viros clarissimos. »

IX. Claudant hunc annum et sequentem inchoent longae illae trium foliorum tabulae, quibus *Ioannes Liefrinck* et *Franciscus Huys* dederunt successive spectandam Civitatem; hic ab Oriente, iste ab Occidente; dignas certe quas saltem in minorem formam unaque in tabula contractas habeat posteritas, praesentia cum seculo XVI curiosius collatura; sub ea tamen cautela quam in apparatu topographico III suggessi, earumdem ut loco magis proprio mentionem faciens. Utinam autem id fiat priusquam pereat unicum fortassis utriusque exemplum, quod modo in Curia nostra servatur appensum in una Camerarum, sicuti periissent eiusdem generis plura, nisi ea Caukerkius studiose

collecta suis in tomis conservasset inde, forsitan eruenda ab eo, qui nostrum hunc conatum voluerit vetero-novis iconismis augere.

A. C. M.D.LVII.

ARGUMENTUM.

I. Grassatoribus quatuor decollatis. II-III. Ab eorum complicibus necatus Antverpiensis Scultetus an subscultetus vel potius Scultetus terrae Riensis, tunc ab Antverpiensi dissidens. IV. Magna annonae caritas et maior deinde vilitas.

ACTA PRIORA.

I. « Die XXIII Ianuarii, Antverpiae decollati sunt ante Curiam » grassatores quatuor, in quibus ad Dammi pontem capiendis » egregium fortemque se probaverat *Adamus van Berchem*, » *Scultetus Antverpiensis*. Diu eorum causa pependerat, dum » Bruxellis contravertitur ad cuius iurisdictionem ea iustitia » pertineret, Toparchaene Merxemensis an Civitatis. Fuerant » autem illi capti praecedenti anno, in ea quae Pentecosten » praecedens hebdomada, *Longa* sive *Expectationis* appellatur, » vulgo DE LANGE WEEK. » Ita Rotulus Snyderi. Praelaudatus autem Scultetus fortassis idem est, de quo sine nomine narrat Chronica Secretarii Valkenisse, quod, die X Martii, cum uxore et fratre prope Brechtam OP DE LOCHT (loco districtusHoog stratani, media in Campinia, S. Theobaldi tutela claro) trucidatus sit a duobus grassatoribus, quos praesumere possis eorum socios, quos ipse ceperat et ad mortem deduxerat; quae causa ei cum suis potuit, titulo mortis propter iustitiam obitae, coronam martyrii apud Deum meruisse.

II. Sed quid est quod series Praetorum, in libello de Nobilitate Antverpiensi, *Adamum*, istum praetermittat? An forte solum *subscultetus* fuit, ex satis vulgari etiam nunc abusu dictus absolute *Scultetus*, dum summus Praetor, per similem inveteratum abusum, vocatur *Marcgravius?* licet enim hic titulus significet *Marchionem*, et iam pridem proprius Ducis, nunc autem Regis erat, ut qui sit unicus et solus *Marchio S. Imperii;* patitur nihilominus is, suum in hoc munere Vicarium dici etiam Marcgravium. Quod autem in praecitata serie Praetores nostri dicantur *Marchiones Riensis ditionis;* id ut nunc valeat, nescio an pro eo de quo agimus tempore, etiam valuerit. Etenim Edelherius, postquam in suo Alphabeto ad verbum *Scultetus Antverpiensis* lectorem remisisset *ad Scultetum terrae Riensis*, ex minori papyraceo, fol. 266 v.°, subiungit insignem huius anni casum, qui inter utrumque cogat discernere et diversas personas credere. Res ita explicatur :

III. « Cum terrae Riensis Scultetus captivum apprehendisset » hominem quemdam, sistendum iudicio hominum Feudalium » pagi Turninensis, tamquam suae iurisdictioni subiectum; » iudicatusque is esset commerito supplicio afficiendus; sus» cepisset etiam immobilia quaedam, derelicta ab homine » homicidii reo, ideoque extra patriam degente, in hoc facto » ius suum laesum credens Scultetus Antverpiensis, captivum » eductum de custodia ad urbanum carcerem traxerat; ipsum» que Riensem Scultetum arrestaverat Antverpiae, propter » praedicti exulis bona confiscata. Super his contestata utrim» que lite, causa remissa est ad Cameram Rationalem : ubi, » eadem cognita, iudicatum est criminales omnes causas » spectare ad sex supremos officiarios Brabantiae, uti et » confiscationem bonorum; civiles vero ad Scultetum terrae » Riensis. Hic vero, ea definitione non contentus, eamdem » a Senatu Brabantiae sententiam tulit; denuntiatumque est

» ei, quod solummodo apprehendere posset criminaliter » reos, in sua iurisdictione repertos, eosque tradere debebat » Antverpiensi Marcgravio, una cum informatione de commis- » sis delictis, ipsiusque iudicio reum sistere : cum vero is » iudicatus fuerit supplicio dignus, tum primum debebat » Marcgravius eum tradere Sculteto Riensi, ut ipsum puniat » in loco ubi vel captus est, vel deliquit; puniat autem » coram ipso aliisque ad id delegandis. Ita decretum XXII » Augusti. »

Ex dictis liquet, *Scultetum* et *Marcgravium Antverpiensem* unam eamdemque esse personam, et ab hoc divisum tunc fuisse Scultetum *terrae Riensis*, quae recte dicatur Marchionatus, cuius Sculteto aeque competat ut appelletur *Marcgravius,* ac Sculteto seu Praetori Antverpiensi. Sed haec nominum officialiumque multiplicatio, nata lites et discordias procreare, prudenter sublata est ab eo, qui primus statuit, ut terrae Riensis et Civitatis Antverpiensis unus idemque *Scultetus* esset, et *Marcgravius* diceretur infra S. R. I. Marchionem, id est Principem.

IV. Redeo in Civitatem, ubi, dum litigatur foris, conflagravit ipsis kalendis Maii, hora prima noctis, novarum braxatoriarum extra Croneburgicam portam una, *Rumst* dicta, cum ingenti copia frumenti ibidem a variis collocati; quod multis sermonibus occasionem dedit, propter magnam tunc annonae caritatem, tantam scilicet, ut quartale secalis florenis octo, tritici, duodecim emeretur: unde factum, ut ex avena, hordeo, fabis ac pisis panis coqueretur; quae ipsa quoque aegre inveniebantur venalia. Verum post tres hebdomades adeo in contrarium versa res est, adventu navium Osterlingicarum, fruges ex Polonia vehentium, ut die v Iulii quartale secalis non pluris quam quatuor florenis publice veniret, et tantumdem tritici haberetur pro sex schellingis, quantum antea vix

pro viginti : hordeum vero quod antea florenis quinque, nunc uno compararetur.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII XXI *Augusti, Sabbato infra Octavam Assumptionis pridie Amburbalium (in quibus procedere novus Magistratus debebat) sub cursu litterae Dominicalis C.* — Dominus van Gaesbeck. — Dom. van Overessche. — Dom. Ioannes Scheyff, Cancellarius.

CONSULES *iidem.* — Dom. Antonius van Straelen III. — Dom. Nicolaus Rockox III.

SCABINI. — Dom. Alvarus d'Almaras. † — D. Didericus vande Werve *suffectus.* — Dom. Iacobus vander Heyden. — Dom. Conradus de Voullie. — Dom. Ioannes van Schoonhoven. — M. Nicolaus de Schermere. — Cornelius Happaert. — M. Iacobus Houtappel. — Wilhelmus de Vos. — Henricus van Etten. — Ioannes van Halmale. — Henricus van Delft. — Reynerus van Ursele. — Ioannes vander Heyden. — Ioannes vander Meeren *filius* Nicolai. — M. Petrus de Wesenbeeck senior. — Cornelius Renialme.

ARGUMENTUM.

I. Dives ex Lusitania et Anglia classis appulsa. Exequiae Ioannis Regis Lusitaniae. Anabaptistarum supplicia. II. Ioannes Martini Brugensis hic finit historiam sui temporis, Flandrice deductam per gesta Archiducum Austriacorum, Maximiliani, Philippi Pulchri, et Caroli V atque Philippi II initia : III. Eiusdem Ioannis poemata iuvenilia.

ACTA POSTERIORA.

I. « DIE V Iulii, appulerunt ex Anglia quadraginta septem

» grandiores naves, pannis onustae, post magnam classem
» pridie ex Lusitania cum pretiosis mercibus advectam.

Ita utrumque asserit habere se Valkenisse, ex Ms. littera D. signato : uti etiam quod « XIV Augusti in maiori ecclesia
» celebratae fuerint solemnissime exequiae IOANNIS III, Lusi-
» taniae Regis, officialibus omnibus ad offertorium comparen-
» tibus, quos praecedebat uterque nationis istius Consul. »

Interim « die VI Iulii, tres feminae Anabaptisticae in carcere
» suffocatae sunt in dolio vinario, et corpora, inclusa sacco,
» proiecta in Scaldim. Die autem X eiusdem mensis, quidam
» eiusdem sectae Episcopus, qui plurimos a se rebaptisatos
» fatebatur, se erravisse agnoscens, et haeresim eiurans, voluit
» ut vere Christianus mori : mortui autem manus praecisa
» fuit, et posita supra corpus in rota. »

II. *Ioannes Martini*, Brugensis, anno aetatis suae (uti profatur) septuagesimo, exorsus, patria Flandrica lingua, scribere historiam sui temporis, sicut eam, partim a patre aliisque senioribus fide digno relatu acceperat, partim geri viderat audieratque, deduxit eam usque ad annum M.D.LVII; percurrens prolixissimo volumine gesta Ducum et Comitum Austriacorum, praesertim *Mariae et Maximiliani*, *Philippi Pulchri*, et *Caroli V*, cum initiis *Philippi II*, sub quo capta Quintinopolis in Veromanduis. Illam ego habeo ex dispersione librorum Advocati Nys, qui habuit ex libris Ioannis et Gaspari Gevartiorum, non tamen magno usui mihi fuit, quia vix obiter ea attingitur *Antverpia*; neque valde multum *Brabantia* nostra, nisi quantum spectat bella cum Geldro, et huic auxilium ferente Franco, Martinoque Roshemio, sub eiusdem auspiciis excurrente ac praedabundo. Stylus veracior quam elegantior est; scriptura rudis, compressa, et talis quae non nisi ab exercitato legi commode, et ad hodiernae calligraphiae leges reduci rescribendo possit, aut etiam Latine reddi, si cui operae pretium

videatur manum tam vasto volumini, ad trecenta capita excurrenti, commodare. Hic autem id indicare volui, eo quod nostri bibliographi, Valerius Andreas, Franciscus Sweertius et Aubertus Miraeus, nullam talis scriptoris notitiam habuerint.

III. Idem scriptor, sub finem capitis c.xv, indicat, se ab anno aetatis suae quinquagesimo multa millia versuum rhythmice sive (ut vulgo loquuntur) *Rhetorice* composuisse; sed animi solius gratia, quae noluit in lucem emittere; neque ut forte alicubi adhuc supersint, volet nunc tanto minus edere quisquam, quanto magis rudis eo tempore poesis vernacula fuit, prae quam sit modo exculta egregie. Alia historiarum est ratio, quas sua antiquitas et rebus gestis proprior, magis quam sermonis venustas commendat; ut etiam rancidulis versiculis olim commissa placere soleant eruditis.

A. C. M.D.LVIII.

ARGUMENTUM.

I. Obitus Gisleni de Asseliers et epitaphium. II. An hoc positum a filio sub annum M.D.LXX Brabantiae Cancellario. III. Pro destructa Carthusia Kilana, parochiam ordinari probat Nuntius Carafa; capellam solum, a Georgiana parochia dependentem, institui permittit Episcopus anno sequenti.

ACTA PRIORA.

I. Ad ingressum ambitus, Choro ecclesiae Iacobeae circumducti, primae columnae, sacellum Eucharisticum respicienti, alte affixum haeret monumentum, cum insignibus familiae Asselerianae, et super his parvo in marmoreo titulo zyfris vulgaribus inscriptus hic annus 1570, subtus vero visitur grandius saxum album cum sequenti epitaphio:

D. O. M.

« Hospes viator, qui pedem huc refers tuum, subsiste pau-
» lulum, atque respice.

» Ut cuius istud sit monumentum intelligas.

» Hic e regione conditus est GISLENUS ASSELIERS, cui pa-
» tria quidem Bruxella, sed is muneribus hic publicis Antver-
» piae cum laude summa et gratia functus per annos plus
» minus octodecim, in dignitate huius rei-ipse-publicae feli-
» citer versatus, obiit annum agens nonum atque quinqua-
» gesimum, decima die Ianuarii, superstite coniuge ipsius,
» cum quinque liberis : qui eidem suae et sibi et posteris
» piae posuere momoriae. » *puta anno* M.D.LXX *superius notato.* Tum subtus, recentiori in marmore et vernacula lingua, leguntur ibidem sepulti *Dom. Cornelius Wachmans, Consul Bredanus, maritus Clementiae Asseleriae, filiae Gislenii, defunctus* XXII *Septembris* M.D.LXXXI; *eorumque filius Andreas Wachmans, Scultetus in Lillo, Berendrecht etc., mortuus* XXII *Octobris* M.DC.XLIV ; *et uxor eius Dl. Maria Kieffel, mortua* X *Iunii*, M.DC.XXXV.

II. Sed haec tanti non essent, nisi in eodem, sub quo omnes conditi sunt, sepulcrali saxo, veteri more circumsculptae legerentur litterae teutonicae, lingua etiam teutonica, significantes quod sub eo erat sepultus GELEYN VAN ASSELIERS, *Scabinus huius Civitatis* (videlicet, post aliqua minora officia per annos octo gesta, Senatui adscriptus anno M.D.XLVIII et L, LIV ac LV), *qui obiit* X *Ianuarii, anno* M.D.LVIII, *et Dl. Iacomina Louts, quae obiit.....* spatio scilicet vacuo relicto ad annum diemque notandum, quando haec quoque obiisset. Interim a piis liberis optimo patri fuerit anno M.D.LXX, superius notato, positum epitaphium istud. Liberorum autem quinque unum fuisse crediderim *Dominum d'Asseliers,* Brabantiae Cancellarium creatum a Statibus anno M.D.LXXIX, quo illi novam Cancellariam constituerant

Antverpiae, opponendam ei quam Lovanium Parmensis traduxerat. Hic ille deprehensus post annos octo, inter malleum et incudem haesit, eodem Parmensi Civitatem obsidente, *ad eumque*, Aldegundio teste, *cum fames urgere inciperet, cives quidam, in deditionem mature faciendam proniores, recurrerant supplicando, ut extremam ipsorum necessitatem indicaret Statibus.* Istis autem propterea comprehensis graviterque mulctatis, suspectus etiam ipse perduellibus sic fuit, ut nusquam legatur ulli publico consilio fuisse adhibitus. Leo autem de Meyer (qui in sua Belgii Prosopopeia eum appellat *Oraculum Iustitiae, Speculum Prudentiae, Politiae Decus)* indicat non fuisse veritum pro Regis obsequio vitam honoremque suum exponere periculo; facitque caput factionis cuiusdam civilis, quae, si detecta non fuisset, optimum fuerit effectum habitura.

Non fuit tamen ille maioribus suis consepultus, ut soror *Clementia*, cum marito et filio, quibus altera et recentior epitaphii pars posita fuit; sed, Civitate ad obedientiam reducta, Bruxellas reversus, ibidem privatus obiit, sepultus apud Praedicatores, epitaphio (si quod habuit) per bombardationem Gallicanam anni M.DC.XCV dissipato.

III. Anni quoque praetitulati initio, cum secundum stylum Curiae Cameracensis prior adhuc in cursu esset, suburbii Kilani incolae, destructo Carthusianorum monasterio et Religiosis Lyram transgressis, omni fere spirituali auxilio solatioque destituti, nisi quod a S. Georgii Parocho, cuius curae suberant, longe ac difficulter petendum ac ferendum erat; usi occasione advecti Bruxellas Legati Apostolici, ad eumdem recurrerunt, ut sibi, numero valde auctis, provideret de proprio presbytero, qui in erigenda a se capella ministraret Sacramenta praecipue necessaria. Hic autem iustae eorumdem postulationi cupiens satisfacere, Cameracensi Episcopo ita scripsit:

IV. « Carolus, Dei miseratione SS. Viti et Modesti martyrum

» Diaconus Cardinalis, Caraffa nuncupatus, Sanctissimi D. N.
» Papae et Sedis Apostolicae ad Serenissimum Philippum,
» Hispaniarum Regem Catholicum de latere Legatus, Venerabili
» in Christo Patri, Dei gratia Episcopo Cameracensi, seu eius Vi-
» cario in spiritualibus, aut Officiali Generali, salutem in Domino.

» Ex parte dilectorum Nobis in Christo, Praetoris, Scabino-
» rum et incolarum pagi OP 'T KIEL, prope Antverpiense oppi-
» dum vestrae Dioecesis, Nobis nuper oblata petitio continebat,
» quod cum ipsorum incolarum maximus sit numerus, vide-
» licet cum affinibus inibi resortientibus quatuor mille excedens,
» et eorum adhuc in dies accrescat numerus: ex eo quod
» aliunde multi illuc confluant, qui ibidem domos con-
» struunt, ita et taliter, quod eorum iam sit infinitus nume-
» rus; et ab anno M.D.XLII (quo tempore coenobium dilectorum
» Nobis in Christo Patris et Supprioris ac Fratrum Domus
» Carthusianorum oppidi Lyrensis, eiusdem vestrae Dioecesis,
» quod loco templi dicti incolae, quando eorum tam ingens erat
» turba, frequentare solebant, comburebatur et funditus peri-
» bat, adeo quod dicti Pater et Supprior et Fratres Carthusiani
» inde fuerint dispersi, et coacti restaurare conventiculum
» suum seu dictam domum, in dicto oppido Lyrensi) non fuerit
» ibi templum nec aliquis sacer locus, praeter sacellum quod-
» dam, quod ultra sex vel septem homines recipere vix posset,
» structum in memoriam loci sacri, in quo aliquando, ast
» rarissime missae seu sacra celebrantur, sine Communione
» tamen, Confessione, Concione et Administratione venerabilis
» Sacramenti et Baptismi; unde dicti Oratores, cum opus habent
» seu indigent administratione ecclesiasticorum Sacramentorum
» nocte vel die, coguntur, semper suo maximo incommodo,
» petere supradictum oppidum Antverpiense, et ad parochia-
» lem ecclesiam S. Georgii eiusdem oppidi Antverpiensis, pro
» dictis Sacramentis, accedere; atque ideo saepe contingit,

» cum puer natus recenter eget sacro baptismate, aut aegrotus
» Sacramento aut Confessione, e medio discedat, antequam
» accedat qui dicta Sacramenta ministret (quod quidem mise-
» rum et humano inspectu indignum est, et redundat maxime
» in damnum et perditionem animarum eorum, qui tam mi-
» sere intereunt) et maiora in dies inconvenientia occurrere
» dubitatur, nisi de opportuno desuper remedio provideatur.
» Quare dicti exponentes, et praefati Pater, Supprior et
» Fratres Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in prae-
» missis de opportuno desuper remedio providere de Aposto-
» lica benignitate dignaremur.

V. « Nos igitur, ad infrascripta per Apostolicae Sedis litteras
» sufficienti facultate communiti, de praemissis certam notitiam
» non habentes, ipsosque exponentes a quibusvis excommunica-
» tionis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiae sententiis,
» censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel
» causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad
» effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie
» absolventes, et absolutos fore censentes : huiusmodi suppli-
» cationibus inclinati, auctoritate Apostolica, qua in hac parte
» fungimur, tenore praesentium Vobis committimus et man-
» damus, quatenus eisdem exponentibus, in dicto pago, in
» aliquo sufficienti et idoneo per eos eligendo loco, unam
» parochialem ecclesiam, cum campanili et campana, construi
» et aedificari facere valeant, licentiam et facultatem conce-
» datis; ipsamque ecclesiam et nunc, prout et tunc, quando
» constructa fuerit, ut praefertur, in parochialem, sub invo-
» catione, de qua eis videbitur, cum coemeterio, fontibus
» baptismalibus et aliis parochialis ecclesiae insigniis (pro uno
» seu pluribus, quot eis expediens videbitur, Rectoribus, seu
» Sacerdotibus, qui inibi missas et alia officia divina, iuxta pro-
» videntiam eorumdem exponentium, et desuper faciendam

» ordinationem, dicere ac celebrare; ac illius parochianis inco- » lisque et habitatoribus dicti pagi pro tempore existentibus, » Sacramenta ecclesiastica ministrare, et alia onera Rectori » parochiano proprie incumbentia subire debeat ac teneatur), » sine alicuius praeiudicio erigere et instituere; illique pro » illius dote, et Rectoris seu Rectorum ac Presbyterorum » sustentatione, bona, per eosdem exponentes illi assignanda, » perpetuo applicare et appropriare; ipsumque pagum in illo- » que pro tempore inhabitantes a dicta ecclesia S. Georgii » perpetuo separare et segregare; illumque et illos pro paro- » chia et parochianis eiusdem construendae ecclesiae conce- » dere et assignare, ac ius patronatus et praesentandi ac » nominandi loci Ordinario, postquam construxerint et dotave- » rint, personam seu personas idoneas, ad ipsam construendam » ecclesiam ,tam ab illius primaria erectione, quam dum pro » tempore vacaverit, Praetori, Scabinis et incolis dicti pagi pro » tempore existentibus reservare, constituere et assignare » dicta auctoritate curetis; non obstantibus Apostolicis ac in » provincialibus et synodalibus Conciliis editis, seu genera- » libus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, » ceterisque contrariis quibuscumque. In quorum fidem prae- » sentes litteras fieri, nostrique sigilli iussimus et fecimus » appensione muniri. Datum Bruxellis Cameracensis Dioecesis, » anno Incarnationis Dominicae M.D.LVII, III mensis Martii, » Pontificatus S. Domini nostri, Dom. Pauli IV, anno III. » *Et* » *erat subsignatum* : Cardinalis Carafa legatus. *Inferius scriptum erat* : Gratis Franc. d'Hange, *sigillatum sigillo rubro, dependentibus duabus caudis rubris.*

VI. Ita « IOANNES MALDERUS, Dei et Apostolicae Sedis gratia, » Episcopus Antverpiensis, notum faciens, quod habuit, vi- » dit et diligenter inspexit litteras quondam illustrissimi et » reverendissimi Domini Cardinalis Carafae, sanas et integras,

» non concellatas, non vitiatas, aut in aliqua sui parte su-
» spectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes. »

Postquam earum tenorem descripsit, concludit ex more : « In quorum fidem praesentes, manu nostra et Secretarii » subscriptas, sigillo nostro communiri iussimus, die xxii » mensis; Iulii A. D. M.DC.XXI; *et subsignatum erat:* Ioannes Epi» scopus Antverpiensis, et P. Coens, Secret. *Copiam cum » originali concordare testatur*, IV *Februarii* M.DC.LXIV, Gaspar » Smits, oppidi Lyrani in Dioecesi Antverpiensi Plebanus et » Notarius Apostolicus. » Hinc intelligo, originales litteras Lyrae apud Carthusianos servari, tamquam inter novae istius Capellae patronos, dignitate et stabilitate praecipuos et potiorem totius Kilani fundi partem tunc adhuc possidentes.

Paulus autem IV, supra nominatus, erat de gente Carafa, Caroli Cardinalis praedicti patruus, Pontificatum exorsus anno M.D.LV, XXIII Martii; adeoque annus eius tertius necdum erat absolutus die III Martii anni nostri M.D.LVIII; unde conficitur, dictas litteras fuisse signatas, secundum stylum Curiae Cameracensis. Episcopus, tunc forte adhuc praesens Bruxellis, erat *Maximilianus de Bergis;* certe non nisi M.D.LIX urbem suam ingressus, tertio autem anno post primus eius Archiepiscopus renuntiatus.

Quantum vero is restrinxerit datam a Legato facultatem, Kilanos contentos esse volens titulo simplicis *Capellae*, cum fonte tamen baptismali pro casu necessitatis et coemeterio, neque Georgianae parochiae quidquam abstrahens, dicetur ad annum M.D.LXIII, quo capella sub nomine *S. Catharinae*, quae Carthusianorum patrona erat ab initio, Sanctorumque Sebastiani et Antonii consecrata fuit et in parochiam erecta.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

COMMISSARII XXX *Maii*, *Feria* II *Pentecostes* , *post Pascha autem*

x *Aprilis*. — Dom. Princeps Auriacus. — Dom. Marchio Bergensis. — Dom. Scheyff, Cancellarius.

CONSULES — Dom. Alvarus d'Almaras. — II. Dom. Henricus van Berchem IV.

SCABINI. — Dom. Ioannes Happaert. — Dom. Costinus van Halmale. — Dom. Nicolaus Rockox. — Dom. Didericus van de Werve, *Thesaur. pro eo* Melchior Schetz. — Dom. Anton. van Straelen. — Dom. Ioannes Wolsaert. — Dom. Iacob vander Heyden. — M. Nicolaus de Schermere. — M. Nicolaus Houtappel. — Simon vande Werve, *suffectus*. Henricus van Etten. — Simon l'Hermite. — Reynerus van Ursele. — Ioannes vander Heyden. — M. Petrus van Wesenbeeck. — M. Paulus Schuermans, fil. Henrici. — M. Gaspar Renialme. † *suff.* Mag. Ioannes vander Meeren.

ARGUMENTUM.

I. Obit Carolus V. Huius epitaphia, variis annis, locis et auctoribus scripta, II. quae praevertit Ioannes Flemingus, Satrapa Wineghemii prope Antverpiam. III. Ipse Poetarum Maecenas et eorum epitaphiis laudatus. IV-VII. Exequiae Caroli in Belgio et Hispania. VIII. Confirmatur Anglis domus, exinde dicta Anglicana. IX. Obitus et epitaphium Cornelii Graphaei. X. Inventi typi characteris scriptorii.

ACTA POSTERIORA.

I. DIE XXI Septembris obiit CAROLUS V, in suo S. Iusti Hieronymianorum monasterio, octavo a Placentia lapide, in finibus Castellae ac Lusitaniae. Morienti adfuit nepos Carolus Princeps, primogenitus Philippi Regis; atque huius et Ferdinandi Imperatoris soror, Ioanna, Ioannis Principis Lusitaniae brevi tempore coniux, anno M.D.LIV nupta, et suscepto inde filio Sebastiano, posthumo nec vitali, orbata marito ac filio ante

soceri mortem, tunc vero Hispaniarum Gubernatrix, pro fratre apud Belgas absente. Huius dum illa exquirit et exspectat mandata de loco, modo ac tempore sepulturae solemnis, officium funebris encomii scribendi praeoccupavit iuvenis Antverpiensis, *Ioannes Flemingus*, Wineghemii Toparcha, et Vallis Oleto, ubi degebat, misit in Belgium ad litteratos amicos: quorum unus, Goropius Bekanus, auctore iam mortuo, ipsum cum aliis nonnullis eius opusculis posthumis praefixit Vertumno suo.

II. Inducit poeta hic noster in scenam tres Parcas, antiquis creditas mortalium vitam et sortem definire, Christiano autem intellectu pro divina Providentia accipiendas ; atque ita canit :

Carole, *dum moesti persolvunt debita iusta*
Nata Neposque tibi, et solenni more parentant ;
Funebrem ad pompam fatalia numina Parcae
Conveniunt, Divumque alii. Tum forte Sorores,
Fatali commota urna, praeconia famae
Clara tuae, partumque tibi per funera coelum
Dum memorant, moestis numeris sunt taliter orsae :
« *Nos tibi regales ortus, regalia sceptra,*
Et dedimus puero tibi florentissima Regna;
Romanum iuveni Imperium, mox orbis habenas
Tradidimus, Superis simul et plaudentibus Astris,
Quae tibi nascenti vel felicissima coelo
Fulserunt. Sic ipse tuo Iovis Ales in ortu
Constitit, atque tibi geminae micuere Coronae.
Haec oriens, medio stetit altera vertice coeli,
Utraque Caesareos quondam ornatura triumphos.
Inde novo Pater armipotens laetatus alumno,
Auspiciis tentata suis bene praelia vertit.
Sic mox Hesperiae magna cum laude tumultus
Componens, pacem populis et iura dedisti.

Sic insperato victi certamine Galli,
Flumina Ticini fuso tinxere cruore,
Et tristis captum deflevit Gallia Regem :
Sic alias invicta, suo cum Praesule, Roma
Capta fuit, Dominaeque orbis dominatus es Urbi.
Armaque Threicium fugientem augusta tyrannum
Danubius Pater aspexit fluidusque Tibiscus.
Sic etiam Libycis tua prospera praelia bustis
Africa testatur. Cessit tibi victa Tunete,
Cessit et, incensa praedonum classe, Goleta;
Belgica deinde novos agitat dum forte tumultus
Terra parens; non hostiles transire per agros,
Es veritus, fide Gallorum, discrimine magno,
Confisus : tibi tanta fuit sedare cupido
Flandrorum motus, patriaeque parare quietem.
Ecce sed occulto conspirans Geldria bello
Gallorum cum Rege, tibi fuit altera causa
Vincendi : pervulgato sic unius urbis
Excidio, sine caede virum, sine sanguine fuso
Progressus, gentem indomitam, genus acre, Sicambros
Vicisti : Galloque novae nova foedera pacis
Concedens, incerta paras fortissimus arma
Caesare digna, quibus discors Germania tandem
Victa, tuas aquilas et sceptra potentia supplex
Agnovit, cunctique tibi cessere rebelles.
Quin etiam auspiciis alio nova regna sub axe
Posta tuis, subeunt (quos est mirata vetustas)
Antipodes tua iura, novus tibi servit et orbis.
Haec bello. Nunc quanta fuit prudentia pace ?
Dum populos regis imperio et moderamine miti,
Iustitiamque colis, Divum studiosus honoris ;
Relligio tibi praecipue fuit unica cura

Ah! quanto collapsa tibi stetit illa labore,
Discordes dum per discordia dogmata gentes
Composuisse studes, nisi sors conatibus impar
Turbasset medios, proh! vota per irrita cursus?
Illa fuit persaepe tuis contraria coeptis;
Et terra pelagoque gravi desaeviit ira!
Sic infelici tentata est Africa bello,
Adversante Deo pelagi, qui viderat ante
Signa tua Herculeas ultra portata columnas:
Neve tuis totum titulis accederet aequor,
Saeviit in classem. Sic et Germania bellax
Indignata iugum, sumptis se vindicat armis.
Tu tamen haec variae semper ludibria sortis
Ingenti vicisti animo. Victoria tandem
De te ipso postrema fuit, dum cuncta resignans
Magnanimo vivens nato tua Regna Philippo,
Otia decrepitae quaeris tranquilla senectae,
Privataeque studes vitae solique quieti.
Noluimus. Ruptoque tuae mox stamine vitae,
Iussimus accedas tandem nova gloria coelo.
Hic Mavors tibi forte locum, qua portitor Hellen,
Aut ubi Signiferum stellis ardentibus ornat
Scorpius, elegit; legit tibi proxima signa
Alma Venus, qua libra micat radiantibus astris.
Contra Astraea suo voluit defigere sedem
Austriaco, qua parte poli sua sidera fulgent
Virginis Erigones, tardo coniuncta Bootae;
At pia Relligio Divum praefecerat Arae
Fulgenti late coelo: sed noluit ipse
Iupiter, augusta qui coeli parte locatum
Praefecit te nempe suis sancto ordine stellis
Quas pius ille senex, arcu fixasque sagittis,

Et manibus cubitoque et toto corpore Chiron
Sustinet, et claro radians diffundit Olympo;
Unde tuos semper foveas proclivius Heros,
Unde tui semper Capricorni proxima spectes,
Quae fulsere tuis orientia sidera cunis.
Ille fores servans coelestis ianitor aulae
Te, si quando lubet Divum succedere tectis,
Inducet coelo : nam sic mandaverat olim
Iupiter, et Superi pleno assensere senatu.
Hic pietatis honos, haec vitae fortiter actae
Praemia, quae nec mors nec ulla iniuria laedet
Temporis. Haec ternae pariter cecinere Sorores,
Singulaque aeratis mox inscripsere tabellis. »

III. Haec poetico deprompta fluxu, cum crebra ad fabulas et signa coelestia allusione, amusos aliquis fastidiet forsitan : mihi, patriae communis decora colligenti, gratum fuit tam illustri occasione posse reproducere specimen aliquod ingenii nobilis et eruditi, ac digni cuius in his Annalibus servetur memoria, tamquam *viri docti et doctorum hominum Maecenatis*, ut eum laudat Bonaventura Vulcanius, edendis Moschi Syracusani et Dionis Smyrnaei Idylliis additurus simili stylo Graeco-Latine compositum Ioannis Valkenburgii carmen in obitum Flemingi, sed mortis nec anno nec die notatis. Prolixius est poema istud, et quidem Graeco-latinum. Brevius alterum eiusdem Valkenburgii, unde acceptum tertium distichon extollit

Flemingi nobile nomen
Qui carus Phoebo Mercurioque fuit.
Divitiis clarus sed clarior arte fruendi;
Vatum Maecenas, ipse poeta bonus.

Plura si vis, Ioannis Latomi, Nathani Chytraei, aliorumque

nobilium inter Belgas eo tempore poetarum, lege in praecitato Goropii Vertumno, quem Christophorus Plantinus, anno M.D.LXXX, pulcherrimis suis typis Antverpiae subiiciens, dedicat *nobilitate et eruditione ornatissimo viro Arnoldo Flemingo, Wineghemii Domino, et Ioannis, ad latus carissimae coniugis subita morte extincti, fratri germano,* praela sua offerens excudendis reliquis apud ipsum defuncti elegiis et epigrammatis; quod tamen successum optatum non habuit, Christophoro ipso, forte etiam Arnoldo, intra paucos annos morientibus.

IV. Redeo ad CAROLUM Imperatorem, cuius morte intellecta, » Philippus Rex regia pompa (inquit Loyens) iusta fecit Bru- » xellis; nave miro artificio fabricata, quae a *Spe,* in prora » stanti, *Fide,* quae solio ad malum cum cruce assidebat, et » *Caritate,* clavum tenente, regebatur; hac figura significans » non aliud optimo Principi in hoc humanae vitae salo propo- » situm fuisse, aut alio labores eius pertinuisse, quam ut » gloriam Dei, quibus posset rationibus, promoveret et ampli- » ficaret. »

Antverpiae invenio solemnes exequias eidem in Basilica Mariana procuratas XIV Decembris; quo autem apparatu, quove die aut mense in aede S. Iusti tumulatum sit corpus, necdum reperi, sed eidem positum ibidem a Ioanna filia epitaphium hoc:

D. O. M. S.

D. CAROLO V. IMP. CAES. AVG. MAX. INDICO. TVRC. AFRIC. GERM. HISPANIAE, SICILIAE ET INDIARVM REGI PP. PRINCIPI. POTENTISS. ET INVICTISS. SACRI IMPERI LIBERATORI, FVNDATORI QVIETIS CHRISTIANAE RELIGIONIS ACERRIMO PROPVGNATORI, IVSTITIA, ANIMI MAGNITVDINE, PRVDENTIA, RELIGIONE, CLEMENTIA, PATIENTIA, ALIISQVE INSIGNIBVS VIRTVTIBVS LONGE ORNATISS. QVI POST INGENTES VBIQVE TERRARVM PARTAS VICTORIAS, ET CLARISS. DE GALLO, TVRCA, AFRIS, ITALIS, GERMANIS ACTOS TRIVMPHOS: TOT MVLTIS INDIAE

PROVINCIIS ET INSVLIS ETIAM PRISCIS INCOGNITIS, PER LEGATOS, MAGNO REIP. CHRISTIANAE ORNAMENTO INVENTIS ATQVE LVSTRATIS. DENIQVE POST FELICITER ADMINISTRATAM ET PRVDENTER CONSTITVTAM REMP.; PHILIPPO F. TOT AMPLISSIMIS HISPAN. REGNIS, FLANDRIAE ET ALIIS PROVINCIIS INAVGVRATO, RELIGIONE DVCTVS EX FLANDRIA IN HISPANIAM TRAIECIT., SEQ. IN D. IVSTI HIERONYMIANI ORDINIS COENOBIVM, AEDIBVS ILLIC IVSSV EIVS CONSTRVCTIS, RECEPIT: VBI RELIQVVM VITAE, QVOD VIX BIENNIVM FVIT, TRANQVILLISSIME EGIT, ET SANCTISSIME OBIIT XI: KAL. OCTOBRIS M.D.LVIII. IOANNA, LVSITANIAE PRINCEPS, HISPANIARVM GVBERNATRIX, PATRI OPT. ET MAX. P. VIXIT ANN. LVIII, MEN. SEX. DIES XXVIII. IMPERAVIT ANN. XL, REGNAVIT ANN. XLIII. »

V. Ita ibi corpus iacuit annis omnino quatuordecim: post quos exhumatum cadaver, Granatam ad regia sepulcra transferendum, matrique Ioannae, avoque et aviae, Ferdinando et Isabellae, Catholicis Regibus, coniungendum; *non solum ipsum repertum est integrum*, inquit Loyens, *sed thymi quoque ramusculi, quibus, monachorum more, respersum fuerat, virides apparuerunt, et adhuc optimum odorem spirantes.*

« Cum autem, anno M.DC.XLVI, potentissimi Philippi IV, Hispa-
» niarum Regis, iussu, Maiorum suorum regia cadavera ad
» insigne illud et toto orbe celebre Pantheon traducerentur,
» Imperatoris CAROLI V corpus rursus integrum et incorruptum
» repertum est, nulla labe contaminatum post annos octoginta
» octo, ut tradit P. F. Franciscus de Sunctos, in descriptione
» fabricae D. Laurentii Escuriacensis, cum nulla cadaveris
» exenteratione, nulla artis conditura, nulla aromatum vi,
» quae potuissent a putrefactione praeservare, fuerit pollin-
» ctum, ipso sic ante obitum iubente: quo quid aliud possumus
» quam inculpatae vitae sanctimoniaeque finalis magnum prae-
» bere testimonium. »

Ibi erectum CAROLO mausoleum est, cui, nescio quis,

Hispanus forsan poeta, huiusmodi versus inscribendos dictavit, repertos inter Collectanea Advocati Nys :

Liquisti exuvias gelido sub marmore, sed non
Quantus eras, Caesar, marmor et urna capit.
Pro tumulo ponas orbem, pro tegmine coelum,
Pro facibus stellas, pro Imperio Empyreum.
Non aurum, non hoc marmor, non gemma, sed omnis
Carole, *terra tibi corporis urna decent.*
Conteget immensum, quantum patet undique, coelum;
Sol tibi funerea pro face lumen erit.
Proque tua memori fama pro nomine stabit
Aeternum tempus, quod tua facta notat.
Natura effundit lacrymas, elementa gemiscunt,
Perficiunt tumulum vix satis ista tuum.

VI. Prolixius aliquantum, nescio annon etiam elegantius aliud profert in suis Athenis Belgicis, pag 165, Sweertius, suum ipsius (ni fallor) poema, hic quoque dignum referri :

Parcite, mortales, nudos iam reddere montes,
Et carolo *tantas aedificare pyras;*
Sit labor artificum solas ostendere palmas
Caesaris, et tumulus Caesare dignus erit.
Prima triumphato stupefiat Gallia Rege,
Procumbat supplex Caesaris ante pedes.
Ad dextrum stet Roma latus, Carthago sinistrum;
Altera capta tuis, altera capta tibi:
Sint alibi Turcae, vertentes signa retrorsum,
Et iamiam pereant, ni ferat Ister opem.
Ante Deos iaceant exuti Saxones armis,
Caedeque terribili decolor Albis eat.

Parte alia Alciden sistat sua meta, tibique
Terra suos fines augeat, unda suos.
Ultima de seipso victoria magna sequatur;
Sitque alter Magnus, qui modo Magnus erat.
His ita compisitis crescent miracula mundi:
Octavum CAROLI *nobile funus erit.*

VII. Symbolo utebatur PLUS ULTRA, quam rei apto, tam obnoxio invidiae, quae dentes in illud acuerat, etiam versibus satyrico sale conditis. In his Gallus aliquis Herculi comparat CAROLUM, qui Hispanicae Monarchiae onus excutiens fatiscentibus humeris, reiiciat in filium, ab Errico *(Franciae Regem Henricum intelligit)* dignius sustinendum; sed insulso poetastro non male respondit Guilielmus Crypius, poeta Patavinus, hoc antigrammate:

Non erat in CAROLO *laudis tam vasta cupido,*
Nec tam, Galle levis, ambitiosus erat;
Quamquam saepe suo nutu tremefecerit orbem,
Fecerit et Regem vincula ferre tuum;
Praebueritque illi supplex Germania palmas,
Et Libya invicto brachia victa dedit;
Aequasse Herculeos ut credi vellet honores,
Aut humeris coelum sustinuisse suis:
Sed quoniam Herculeas ultra sua regna columnas
Protulit, et Solis Zodiacique vias;
Et novus antiquis accrevit finibus orbis,
Testatum signo iussit id esse suo.

Post haec notat praelaudatus Loyens, quod, sicuti CAROLI mortem non diu praecesserat mors sororis ELEONORAE, quae primo Emmanueli Lusitaniae, deinde Francisco, Franciae Regibus nupserat; ita camdem non integro post mense secutus est obitus sororis alterius MARIAE, Hungariorum quondam Reginae,

cui idem Flemingus, elogium funebre versibus elegiacis scripsit, similiter in Vertumno Goropiano legendum, cum hac in fine clausula :

Illa, velut si quis peregrino littore solvens
Naviget, et placidum per mare tutus eat,
Leniter excessit, vitae secura beatae,
Aspectu aeterni sic fruitura Dei.
Natalem Belgis, fatum donavit Iberis :
Utraque sic tellus, quod veneretur, habet.
Illius ingenium, virtus animusque virilis
Claruit Eois occiduisque plagis,
Atque ea florebunt famaque superstite vivent.
Invida mors, cessa: hic nil tibi iuris erit.

VIII. Porro, ut Antverpiam revertamur, ex vol. II Privil., fol. 209, notat Edelherius, « quod, die XI Octobris, Consules et » Scabini renovarunt donationem domus eius, quae iam » coeperat Anglicana dici, factam Nationi isti, ad habitandum » et agendum in ea conventus suos; ea conditione, ut illam » ipsa alienare non posset, sed solummodo cum alia aptiori » eiusdemque pretii, consentientibus Consulibus atque Scabi» nis, permutare : quod si contingeret Anglos, propter bellum » vel alia causa, discedere, rediret domus ad Civitatem. » Ita Pensionarius Nys : Edelherius, eodem libro folioque citato, vocat iteratam domus illius donationem, factam a Consulibus et Scabinis, die XI Octobris. Additur autem, quod eadem domus antea nominabatur Curia Lyrana, HET HOF VAN LYER, pertinebatque ad Carolum, Brabantiae tunc Consiliarium, eiusque coniugem, Catharinam Draeck; quibus scilicet Bruxellas migrantibus, contigerit eam Civitati venalem offerri. Sed quando? Audivi ex parente meo puer, quod Civitas locum emerit, ut

Caesar, huc adveniens, ad eam tamquam ad proprium hospitium diverteret; hunc vero, ut consideravit mensuram et proportiones conclavium contechnationumque humilitatem, cum risu dixisse : Antverpienses esse scientiores ad apothecas merciarias construendas, quam aulam regiam ordinandam.

Videtur nihilominus Caroli paedagogus et minister primarius, Dux Arschottanus, eamdem domum aliquando vel ad Caesaris vel ad proprium usum aptare voluisse : hoc enim probant Arschottanae domus insignia, magnifice depicta supra caminum, qui est in uno praecipuorum conclavium, inter longiorem eam aulam, quae nunc pro ecclesia est, atque hortum; quodque insignia eadem pluribus in fenestris spectentur; Anglicana vero (quod mireris) nulla, ac ne vestigium quidem talium inquilinorum, nisi, quod verosimile sit, ipsos absolvisse turriculam eiusdem domus. venustam satis; aut saltem reparasse globosum coronamentum, quod circa annum M.DC.LX demolita Societas nostra est, parte circumeuntis podii ruente territa. Etenim summam illius turris pinnam obtinebat eques *S. Georgius*, Nationis patronus, qui apostatricem gentem velut abominatus, postquam ea defecit a Catholica fide, maluit immissa tempestate statuam suam inde revelli, uti memini magistrum meum Bollandum narrare, solo istic equo, ventorum indice, relicto; qui denique etiam ipse depositus inde cum globo, locum fecit sacratissimo Iesu nomini, eumdem nunc usum praebenti.

IX. Denique XIX Decembris, obiit saepius nobis memoratus *Cornelius Grapheus*, qui in aede Mariana, e regione altaris Bombardariorum, epitaphium sibi constituit marmoreum, sua desuper posita effigie insigni, haeredibusque pertexendum reliquit, hoc sensu :

D. O. M.

« Cornelius Scribonius Grapheus, praeclarae huic urbi a

» secretis, sibi suisque, et Hadrianae Philippiae, uxori dulcis-
» simae, vivens posuit. Decessit illa XVI Kal. Septembris, M.D.LVI,
» cum vixisset annis LXXI, uno et XL marita : matrona et
» prudentissima et pietatis cultrix eximia. Ille vero, caram
» secutus coniugem, migravit XIV Kal. Ianuarii M.D.LVIII, cum
» vixisset annos LXXVI.

X. Ad hunc annum refertur, quod Amiettus Tavernier, Belliolanus, reperit novum genus typorum, manuales characteres proxime referentium, SCHRYFLETTERS, quibus legendis assuescentes pueri, non solum recentes, sed etiam veteres instrumentorum publicorum membranas expedite percurrant. Hi autem cum valde tunc probarentur, suam quoque typographiam iisdem mox instruendam curavit Christophorus Plantinus.

Eumdem hoc eodem seculo secuti an praegressi sint Itali, ad similitudinem usitati apud se manualis characteris efformando typos, quos vulgo *Italicos* nuncupamus, non possim definire. Hoc scio, ut supra ostendi, typos illorum, *Romanos* nunc dictos, Venetiis primum seculis abhinc duobus coeptos cudi, unde primum *Venetici* nuncupabantur, et ad distinctionem priorum, recto corpore stantium, propter eorum inclinationem *Cursivi* a typothetis dicuntur.

Nobis utrique characteres, tam primi (quos exteri *Gothicos*, nos *Teutonicos*, DUYTSCHE, et pro varietate formae, HOOG- vel NEERDUYTSCHE dicimus) quam scriptorii, recentius excogitati et nunc usurpari desiti, forma quadrata stant, solaque ductuum subtilitate maiori minorive differunt. Hactenus autem nemo curavit sic fundendos hosce utriusque generis typos, ut una in linea simul poni possent in libris Belgicis, sicut in Latinis Romanos Italicosque componimus; quia neque impendii ea in re faciendi ulla apparet necessitas, neque magna utilitas ex tam raro usu.

A. C. M.D.LIX.

ARGUMENTUM.

I. Plurium Principum mors. II. Exequiae variae celebratae. III. Pax Hispano-Gallica publicata. IV-VII. Doctor Sonnius pro negotio novorum Episcopatuum Romam delegatus, Pauli IV constitutionem pro his inde obtinet.

ACTA PRIORA.

I. « FUIT hic annus (inquit auctor diversarum curiositatum » I. parte, fol. 22) plurium grandium personarum obitu, si ullus alius, memorabilis, morientibus intra quindecim menses » *Paulo Papa IV*, *Carolo V*, *Imperatore*; *Henrico II* et » *Francisco II*, Franciae; *Ioanne III*, Portugalliae; *Christierno*, » Daniae Regibus; Reginis vero, *Barbara Radzivilia*, Sigis- » mundi Augusti, Regis Poloniae, vidua; *Catharina Maria*, » Hungariae, *Eleonora*, Galliae; Duce et Patriarcha Venetia- » rum; Ferrariae Duce; Cardinalibus tredecim, aliisque » pluribus meritis et dignitate claris. »

Sic ille, latius utique annum extendens, et incipiens a mense Iunio anni M.D.LVII, quo Lusitanus obiit; totumque annum LVIII involvens cum parte huius LIX, quo Franciscus II decessit, die x Iulii; adeoque non solum XV menses, sed XXV simul complectens, ut omittam reliquos examinare qui fortassis non omnes invenientur ante Regem Franciae e vivis excessisse. Interim non miror, quod Falcontinarum virginum Registrum, ex vulgi fama, similia referat.

II. Quod CAROLUM V attinet, non dubito, quin eius exequiae per Belgium, ac praesertim Antverpiae, fuerint solemnissimo

apparatu celebratae : de eo tamen nihil notatum invenio. De *Ferdinando*, eius fratre, scribit in suo Leone Belgico, pag. 10, Michael Aitzingerus, quod « die XXIV Februarii, eas curaverit » Augustae Vindelicorum in frequentissimo Procerum Prin- » cipumque ex tota pene Europa conventu. Die autem IV Martii, » idem Imperator, ibidem Augustae, solemnibus quoque cae- » remoniis parentavit suae sorori *Mariae*, Reginae Hungariae, » Belgii dum viveret Gubernatrici, eiusquelaudes funebri » oratione prosecutus est Georgius Drascovicius, Antistes » Quinque Ecclesiensis; subsequenti autem die, eadem solemni- » nitate, *Mariae, Reginae Angliae*, fuerunt peractae exequiae. » Idem Michael, pag. 11 v°, egregio iconismo repraesentat hastiludium, IX Iulii celebratum; quo Rex Franciae, HENRICUS, maximo rei Catholicae damno occubuit; et addit « quod Rex » PHILIPPUS defuncto, die XII Augusti, exequias celebravit Gan- » davi, in templo S. Michaelis; quantumvis bonus ille Rex » Henricus, dum viveret, cum Auriaco Principe secretiora » qûaedam agitando, mira in Belgium moliri videbatur, sub » nescio cuius Inquisitionis Hispanicae praetextu, quemad- » modum id non solum Auriaci verba in Apologia gallice » edita, verum etiam eventus ipse satis aperte declaravit. » Sic Michael iste, mox ipsa Auriaci verba Latine reddens, quibus hic asserit *Regem sibi fassum quod cum Hispano tractavit de Haereticis tota Gallia et Belgio extirpandis.*

III. « Civitati porro nostrae festivissimus fuit huius anni » Aprilis, quo celebrata publicatio pacis, inter Hispaniae ac » Franciae Reges conclusae : ut autem maiori cum studio » instruerentur ludi, augendae festivitati indicti, praemia » proposuit Civitas exteris eo in genere superaturis; primis » quidem verveces sex cum viginti amphoris vini (STADSTOOPEN) » secundis verveces quinque et amphoras quindecim, et aliis » proportionate usque ad sex. Ignes vero triumphales, a nona

» die Aprilis usque ad decimam octavam, tota urbe collucebant; et turris Mariana, usque ad summum apicem, plus quam trecentis lucernis illuminabatur. Spectabantur arcus et machinae theatrales, magno sumptu erectae, per Florentinos, Genuenses, Lucenses, Germanos, Osterlingos, Hispanos et Anglos. Vini fontes variis locis fluebant, omnisque generis ludi ac spectacula cernebantur. Inter haec novae inventionis fuerunt praealti mali, unguine illiti, per quam lubricitatem evasuros in altum proritabant pretiosa bravia inde auferenda; et plures in conatu deficientes lapsantesque risum provocabant intuentium. Mulieres etiam de cursus velocitate certabant. Porci denique mactandi obiiciebantur hominibus armatis, sed oculos andabatarum more velatis. » Ita Caukerkius.

IV. Novorum Episcopatuum negotio, quod discedens ex Belgio Carolus tam serio (ut supra vidimus) filio commendaverat, non minus sedulo intentus ille, mox ut Bruxellas rediit, ipso, qua par erat, maturitate in Aula discusso, tandem (nescio quo anni praecedentis, vel etiam huius ineuntis mense) « Dominus Franciscus Sonnius, Doctor Lovaniensis, Cathedralis ecclesiae Ultraiectinae Canonicus, anno LVIII (inquit Havensius), ex parte Regis Catholici Romam ablegatus est; qui cum Belgicae descriptionem particulariter per chartas, cum designationibus qualitatum, divitiarum, amplitudinis, extensionis eiusdem Provinciae, atque numerosi Cleri multitudinem, Paulo IV Pontifici Maximo exhibuisset, hoc effecit, ut Pontifex septem Cardinalibus libellos supplices, chartas et rationes dicti Dni Sonnii examinandas commiserit. Illi autem de omnibus informati, cum ad Consistorium retulissent, Pontifex cum Consistorio omnia approbavit.... et divisit ecclesias antiquas, Cameracensem, Traiectensem, Atrebatensem et Tornacensem, in Belgio sitas. Divisit etiam quatuordecim insignia

» oppida, videlicet Mechliniense, Antverpiense, Harlemense,
» Daventriense, Leovardiense, Groeningense, Middelburgense,
» Buscoducense, Ruraemundense, Namurcense, Audomarense,
» Iprense, Gandavense et Brugense, a suis Dioecesibus,
» videlicet Cameracensi, Traiectensi, Leodiensi, Morinensi et
» Tornacensi; et illa erexit in civitates, in iisque erexit
» ecclesias Cathedrales; quas omnes, tam novas quam anti-
» quas, noluit de cetero extraneis Episcopis esse subiectas.
» Inter omnes vero voluit esse tres Metropolitanas seu
» Archiepiscopales, Cameracensem, Ultraiectinam, et Mechli-
» niensem, plane novam, quam etiam Primatialem esse
» voluit; subiiciens huic (sitae in meditullio Belgii, prope
» Aulam Bruxellensem) sex ecclesias Cathedrales, tamquam
» suffraganeas, Antverpiensem, Gandavensem, Brugensem,
» Iprensem, Buscoducensem et Ruraemundensem; praefatis
» autem ecclesiis dotes assignabantur, ad ratam trium millium
» ducatorum, quae Rex Philippus promittebat, factis incor-
» porationibus Conventuum, Prioratuum, Praepositurarum et
» Abbatiarum. In singulis itidem Metropolitanis et suffraganeis
» ecclesiis, ordinavit idem Pontifex, ut decem Canonicatus
» et Praebendae primo vacaturae, afficerentur respective pro
» Archiepiscopo vel Episcopo, et novem Graduatis, Doctoribus
» vel Licentiatis, quorum tres primi debeant esse Theologi,
» alii tres Iurisperiti, et tres postremi Nobiles eius Episcopa-
» tus; qui omnes ab Archiepiscopo vel Episcopo suo requisiti
» eidem in negotiis Ecclesiae operam et consilium praestare
» debeant. »

Hactenus Havensius, Constitutionem Pauli IV super illis obtentam a Sonnio, et ab hoc celeriter relatam in Belgium, sicut eam Pontifex signaverat IV *Idus Maii, Pontificatus sui anno* IV, fideliter referens libri sui primi cap. IV : quam deinde Miraeus annis viginti post, lib. I Donationum Belgicarum,

pag. 321, inseruit similiter integrum. Operae pretium erit hic apponere eius primam et praecipuam partem.

V. « Paulus IV, ad perpetuam rei memoriam. Super universas » orbis Ecclesias eo disponente qui cunctis imperat, et cui » omnia obediunt, quamquam sine nostris meritis constituti, » levamus in circuitu agri Dominici oculos mentis nostrae, » more pervigilis Pastoris inspecturi, quid provinciarum et » locorum quorumlibet statui et decori, quidve illorum incola- » rum saluti congruat, ac desuper (hoc praesertim tempore, » quo humani generis hostis omni conatu ad ipsarum anima- » rum perniciem et fidei Catholicae eversionem incumbit) dis- » poni debeat. Et divino fulti praesidio, dignum, quin potius » debitum arbitramur, in irriguo militantis Ecclesiae agro, » novas Archiepiscopales et Episcopales sedes et Ecclesias » plantare; ut per huiusmodi novas plantationes popularis » augeatur devotio, divinus cultus effloreat, et animarum » ipsarum salus subsequatur; ac loca insignia (ea praesertim, » quorum incolae, benedicente Domino, multiplicati noscuntur) » dignioribus titulis et condignis favoribus illustrentur; ut » propagatione novarum sedium, venerabiliumque Praesulum » assistentia, regimine et doctrina suffulti, cum Apostolicae auc- » toritatis amplitudine et orthodoxae fidei augmento, populi ipsi » proficiant semper in Domino; et quae in temporalibus sunt » adepti, non careant in spiritualibus incremento, praesertim » cum id Catholicorum Regum et Principum exposcat devotio.

« Cum itaque mentis nostrae aciem convertissemus in eam » inferioris Germaniae partem, quae carissimi in Christo filii » nostri Philippi, Hispaniarum Regis Catholici, ditioni haere- » ditario iure subiecta est; scientes messem quidem ibi mul- » tam esse, operarios autem paucos; propter quod cum ea » regio antiquitus, erectionis Cathedralium ecclesiarum sua- » rum tempore, sparsim et infrequenter admodum habitaretur;

» a tot iam tantisque populis et gentibus nunc incolitur, ut » pro oppidorum celeberrimorum, quibus ubique referta est, » frequentia, et castellorum pagorumque multitudine, paucae » ibi sint ecclesiae cathedrales; quo fit ut tam pauci Episcopi, » non ea, qua opus esset, diligentia, tantam animarum multitu- » dinem regere possint. Quod quibusdam eorum hoc etiam » est difficilius, quod ipsorum dioecesani linguae idiomate » institutisque differant; et quidam eorum etiam eiusmodi » privilegia habeant, ut ipsos ad Sedem Episcopalem non » liceat evocare; ita ut nec fidei doctrina, et pie vivendi » praeceptis commode instrui, nec, si quid deliquerint, facile » corrigi ab Episcopis suis possint. Ad ipsos vero Episcopos » visitandos, admonendos et in officio continendos ne una » quidem, in tota illa tam celebri et tam longe lateque patente » regione, ecclesia est metropolitana; sed illae, quibus subiectae » sunt, extra fines ipsius Regis Philippi sunt, earumque Ar- » chiepiscopi, propter multa et varia impedimenta, nulli suffra- » ganeis suis usui iampridem fuerunt. Ad quae tanta incommoda » cum hoc quoque accedat, quod cum ea regio omni fere » ex parte cincta sit et obsessa a populis haereticis atque » schismaticis, propter assiduas haereticorum insidias, dolos » et fraudes, pestiferasque doctrinas, Catholica illic fides et » animarum salus in maximo discrimine et periculo versantur.

» His causis, aliisque quae animum nostrum impule- » runt, adducti, precibus etiam annuere volentes, tamque pio » desiderio satisfacere ipsius Philippi Regis, qui, pro sua » pietate et Catholicae fidei studio, hac de re nobiscum et saepe » ac perquam diligenter, tam per litteras ac per nuntios egit; » habita, sicut rei magnitudo postulabat, cum venerabilibus » Fratribus nostris, S. R. Ecclesiae Cardinalibus, delibera- » tione matura; tam graviter periclitanti in illis partibus fidei » orthodoxae et animarum saluti aptissimum remedium esse

» duximus, si veterum ecclesiarum, in illis regionibus posita-
» rum, Dioeceses, commodioris regiminis causa, divideremus;
» novisque erectis cathedralibus ecclesiis eiusmodi praeficeren-
» tur Episcopi, qui tum exemplo tum verbo commissas sibi oves
» pascant; et proborum eorumdemque doctorum virorum copia
» muniti, idoneorumque opera ministrorum adiuti, illas
» adversus insidiantium luporum rabiem tueantur atque cus-
» todiant; et Metropolitanae aliquot ecclesiae opportunis eius
» regionis locis erigantur, ad quas commode adiri possit;
» quibus qui praefuturi sunt, suffraganeos suos in officio con-
» tineant. Ex certa igitur nostra scientia, de eorumdem Fra-
» trum nostrorum consilio, ac de Apostolicae plenitudine
» potestatis, ad Dei omnipotentis et sanctae ipsius Ecclesiae
» utilitatem, Cameracensem, Traiectensem, Atrebatensem, et
» Tornacensem ecclesias, civitates atque Dioeceses, a Remensi
» Coloniensique Provinciis, quibus sunt metropoli tico iure
» subiectae; ac Mechliniense, Antverpiense, Harlemense, Da-
» ventriense, Leovardiense, Gruningense, Middel-burgense,
» Buscoducense, Ruremundense, Namurcense, Audomarense,
» Iprense, Gandavense et Brugense, celeberrima Cameracensis,
» Traiectensis, Leodiensis, Morinensis et Tornacensis Dioe-
» cesium oppida a sua quodque eorum Dioecesi et Provincia. »

Porro autem in eadem sua Bulla procedens Pontifex, de singulis tam novis quam veteribus Belgii Archiepiscopatibus et Episcopatibus ordinat, sicut supra diximus in Consistorio fuisse ordinatum, atque a Sonnio huc relatum. Omnibus porro sic ordinatis addit, constitutionem suam concludens Pontifex :

» Eidem Philippo Regi eiusque successoribus qui pro tempore
» eiusdem Regionis in temporalibus Domini exstiterint, ius
» nominandi personas idoneas, in Theologia Magistros, aut
» in Decretis Doctores seu Licentiatos, nobilium Universi-
» tatum more, diligenti examine praecedente, promotos, ad

» Mechliniensem, Antverpiensem, Traiectinensem, Atreba-
» tensem, Tornacensem, Harlemensem, Ruremundensem,
» Namurcensem, Gandavensem ac Brugensem, Daventriensem,
» Buscoducensem, Leovardiensem, Gruningensem, Middelbur-
» gensem ecclesias praedictas, tam in hac prima vice quam
» quotiescumque illas pro tempore vacare contigerit, Nobis et
» Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, in Archiepiscopos
» et Episcopos earum ad nominationem eiusmodi instituendos,
» de eodem consilio, scientia et auctoritate praemissis, in per-
» petuum reservamus atque concedimus, ac irritum et inane, si
» secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel
» ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstan-
» tibus etc. »

VI. Rationes ad ista moventes consideranti quam illae videri debent praegnantes, ut revera sunt, tam videntur etiam efficaces esse potuisse; unde fit, ut, interrupto saepe per bella inter Principes commercio politico, commercium ecclesiasticae iurisdictionis intercidi necesse sit. Quare mirandum omnino est, sapientissimo Regi Philippo istud non in mentem venisse, ut vel ibi quoque peteret peculiarem institui Dioecesim, Ultraiectinae Metropoli adnectendam, vel ipsummet Luxemburgum Metropolim fieri cum suffraganeis pauculis. Si tamen regionum paupertas ultimum hoc faciebat impossibile videri, primum poterat propria quaedam consideratio suadere: quod scilicet S. Willibrordus, Apostolus Frisiae et Episcopus, Luxemburgensem provinciam cum Arduennatibus diligentius excoluerit, condito apud eos Epternacensi celeberrimo monasterio, ubi etiam corpore requiescit; quod vix potuit in mentem consultantium non venisse; et eadem ratio quae Regibus persuasit a Pontifice postulare Morinensis Episcopatus dissolutionem, destructa veteri Tervana, inter Hispanos Gallosque perpetuo litigiosa, et Sedis in ea Cathedralis translationem in

duos Episcopatus, Iprensem et Audomarensem, dividendae, quatenus Philippo suberat, oppidis vicisque aliis sub Gallo mansuris ad Bononiensem dioecesim traductis, movere poterat ad Luxemburgenses Limburgensesque proprio Episcopo commendandos.

VII. Sonnius porro, negotio eatenus Romae confecto, cum equis veredariis (inquit, cap. v, Havensius) celerrime rediit; eoque festinantius, quod Regem sciret maturare in Hispaniam reditum. « Hic autem, viso decreto Pontificio, continuo nominavit » et designavit Commissarios suos, Antonium Perenotum, » Episcopum Atrebatensem, Consiliarium Rerum Status, Do- » ctorem Viglium, Praesidem secreti Consilii, Doctorem Philip- » pum Nigri, Cancellarium Aurei Velleris, et Petrum Curtium, » Pastorem Lovaniensem, ambos in sacra Theologia Magistros : « qui simul cum D. Salvatore, Episcopo Clusino, Nuntio Apo- » stolico (quem Pontifex die x Iulii miserat ad Regem) consi- » dere possent, ad Provincias et Dioeceses ipsas distinguendas » et limitandas; ac dotem ab ipsis Monasteriis ac Praeposituris » dismembrandam atque praedictis ecclesiis deputandam, » deputarent ab eodem Nuntio cum omnimoda auctoritate » subdelegati. »

Satis autem credibile est praedictum Dominum, pari qua Sonnius, festinatione in Belgium properasse, ut in eo adhuc consistentem Philippum inveniret, litterasque traderet; et invenisse potuit, currente adhuc mense Augusto; cuius die xvi existens ille Middelburgi in Zelandia in procinctu ad abitum, cum is plura alia constituisset circa rempublicam, imprimis novum Antverpiae Magistratum designavit, ut sequitur :

RENOVATIO MAGISTRATUS.

XIII IUNII, *Feria* III *infra hebdomadam* IV *post Pentecosten, quia Pascha fuerat* XXVI *Martii.*

COMMISSARIOS *nullos nominant Fasti.*

CONSULES. — Dom. Alvarus d'Almaras. † — *Suff.* Dom. Io. van Schoonhoven. — ı Dom. Henr. van Berchem.

SCABINI. — Dom. Costinus van Halmale. — Dom. Nicolaus Rockox. — Dom. Ant. van Straelen. — Dom. Iacobus vander Heyden. — Dom. Ioan. vande Werve. — Nicolaus de Schermere. — Cornelius Happaert. — Iacobus Houtappel. — Martinus van Ranst. — Henricus van Delft. — Reynerus van Ursele. — Melchior Schetz. — Gerardus de Pommeraux. — Gislenus dele Cigne. — Simon vande Werve. — M. Cornelius de Wyse. — Wilhelmus Schoyte.

ARGUMENTUM.

I. Confraternitati laudis Marianae conceditur insigne privilegium, et sopitur lis inter Cameras Guldarum ac Rhetorum. II. Incipiunt gliscere murmura contra novos Episcopatus instituendos. III. Rex nihilominus, discessurus in Hispaniam, eos impense commendat sorori pro ipso Belgium gubernaturae. IV-VII. Ephebium HET KNECHTIENS HUYS fundatur per Ioannam Schoonbekanam, viduam Hugonis de Moreau, viri potentis, ut epitaphium probat, Sororem vero Ioannis Schoonbekani. VIII. Civitas varios pagos emit. IX. Canonici Almarasii pia fundatio. X. Familiae vander Goes erga defunctos parentes pietas.

ACTA POSTERIORA.

I. PRIMA Iulii, Confraternitas, nomen a laude Divae Virginis habens, obtinuit memorabile privilegium, teste Secretario de Moy apud Valkenisse, liberandi ab onere sustinendae adlectionis in Guldam quamcumque, personas LXXV, qui numerus usque ad centum auctus sit : sed addit litteras in contrarium haberi executoriales contra eos qui tali privilegio excusatos se vellent. Certe nihil tale in usu nunc est. Eisdem Kalendis finita est in Consilio Brabantiae lis, magna contentione agitata inter Reges, Aldermannos, Confratresque sex Guldarum, arcubus sclopisve utentium Civitatique iuratarum, ex una parte,

supplicantes, Principesque, Hooftmannos, Decanos, Aldermannos ceterosque Confratres Camerarum Rhetoricalium trium a Caltha, Viola et Olivae ramo nuncupatarum, ex altera parte, opponentes privilegia sua; super eorumdem extensione, restrictione vel usu. Sententiam in hac causa latam Edelherius « indicat contineri in II volumine Privil. fol. 185, ubi ea » poterit a talium curiosis inveniri.

II. « Interea incipiebant innotescere per Belgium (inquit » Havensius) molimina Aulae pro novis Episcopatibus; et » plerique contradicebant, praecipue vero ii, quorum antea » ad res novas et satanicas doctrinas audiendas pruriebant » aures. Mira istis videbatur subitanea in statu ecclesiastico » mutatio, eratque illis valde suspecta, metuentibus nimirum, » ne hac arte Philippus Rex Hispanicam (ut appellabant) » inquisitionem inveheret. Aliqui etiam Nobilium ipsum Re- » gem adierunt, eique suas querimonias de privilegiis violatis » exposuerunt, sed frustra; et de novis Episcopis mendacia » vulgus comminiscebatur. Renovabant vero nequidquam suas » querelas suspecti de Religione. »

III. « Mense Augusto, rediturus in Hispaniam PHILIPPUS Rex, » MARGARITAM Austriacam, sororem suam, uxorem Octavii Far- » nesii, Parmae et Placentiae Ducis, instituit Provinciarum » Belgicarum Gubernatricem, eique in Comitiis Gandavi cele- » bratis Catholicae Religionis curam commendat. Ordinibus » spem faciens celerioris regressus, dissimulatque praefiden- » tiam orantium, ut, Caroli patris exemplo, peregrinum militem » Belgio deducat, praesidioque non nisi Belgico utatur, nec » homines externos ad Belgicarum rerum curam adhibeat : » id enim a veteri Reipublicae forma esse alienum, atque » indignum Belgarum fide et virtute. Noluit enim Proceres, » de se meritos, cum offensionis opinione dimittere a se » Philippus; sed, facta peregrinae militiae avocandae spe,

» in Zelandiam concessit, commodamque nactus tempestatem » die xxvi Septembris, sublatis velis solvit e portu Flissingae. » Ita Loyens.

IV. Die ix Septembris, iactus est primus lapis Ephebii in foro equino, prope portam Rubram, HET KNECHTIENS-HUYS, ubi ex adverso nunc manent Capucini. In eo fundando enituit liberalitas *Ioannae van Schoonbeeck*, sic cognominatae a suo secundo marito, fratre fortassis naturali, aut saltem patruele agnato saepe laudati Gilleberti. Aedificium grande ac splendidum est, atque supra laudato Parthenotrophio et in fabrica et in disciplina respondet. « Hic enim, teste Scribanio, instruitur » iuventus varia arte, pro cuiusque ingenio aut propensa » voluntate; et delecti, superioribus annis, ex omni ea turba » quae ingens omnino est, qui ingenio et moribus plurimum » sponderent, quique prae reliquis eruditionis aut probitatis » maioris spem facerent, addictique humanioribus litteris, » ut inde ad Philosophiam altioresque scientias transeant. » Toto fere seculo xvii tenuit haec selectorum ad studia puerorum institutio, donec experientia docuit, eorum qui sic educati fuerant, etiam post Philosophiae ac Theologiae studia iuvandorum atque ad beneficia ecclesiastica promovendorum curam, nimis multorum annorum esse. Neque sane hoc tempore magnopere est utilis, quo numerus secularium Clericorum, etiam ex honestissimis parentibus natorum, sic excrevit, ut eo se gravari querantur Episcopi, proprio insuper seminario post Concilium Tridentinum instructi, ut non egeant petendis ex ptochotrophio praesidiis.

V. Domus istius amplae frontispicio ac portae suprapositum anaglyphum candidi lapidis, quid hic agatur repraesentat.

Subtus legebantur lingua vernacula versus, quos albo colore oleaceo indelebiliter inductos, nemo nunc retegere et legere possit : sed horum iacturam leviorem faciunt versus, fortassis

iidem, uni fenestrarum refectorium illuminantium inscripti, nuperque renovati hoc tenore :

Vijfthien hondert en acht en vijftig jaer,
September negen; was hier geleyt den eersten steen
Van Ioanna van Schoonbeeck, vrouw eerbaer
De Weduwe van Hugo Moreau alleen,
Alias de Bourgoigne; en heeft uijt liefde reen
Dit werkhuijs helpen stichten seer excellent,
Om arme jongers te leeren een ambacht gemeen,
Waeraf de Allemoesseniers hebben het regiment,
Ter eeren Godts en tot salicheyt vande stede.
Godt verleene haer, en al die noch sijn onbekent,
Ende andere die haer bijstandt doen mede,
Naer desen korten tijt, den eeuwigen vrede.

VI. Sensum, ne forte obscuret paraphrasis metrica, malo soluta oratione verbotenus fere legendum subiungere :

« Anno millesimo quingentesimo octavo, die nona Septem- » bris, primus hic lapis ponebatur a Ioanna van Schoonbeke, » perquam honesta matrona, vidua solius Hugonis Moreau, » alias dicti Ioannis de Burgundia, quae ex pura caritate iuvit » erectionem huius eximii ergasterii, ubi pauperes iuvenculi » vulgare aliquod opificium discant, sub regimine Eleemosy- » nariorum, ad gloriam Dei et commodum Civitatis. Deus illi, » et omnibus adhuc ignotis ceterisque huic operi auxilium » conferentibus, post hoc vitae brevis tempus, pacem retri- » buat sempiternam.

Hugonis istius uxorisque Ioannae, et liberorum atque nepotum, exstat in Basilica Mariana gallice sculptum monumentum, inter chorum sive sacellum Deiparae et Veteramentariorum altare, quod ab eorum pronepote Tiberio vander Goes,

Christianae Benedetti ibidem nominatae filio, mihi transcriptum vel ideo iuvat latinum reddere, ut appareat quanti aestimanda sit eius liberalitas, quae tantam post se familiam relictura erat, et quomodo eis benedixerit Deus in filiis filiorum. Ipsum sic habet :

« HUGO DE MOREAU, alias IOANNES DE BURGUNDIA, dum viveret, » Hospitiorum Caroli V, Imperatoris, praecelsae memoriae, metator, obiit anno M.D.LIV : et uxor eius, *Domina Ioanna de* » *Beaurieu*, fundatrix Domus pauperum adolescentium, obiit « anno M.D.LXIII: eorumque filia, *Domina Anna de Moreau*, » uxor D. Ioannis d'Ouvrin, quondam Thesaurarii dictae » Caesareae Maiestatis Caroli V, defuncta est anno M.D.XCIII; » ab eisque descendentes, *Franciscus Benedicti*, Genuensis, » filius Petri Benedicti, obiit M.DC.IV : *Domina Maria Becx*, » vidua quondam *Gabrielis Fernandez*, defuncta XIX Novembris » M.DC.XLV; atque horum filiae, *Domicella Isabella Fernandez*, » defuncta XXVIII Aprilis M.DC.LXXXVI; *Domicella Teresa Francisca* » *Fernandez* (ambae in castam Deoque votam virginitatem professae)... Et *Christina Benedicti*, filia Petri Benedicti et Mariae » de Torres, mortuae M.DC.LXXIX. Requiescant in pace.

VII. Non lubet ipsius Hugonis genealogiam, pariter mihi oblatam, adducere ad originem suam. Satis mihi est Ephebii nostri fundatricem Ioannam, ex mariti nobilitate illustratam, dedisse : quam tamen maluissem distinctius laudare a maioribus propriis; sed hos existimo opulentos magis fuisse quam nobiles; alias non passi essent filii, maternam originem translatione nominis in aliam linguam obscurari, usurpando gallicum BEAURIEU, id est *Bellus rivus*, pro patrio SCHOONBEKE : neque Gillebertum, nostrae Civitatis quasi fundatorem alium, licet nothum, voluissent applicari mechanico fabri caementarii opificio; quem Ioannae praelaudatae, si non ex eodem patre fratrem, saltem ex patruo cognatum, vel alias proxime consanguineum

fuisse suspicor; certe non erubescendum Ioannae marito, eiusque posteris, si pensentur viri merita et nobile, quod gessit, Commissarii Finantiarum munus.

VIII. Ad hunc quoque annum pertinet, quod, uti Caukerkius in Ms. reperit, « Civitas oppigneravit pro tribus millibus flore- » norum pagum WILRYCK; et pro mille septingentis, pagos » OORDEREN, WILMERSDONCK ET AUSTREWEEL, quibus etiam illa » anno M.D.LXII Drossardum constituit *Domicellum Adamum* » *van Berchem*, qui in Civitate fuerat Subscultetus.

Eiusdem verosimiliter Adami ex fratre nepos aut filius, quem ante triennium vidimus, propter iustitiam a grassatoribus occisum. De terrarum trium istarum oppigneratione scriptum invenitur, teste Edelherio, in vol. II. Privil. fol. 196 et 197, ubi communiter appellantur DE WATERLANDEN, *Terrae aquosae*, et ad Oorderensis aggeris praefecturam dicuntur pertinere.

IX. Primi porro Consulis hoc anno nomen et obitus in memoriam mihi reducunt fundationem piam, in foro equino, titulum *Almaras* praeferentem; eius scilicet *qui sex mulieribus aediculas reliquit, singulis singulas, quae*, teste Scribanio, *de suo victitant, et ubi quid deest tolerandae vitae, Eleemosynariorum liberalitate suppletur.* Annus nusquam exprimitur; petendus (ut opinor) ex testamento praelaudati defuncti, si hoc uspiam reperiatur : unde etiam doceri posset, conditio testatoris secularisne an ecclesiastica ea fuerit; et annus daret ansam coniectandi, quam prope ille Consulem praelaudatum attigerit. Interim reponens ad annum M.D.LXII. *Philippum d'Almaras, Canonicum, qui primum Antverpiae visum Iesuitam Laynez hospitio excepit*, vehementer suspicor eumdem et piae istius fundationis auctorem , et ipsius Consulis aut fratrem aut patruelem fuisse.

X. Hoc etiam anno, in aede Georgiana positum est, et manet

factum ex marmore monumentum, exemplum honoris parentibus habendi a filiis, atque hoc titulo latino inscriptum :

D. O. M.

« Dominus henricus vander goes, Toparcha de Bautersem,
» Pluysegem et Iccle, Senator ac Thesaurarius supremus huius
» Civitatis. d. alexander vander goes, Toparcha de Doviae,
» Senator eiusdem urbis, fratres, ceterique cognati et agnati
» hoc epitaphium piis parentum manibus, d. petrus vander
» goes et domicella alexandrina balbani, coniuges, posuerunt
» anno m.d.lix.

R. I. P.

Humi instratus sepultis lapis indicat, *Petrum* quidem obiisse xii Decembris ; sed annum extrivere transeuntium pedes; Alexandrinam vero i Octobris anno m.d.lv.

A. C. M.D.LX.

—

ARGUMENTUM.

I. Frequentia huius anni funera ex familia vande Werve. II. Commodantur Regi gratis ad annum unum quinquaginta millia florenorum. III-IV. Inter iacienda novae curiae fundamenta reperiuntur indicia varia antiqui istic portus et insignis puteus, ac postea alius. V. Exstruitur domus Fuggerorum, et multo aere tegitur. VI-VIII. Pius iv ordinationem decessoris circa novos Episcopatus, in nonnullis reformatam, confirmat, post novam discussionem et abrogata dismembratione prius decreta. IX-XI. Unit mensae Episcopi Antverpiensis Abbatiam S. Bernardi ad Scaldim. XII. Eiusque Dioecesi Archiadiaconum et Poenitentiarium proprios instituit, atque Canonicos graduatos dotari mandat. XIII. Aliaque multa distinctius ordinat. XIV. Lanionum ad mensas in macello vacantes successio regulatur,

ACTA PRIORA.

I. Nescio quod morbi genus hoc anno funestavit familiam

vande Werve, quae hoc et superiori seculo tot Civitati nostrae Consules et Senatores dedit. Cladem eam testatur praegrande monumentum, in Cathedrali positum, in cuius medio gentis scutum sic dividit epitaphium, supra infraque descriptum, ut pars superior inter quarteria (ut vocant) *vande Werve, van Coelput, van Wyneghem, van Zymaer,* exhibeat verba, quae ex vulgari sic facio latina : *Hic iacet sepultus Dnus Wilhelmus vande Werve, Eques, defunctus anno Dni* M.CCCC.LX, V *Ianuarii :* deinde haec :

Et Dna Catharina van Coelput, primum vidua dicti Dni vande Werve, tum uxor Dni Ioannis van Berchem, Equitis, obiit anno M.D.XXII, XI *Februarii.*

Et Dnus Razo vande Werve, filius praedicti Domini Wilhelmi, qui obiit.....

Et Ioanna Francisca Colyn, eius uxor, quae obiit.....

Porro post communia (ut dixi) totius familiae insignia, tertiam totius saxi partem occupans iterum inter quarteria *van Wilre, van Bode, van Meldert, Bruylocht;* tertiam, inquam, saxi sepulcralis partem obtinens epitaphii pars altera sic procedit :

Hic sepultus iacet D. Wilhelmus vande Werve, filius Razonis, Eques, Toparcha de Schilde etc. quondam Capitaneus vexilli unius Germanorum peditum in obsequio Caesareae Maiestatis Caroli V, Imperatoris, ante Civitatem Metensem in Lotharingia, postea Marcgravius terrae Riensis, et Scultetus huius Civitatis, defunctus.... die.... M.D.LX.

Et Dna Margareta Scheyve, eius uxor viduaque Caroli van Immerseel, Equitis, dum viveret, Drossardi Brabantiae, et postea praedicti Dni Marcgravii, defuncta... die... anni M.D.L.

Et Domicellus Philippus vande Werve, eorum senior filius, defunctus... die... M.D.LX.

II. « Die XIII Februarii transtulit Rex PHILIPPUS ad usum » Civitatis officium Magistri-Censoris cum omnibus eius iurisdi- » ctionis praeeminentiis, et mediante summa quinquaginta

» millium florenorum Carolinorum, quibus ipse Rex ad unum » annum gratis et absque foenore utetur; pro quorum deinde » restitutione assignabantur Civitati in hypothecam reditus » teloniorum, percipiendi annue, usque ad plenam solutionem. » Ut autem eam summam expedire Civitas posset, fiebat ei » licentia assumendi reditus vitalitios in unicam personam ad » duodecim in centum, salvo quod nummi inde collecti im- » pendantur ad extinctionem dictorum quinquaginta millium » florenorum, ad censum assumptorum. » Ita Collector anonymus ex libri Holoserici folio 120; et consentiunt, quoad substantiam, eodem libro allegato, Edelherius atque Caukerkius; corrigendo tamen errorem, qui librario nostro obrepserat, scribenti 5,000, pro 50,000.

III. Sic in gratiam Principis onerata Civitas, nihil tamen remisit vel distulit exsequi nuper sumptum consilium novae Curiae exstruendae, in capite maioris fori, tam splendidae magnificaeque quam ulla uspiam esset invenienda. « Pavari » autem fundamenta coeperunt eiusdem mensis Februarii die » XXVII : tunc primum lapidem posuit Ioannes van Immerseel, » Marcgravius; cui inscriptum, superne quidem : *Ferdinando,* » *Imp., Philippo, Hispaniae Rege, Brabantiae Duce, S. R. Imperii* » *Marchione;* inferne vero, *Senatus Antverp.* XXVII *Februarii* » *a. Chr.* M.D.LX. Alterum lapidem posuit Consul Rockox. » Tanta autem alacritate fabrorum deproperatum est opus, ut » ante finem Maii perfectae steterint omnes caveae, et circa » festum Sancti Ioannis fuerit tota moles erecta. » Ita Caukerkius : sed scribere voluit (certe debuit) sequenti anno ante finem Maii. Dandum enim tempus erat, fundatis iam caveis, ut opus subsidendo solidaretur infra terram, priusquam superexstrueretur fabrica in altitudinem talem educenda : et sic, vol. I Privil. f.° 252, legitur, quod anno M.D.LXI Curia nova coepta sit fabricari (id est supra fundamenta et caveas ab

humo emergere) in quam Ducissa Parmensis concesserit assumi capitale sexcentorum florenorum annui reditus. Rex vero datam eo facultatem, anno M.D.LXIII die III Iunii, extendit ad summam quingentorum millium florenorum seu librarum Artesiensium, in quarum solutionem obligata Civitas, simili reditu annuo sese gravaret.

IV. Georgius Braun, in theatro Civitatum, libro I, pag. 17, testem oculatum habet (fortassis Grapheum nostrum) sic loquentem : « Vidimus nostris his oculis, cum aedis Praetoriae » fundamenta ponerentur, in ea parte quae ad Circium vergit, » ubi et primus lapis iactus est, quamplurimos palos cum » annulis ferreis, de quibus olim lintres, scaphae, cymbae, » aliaque id genus navigia religari solerent, immotos adhuc in » imo fundo stetisse : sed neque eiusmodi palos tantum, verum » etiam et portus quosdam, quos Cathonas marini vocant, factos » ex ligneis trabibus, fistucis imae tum fluminis arenae impactis, » viminibusque contextis, ac superingestis virgultorum fa» scibus, satis adhuc recentibus, manu factas. Quin et non » procul inde puteus, limpidissima aqua scaturiens, unica » tantum cupa, plane adhuc integra constans, asseribus con» tectus; fundamento (quod tamen erat altitudinis viginti et » amplius pedum) subiectus, visu mirabilis, est inventus. »

Sic ille, haud dubie agens de alio puteo, quam qui, iuxta veteris Curiae iconismum, usque ad novae molitionem illi conspicitur adhaesisse, labro palam elevato, aquam situlis hauriendam praebens; nunc autem tectus et stratae complanatus eamdem aquam dispertit vicinis domibus, per antlias attrahendam. Diversus autem ab utroque puteus fuit, quem ante ipsam novam Curiam medio nunc Foro stetisse diximus, Quintini Metzii coronamento ferreo ornatum; quique ad complanandam decursioni equestri aream contectus, nostra memoria repertus est ab istic fodientibus terram praeparandae thecae lateritiae,

intra quam minori quam antea periculo et molimine immissa malus procerissima, secure elevari et figi posset.

V. Circa idem tempus, teste Gramayo, pag. 39, « *Fuggeri* » *Norimbergenses, amplam famam fortunamque negotiando* » *adepti, hospitium cum horto eleganti spatiosoque coemerunt,* » *domumque cum speciosa turri aedificaverunt, ad viam quae* » *nomen a Latomis habet.* » Hanc cum paulo post annum M.DC cuctio quidam emisset, canales aeneos, quibus per tecta et ex tectis aqua derivabatur, commutans in plumbeos, tantum lucri fecisse dicitur, quantum fere solvendo fundi pretio opus erat. Nam et plurimum aeris postea humo effossum fuit, dum cavarentur fundamenta aedificandis scrutariorum officinis, domus istius latus Orientale tegentibus, ad viam quae a pediculis, inter pauperum lacinias, ibi vendi et reparari solitas, non infrequentibus, vocatur DE LUYSEMERT; ibi enim Fuggeri praedicti habuerant suas metalli istius, pondere suo paulatim subsidentis, apothecas; quia negotium eorum ut plurimum fuit in aere ex Suecia adducendo. Nunc locum istum Norbertinae tenent, de quibus infra.

VI. Haec privata Civitatis nostrae; publicum magis totique Belgio commune est Pii IV decretum, editum V *Idus Martii, Pontificatus anno* II, quo definivit et confirmavit Episcopatuum tam veterum quam recentium divisionem, limites, dotes et praerogativas, hic eatenus saltem describendum, ex Miraei donationibus Belgicis, cap. C.XLVI, quatenus Antverpiam nostram spectat, una cum principio, quod tale est :

« Pius Episcopus, Servus servorum Dei, ad perpetuam rei » memoriam. Ex iniuncto nobis desuper Apostolicae servitutis » officio, ad ea libenter intendimus, per quae Ecclesiarum » quarumlibet, praesertim Cathedralium noviter erectarum, » decori ac venustati; et illis praesidentium et aliarum perso- » narum statui et opportunae subventioni, cum divini cultus

» augmento et animarum Christi fidelium salute, valeat salu-
» briter provideri : ac desuper etiam ea, quae a decessoribus
» nostris consulte gesta fuerunt, ex saniori consilio, immutando
» disponimus, prout locorum et temporum qualitas exigit, et
» ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, et id in Domino
» conspicimus salubriter expedire.

» VII. Cum itaque (sicut accepimus alias), postquam felicis
» recordationis Paulus Papa IV, praedecessor noster, provide
» considerans eam partem inferioris Germaniae, quae caris-
» simo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi
» Catholico, haereditario iure subiecta erat, paucos habere
» Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent,
» uti illius amplitudo et frequentium oppidorum celebritas,
» ac longe lateque dissitorum castrorum et pagorum suorum
» copia, animarumque multitudo; varium item idioma et vitae
» institutum, ac denique temporis deplorata ob haereticos con-
» ditio expostulabant; aliisque et aliis gravissimis causis eum
» impellentibus, volens periclitanti in partibus illis fidei Catho-
» licae succurrere, pioque desiderio dicti Philippi Regis satisfa-
» cere, habitaque (sicut rei magnitudo postulabat) cum Fratribus
» suis (de quorum numero tunc eramus) deliberatione matura,
» de eorum consilio et Apostolicae auctoritatis plenitudine,
» Cameracensem, Traiectensem, Atrebatensem et Tornacensem
» Ecclesias, Civitates et Dioeceses, a Remensi et Coloniensi
» Provinciis; ac Mechliniense et Antverpiense, ac diversa alia
» tunc expressa oppida insignia dictae regionis, a sua quoque
» Dioecesi ac Provincia perpetuo segregarat ac diviserat; nec
» non Mechliniense, Antverpiense ac reliqua oppida sic divisa,
» in Civitates, Cameracensem vero et Traiectensem, tunc Epis-
» copales Sedes ac civitates, ac olim Collegiatam Ecclesiam
» S. Rumoldi Mechliniensem in Metropolitanam et Beatae
» Mariae Antverpiensem, ceterasque, aliorum oppidorum in

» Civitates erectorum Ecclesias in Cathedrales, pro totidem » Archiepiscopis et Episcopis, qui suae quisque Ecclesiae praees» sent; nec non Mechliniensi et Antverpiensi Ecclesiis Civitati» busque praedictis certos tunc expressos districtus, per Nuntium » suum, postmodum ab eo illuc mittendum, limitandos, pro sua » cuiusque Dioecesi perpetuo concesserat; nec non Ecclesiae » Mechliniensi Ecclesiam, Civitatem et Dioecesim Antverpien» sem inter alias pro sua Provincia adiunxerat; praefato quoque » Philippo Regi eiusque successoribus deinde per alias suas in » forma Brevis litteras, venerabili Fratri nostro, tunc suo, Sal» vatori, Episcopo Clusinensi, suo et Apostolicae Sedis Nuntio » in partibus illis, dederat in mandatis, ut personas idoneas, » quae dictas Ecclesias distinguerent ac limitarent, ac dotem » dictarum Ecclesiarum a Monasteriis ac Praeposituris, sub » illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in » his necessaria faciendi vice sua, deputaret. »

VIII. Alias istas litteras, a Paulo commissas Clusino Episcopo, Havensius et Miraeus vel non viderunt, ut diem datarum nos inde docerent; vel parum utiliter eas reproducendas censuerunt, cum Pius, per suas praelibatas : *Ex iniuncto*, quid effectum sit, satis clare explicet supersedere.

» Dilectus filius Antonius S. R. E. Presbyter Cardinalis, tunc » Episcopus Atrebatensis, et quatuor alii, scientia et probitate » insignes, quos ipse Salvator, Episcopus et Nuntius (dicto » Praedecessore nostro interea de medio sublato), vigore seu » praetextu mandati, et posteriorum litterarum huiusmodi, » substituerat.... facta diligenti rerum indagine ac omnibus » mature pensatis, animadverterunt *commodius multa ordinari* » *posse ad finem intentum, quam priores litterae praescribebant*, » super maiori parte eorum novos processus et scripturas for» mandos censuerunt; quibus Romam perlatis :

IX. « Nos, *inquit Pontifex*, qui dudum inter alia voluimus, quod

» semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quo-
» rum interesset, quique nuper didicimus quod per dismembra-
» tionem bonorum a Monasteriis et Praeposituris praefatis,
» si fieret, cultus monasticus non mediocriter laederetur;
» censuimus ipsa Monasteria et Praeposituras mensis Episco-
» palibus potius esse uniendas pro dote ecclesiarum, ad hoc
» ut Episcopi etiam illorum curam, perinde atque suam
» propriam, perpetuo gererent; Monasterium S. Bernardi, Cis-
» terciensis Ordinis, certo tunc expresso modo vacans (mortuo
» enim Iacobo vander Meeren, Abbate XXVIII, commendatum
» sibi ab eo fratrem illius, Lyranum Canonicum, paratum in
» regulam loci transire, Monachi cunctabantur Abbatem acci-
» pere, et nihilominus bene secum versanti, tamquam Abbati,
» parentes sedem vacuam relinquebant); Monasterium, inquam,
» S. Bernardi mensae Episcopali Antverpiensi, pro dotis no-
» mine, univimus et incorporavimus, attendentes, quod si priscis
» temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis
» ecclesiis Cathedralibus optimisque Praesulibus opportuno
» tempore prospectum fuisset, profecto tot perniciosa haere-
» sum dogmata, quibus Religio Christiana passim laceratur
» atque affligitur, haud ita violenter invasissent. Nunc autem
» cum ad illa arcenda et exstirpanda, ac simul populos ipsos in
» fidei sinceritate continendos dictus Praedecessor noster nulla
» alia magis opportuna remedia potuerit adhibere, quam supra-
» dicta; ut illa, iuxta cordis sui atque nostri desiderium, promp-
» tos ac felices sortiantur effectus, nostri ministerii partes
» praemissis adiicere, illaque omnibus, quibus possumus, ra-
» tionibus iuvare et promovere volentes, ac mensae Episcopalis
» Antverpiensis et Canonicatus et Praebendae illi uniendo-
» rum infrascriptorum veros annuos valores, ac litterarum,
» processuum et aliarum scripturarum huiusmodi veriores
» tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes,

» continuis etiam exhortationibus dicti Philippi Regis, et
» pro salute dictorum populorum enixe prosequentis, excitati,
» motu proprio et ex certa scientia ac de Apostolicae potestatis
» plenitudine, divisionibus, limitationibus et distributionibus
» dictorum subdelegatorum in dictis processibus specificatis,
» tamquam in melius reformatis inhaerendo, ac conces-
» sionem et assignationem per priores litteras Praedecessoris
» factas, quoad infrascripta, immutando, omnia et singula
» oppida, castra, villas, pagos et loca infrascripta, vide-
» licet Antverpiam, Liram, Herentals, et in posteriori desi-
» gnatione subdelegatorum huiusmodi comprehensa, cum
» ecclesiis Parochialibus, monasteriis, collegiis etiam Cano-
» nicorum, capellis, hospitalibus, beneficiis, locis et personis
» ac officiis Ecclesiasticis, secularibus et regularibus, popu-
» lisque et quibuscumque aliis sub eis comprehensis, praefatae
» ecclesiae Antverpiensi pro sua Dioecesi, iuxta designationem
» illi per praedictos subdelegatos factam, auctoritate Apostolica
» tenore praesentium perpetuo concedimus et assignamus. »

X. Illorum porro omnium et singulorum nomina, sicut in Bulla exprimuntur vernacula pleraque, ne fastidium pariant, praetermittens, eorum curiosum lectorem ad Miraeum remitto satis habiturum, credo, si Dioeceseos nostrae topographicam mappam hic videat, eamdem quae in Scribanii libro habetur ex lamina a clarissimo viro Moreto mihi benigne commodatam. Gramayus, pag. 54, paucis cuncta complexus, sic loquitur:
« Continet Dioecesis Antverpiensis, detracta partim Leodien-
» sibus, partim Cameracensibus, praeter Antverpiam, Bredam,
» Herenthaldum, Lyram, Bergas, oppida primae notae, pagos
» universim C.LXXX, in quibus personatus XII, Collegia Cano-
» nicorum VII, Abbatiae utriusque sexus VI; Prioratus sive
» Praepositurae monachales et alia non ultimi nominis coe-
» nobia XLII; Hospitalia, tam aegris quam peregrinis, ultra L;

» et censentur hoc ambitu Marchionatus duo, Comitatus » maiorum gentium tres, minorum quatuor, Baronatus toti- » dem. » Ita Gramayus.

XI. Pontifex vero non satis habens S. Bernardi Monasterium Episcopali mensae sic univisse, « ut, inquit, Episcopus pro » tempore existens, statum suum iuxta Pontificalis dignitatis » exigentiam decentius tenere ac onera (praesertim in ea » amplissima civitate, in qua propter frequentiam populi et » continuas negotiationes magno vivitur) commodius perferre, » et quam Episcopum decet, exercere hospitalitatem valeat, » a S. Mariae Villariensis, olim Leodiensis, nunc vero Namur- » censis Dioecesis, Antverpiae vicinioribus et Sedi Antverpiensi » commodioribus, usque ad quingentorum, et a S. Michaelis » Antverpiensis Monasteriis, seu eorum mensis Abbatialibus » proprietates et bona etiam in decimis consistentia, usque ad » quingentorum ducatorum auri summas hinc et inde, cum » primum Monasteria ipsa per cessum vel decessum illorum » modernorum Abbatum seu Commendatariorum, seu aliis » quibusvis modis, et ex quorumcumque personis vacaverint, » ex nunc, prout ex tunc, et e contra perpetuo segregamus et » dividimus, illaque sic segregata et divisa, praefatae mensae » Antverpiensi perpetuo etiam applicamus et appropriamus.

» XII. Nec non Archidiaconatum Antverpiensem, qui in Ecclesia » Cameracensi dignitas non tamen maior post Pontificalem est, » per primum cessum vel decessum moderni Archidiaconi Ant- » verpiensis, quamvis super eo lis (cuius statum praesentibus » haberi volumus pro expresso) indecisa pendeat, ad ecclesiam » Antverpiensem transferimus, ut eum obtenturus, in ipsa sicut » olim in Cameracensi, debeat residere, ad instar aliorum qui » nunc sunt in ulla parte eiusdem Dioecesis Antverpiensis, ac » iurisdictionem per universam Dioecesim illam exercere; ac » unam Poenitentiariam Dioecesanam nuncupandas dignitates,

« non tamen post Pontificalem maiores, pro uno Poenitentiario
» Dioecesano, qui curam conscientiarum populi per universam
» Dioecesim habeant, perpetuo erigimus et instituimus.

XIII. « Atque ut idem Episcopus ecclesiam suam eruditis
» personis, et ad iurisdictionem ibidem exercendam ceteraque
» ecclesiastica munera obeunda idoneis, debite instructam,
» iugiterque decoratam habeat, statuimus et ordinamus, quod
» ex omnibus Canonicatibus et Praebendis dictae Ecclesiae,
» qui multi et pingues existunt, decem, quos primo... vacare
» contigerit... sic perpetuo affecti remaneant, ut idem Epi-
» scopus unum vel unam mensae Episcopali perpetuo unitum
» vel unitam obtineat; illorumque ratione persona capitularis
» sit, vocemque et auctoritatem etiam in Capitulo supra Deca-
» num et Canonicos habeat : reliqui autem novem Canonicatus
» et Praebendae praedicti tribus aut Magistris aut Licentiatis
» in Theologia, et tribus aliis Doctoribus Decretorum seu Licen-
» tiatis, ac tribus aliis Nobilibus eius Dioecesis in iure vel
» Theologia, in famosa quapiam Universitate Studii generalis,
» saltem Licentiatis, in perpetuum concedi et assignari debeant. »

Sequuntur plura circa Canonicatus istos Graduatos, et integra Bulla legi potest apud Miraeum, in praecitato libro I Donationum Belgicarum :

XIV. Volumen II Privil., fol. 188 v.°, a Pensionario Nys allegatum, exhibet mandatum et iudicium quo statuitur « ut
» quoties mensam aliquam in Macello vacare contigerit,
» Consul Marcgravio proponet duos ad succedendum idoneos,
» ex quibus hic eliget aptiorem, praeferendo tamen omnibus
» filium defuncti, si sese offerat et annum aetatis saltem
» decimum quartum impleverit, atque in propria persona
» mensam istam recturus sit : neque enim poterit sibi sub-
» stituere alium, vel ipsam mensam alteri elocare; non
» poterit etiam quisquam duas simul mensas tenere. »

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Commissarius, XI *Junii, Feria* III *post Trinitatem infra hebdomadam Amburbalium, cum Pascha fuisset* XIV *Aprilis.* — Dominus Ioannes Scheyf, Cancellarius.

Consules. — Dom. Ioannes van Schoonhoven II. — IV Dom. Nicolaus Rockox IV.

Scabini. — Dom. Io. vande Werve. — Dom. Costinus van Halmale. — Dom. Henr. van Berchem. — Dom. Antonius van Straelen. — Dom. Ioa. vande Werve. — Dom. Iacob. vander Heyden. — Dom. Ioannes Wolsaert. — Dom. Conrardus del Vaille. — M. Iacobus Houtappel. — Henr. van Etten. — Ioannes van Halen. — Simon l'Hermite. — Reynerus van Ursele. — Ioannes vander Heyden. — M. Ioan. vander Meeren. — M. Paulus Schuermans. — Ioannes de Herde. — Dom. Iac. vander Heyden.

ARGUMENTUM.

I. Indulgetur Civitati, ut assumptis CC florenorum millibus gravare se possit. II. Ad promovendam fabricam ecclesiae Carmelitanae permittitur commendaturque a Rege sortilegium generale per Brabantiam et ditiones Transmosanas.

ACTA RELIQUA.

I. « Die VIII Iunii, Rex PHILIPPUS Civitati erga se tam largae, » ut supra vidimus, indulsit, ut ipsa se oneraret in reditus, » tam perpetuos quam vitalitios, ad summam ducentorum » millium florenorum, ea conditione ut capitales nummi, ex » talium redituum venditione processuri, impendantur in » extinctionem obligationis, contractae apud Fockeros, simi» lem ducentorum millium summam Civitati mutuatos. » Regis

super hac re Placitum (ut appellant) testatur Edelherius reperi in II vol. Privil. fol. 192 v.°.

II. Porro cum lentius procederet fabrica ecclesiae Carmeliticae quam Fratres optabant, suggestum eis est, sortilegium instituere, unde processurum emolumentum eo converteretur; quod ut liceret, die XII Iulii huiusmodi diploma Rex concessit.

« Philippus, Dei gratia, Rex Castellae etc., omnibus praesentes visuris, Salutem. Suscepimus humilem supplicationem » Prioris et Conventus monasterii Carmelitarum, dictorum » Fratrum B. Mariae, in nostra Civitate Antverpiensi, conti- » nentem, quod annis abhinc aliquot, ad Dei honorem et » commodum viciniae, ipsorum ecclesiam et monasterium » frequentantium, piorum devotorumque fidelium auxilio ful- » ti, coeperint monasterio suo adstruere novam ecclesiam, » quae etiamnum nunc procul absit a perfectione, neque » perfici ullo modo possit, absque largiori maiorique subsidio » eleemosynarum, quod obtineri possit mediante generali » sortilegio. Proinde rogant suppliciter, ut dignemur ipsis » consentire, et facultatem largiri instituendi, per omnes » citimas nostrae ditionis Provincias, eiusmodi generale sor- » tilegium talium praemiorum, iocalium vel pecuniarum » summarum, qualia magis utilia convenientiaque iudicabunt, » ut per nummos inde processuros quam commodissime » perveniant ad effectum desiderii sui; litterasque super ea re » patentes, consueta et debita in forma, iuberemus expediri.

» Quibus serio consideratis, cupientes dictam ecclesiam quam » citissime perfici, ad promovendum Dei cultum, et participes » fieri orationum istic fundendarum, ut a morbo, quo nunc » infirmi decumbimus, persanemur; moti supplicantium preci- » bus, et ad intercessionem dilectae sororis nostrae, Ducissae » Parmensis et Placentinae, Rectricis et Gubernatricis dictarum

» nostrarum citimarum Provinciarum, indulsimus atque con-
» sensimus, et per praesentes indulgemus atque consentimus,
» ex singulari gratia et benevolentia, ut, transacto termino
» talis sortitionis, quemadmodum pro aliis ecclesiis ac piis
» locis aliquando factum est ex gratia laudatissimae memoriae
» Caroli V, Domini ac Patris nostri carissimi, cuius animae
» Deus misereatur; ita etiam ex hac nostra per deputatas a se
» personas in praedicta nostra Antverpiensi civitate, definito
» ad id die et loco sibi bene visis, instituere possint sortile-
» gium praemiorum, ut supra; singulas sortes aestimando tri-
» bus, quatuor aut quinque stuferis, vel etiam minoris, prout
» consultum existimabunt; expediendo eum in finem char-
» tas suas quaquaversum per omnes civitates, oppida et loca
» nostri Ducatus Brabantiae et ditionum Transmosanarum,
» absque ullo nostro praeiudicio; tantum ut pecuniae, ex tali
» sortitione processurae, aliter non impendantur, quam ad
» praedictam ecclesiam perficiendam ornandamque.

» Insuper ex abundantiori nostra gratia, concessimus et
» indulsimus, concedimus et indulgemus, ut omnes ad ipsam
» sortitionem venturi, suosque nummos in sortem daturi ad
» praemium consequendum, fruantur libero ac salvo conductu,
» a die decima quarta ante productionem sortium usque ad
» decimam quartam post eam, neque in itu redituve valeant
» ulla molestia affici, impediri, capi vel arrestari, in corpore
» aut bonis suis intra praedictam nostram civitatem Antverpien-
» sem, aut alibi per viam, ratione alicuius debiti in loco suae
» habitationis contracti, aut alterius cuiuscumque obligationis;
» salvo quod solutio eorum, quae nobis debentur, ea occasione
» non retardetur, et ut ab eadem gratia excludantur inimici
» nostri, exulesve aut aliter gravius criminosi. »

« Itaque mandamus et praecipimus dilectis nobis Cancella-
» rio et Hominibus Consilii Brabantiae, Maiori Lovaniensi,

» Amptmanno Bruxellensi, Sculteto Antverpiensi et Silvae-
» ducensi, aliisque nostris Vasallis, » etc. (ut supra in litteris Maximiliani et Caroli ad annum M.CCCC.XCII et M.D.XVII relatis).

» Actum in nostra Civitate Bruxellensi, die XII Iulii anni
» D. N. M.D.LX, regnorum nostrorum Hispaniae, Siciliae, etc.,
» quinto, Neapolitani septimo. *Et in plica scriptum erat* : Per
» Regem : *et subnotatum* : recognitum maiori sigillo suae
» Maiestatis, subtus pendente. »

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX RERUM

QUAE HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

INDICIS TOMI SECUNDI FINIS.

